





1
1
7
261

















CASPARI HOFMANNI, APOLOGIA PRO GALENO, DVOBVS TOMIS DIVISA.

II

CASPARI HOFMANNI,
PHILOS. AC MEDICI,
NEC NON
IN ACADEMIA ALTORFINA MEDICINÆ
quondam Profess. Publ. Præstantiss.

APOLOGIÆ PRO GALENO,
SIVE
ΧΡΗΣΤΟΜΑΘΕΙΩΝ
LIBRI TRES.
TOMVS PRIOR,

Continens { Isagogica. & Physiologica.

Opus Veritati Medicinalium dogmatum illustrandæ, Galenique gloriæ asserendæ, utilissimum: Omnibus denique sanioris Medicinæ Cultoribus summè necessarium.

Ex Bibliotheca GVIDONIS PATINI, Doctoris Medici Parisiensis, & Professoris Regij.





LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.
M. DC. LXVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO
GALLIARVM SENATVS PRINCIPI,
GVILLELMO
LAMONIO,
GVIDO PATIN,
DOCTOR MEDICVS
PARISIENSIS,
& Professor Regius.



INE Te exorem, VIR MODIS OMNIBVS ILLVSTRISSIME, *non quidem vt pudori tuo vim afferam, & quæ sit vitæ tuæ, tuorúmque iudiciorum sanctitas, quàm castè tuum munus geras, quàm recti, proborum, doctrinâ ornatorum amor, imprimísque pauperum cura, Tibi in medullis ac visceribus hæreat, & quæ sint aliæ, quæ in Te fulgent dotes, omni prædicatione maiores, in angustissimum parum limatæ Epistolæ gyrum compellam: sed vt hic suo dudum Parente orbatus,*



SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianißimi.

CAVTVM est authoritate Regis, ne quis in regno suo, aliisque locis suæ ditioni subiectis intra decem proximos annos, Librum qui sic inscribitur, *Caspari Hofmanni, Apologia pro Galeno*, absque LAVRENTII ANISSON, Bibliopolæ Lugdunensis permissu, imprimat, aut divendat, à die publicationis horum Exemplarium: qui secùs fecerit, mulctâ indictâ, provt ampliùs in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis die 19. Septembris, 1667.

De mandato Regis

Signatum,

TELLIER.

Desiit prælum huius editionis, 3. Ianuarij 1668.

PRÆFATIO



PRÆFATIO GENERALIS.

PYTHAGORAM, Lector, interrogatum, Quâ re homines quàm proximè ad DEVM accederent? respondisse ferunt, ἐὰν ἀληθεύωσι, *si* VERITATEM *colant*. Hinc nasci potuit versus nescio cuius,

Εἷς θεὸς ἐστι· θεῷ δ' ἓν σύμφυτον, ἀλήθεια:

Vnus est DEVS: DEO *autem vnum cognatum*, VERITAS. Quo vtroque cùm nihil sanctius, & Christianâ Religione dignius dici possit, sæpe admiratus sum institutum illorum, qui dicunt, Malle se vel cum ARISTOTELE, vel cum GALENO errare, quàm cum aliis rectè sentire! Hi primùm omnium nescire volunt, Quid sit *Error?* & quem satorem, patronumque agnoscat? Sed neque vident, se nudo capite desciscere à DEO, qui est τὸ αὐταληθές, & agglutinare se Mendacio, quod improbi esse hominis à Cicerone didicimus. Multò minus considerant vtriusque naturam, à Clemente Alex. proditam his verbis, ἀνίκητος ἡ ἀλήθεια. Ψευδοδοξία δὲ καταλύεται. *Veritas vinci non potest: falsitas euanescit.* Quin (quatenus hos sibi duces legunt) obliti sunt conditionis humanæ, de quâ insigne est dictum Archigenis apud Gal. *Difficile esse, vt, qui homo sit, non in multis peccet, quædam penitùs ignorando, quædam malè iudicando, quædam negligentiùs scribendo.* Ignorant tandem etiam illud, quod apud Plutarchum est, *Saxum poni debere iuxta perpendiculum, non perpendiculum iuxta saxum.* Res enim sunt, quæ doctos faciunt homines, non fallaces opiniones, quas qui studiosè sectantur, omnes artes & scientias replent immanibus difficultatibus. Hoc fieri solet ab iis, qui neque naturâ apti sunt ad disciplinas, neque in iuuentute rectè instituti, neque laborem discendi ferre volunt. Quare tales non id agunt, vt docti, sapientésque fiant, sed vt vulgo videantur tantùm. Quod autem VIDERI possit esse maius, quàm haberi pro Aristotele, Galenóve? In plerisque, quibus

Pro Murena.

2. κ. τόπ. f. 270.

In Moral.

legitima subsidia non desunt, hoc desidero, quòd in lectione bonorum autorum versentur ferè desultoriè. Quod enim fortè fortunâ illis occurrit, id amplexantur: at si vel alios quoque consulerent, vel premerent, & instarent, inuenirent fortassis contrarium, quo iuxta alterum posito VERITAS emergeret. Neque enim, quod isti sibi persuadent, subitò illa & in omnibus obuia est omnibus, etiam magnis viris: sed opus habet scrutinio, in profundo quippe Naturæ puteo abscondita. Hinc erutu tantò difficilior

4. Loc. aff. 4. est, quò plures sunt, qui tegunt. Inter hos sectarij sunt, qui (veluti Gal. loquitur) omnia audent, & facilè mentiuntur, quædam vidisse se dicentes, quæ non viderunt: quædam contrà, se non vidisse, quæ viderunt. Hos aliâ & tutiore ratione non confuderis, quàm si deprehendas, illos non constare sibi. Vt enim vulgare dicterium habet, *Admodum difficile est, vt, qui mentitur, semper sibi constet.* Huic rei idem Gal. præficit peculiarem deam, ADRASTEAN, cuius officium sit prouidere, ne mendacium aliquod veterascat.

6. Vs p. 12. *Nemo,* inquit, *legem Adrastéas effugit, etiamsi astutus admodum sit, dicendique peritus, quin fateatur tandem & ipse vafritiem suam, feratque testimonium Veritati tantò grauius, quàm alius quisquam, qui inuitus ad testimonij dictionem accesserit.*

Atque hi ipsi nesciunt, Quatenus, & quovsque fidendum sit libris? quoque animo ad lectionē ipsorum accedendum sit? Dum enim sibi persuadent, derepentè & quasi virgulâ diuinâ oblatū sibi iri, quod verum, quod bonum, quod laudabile, errant. Quin timidè agere præstat, & quasi vicatim excutere forulos librarios, vt vel tandem voti fiamus compotes. Hoc verò fiet, si obseruationibus veterum addamus nouas recentiorum. Idipsum Seneca iubet:

In Epist. *Optimum est,* inquit, *maiorum sequi vestigia, si rectè præcesserint. Qui enim ante nos mouerunt ista, non sunt domini nostri, sed duces. Patet omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illa etiam futuris relictum est.* Hoc in

Varro lib. 1. cap. 18. specie de agro suo ait Latinorum doctissimus: *Nos vtrumque facere debemus, & imitari alios, & experientiâ tentare, quædam sequentes, non aleam, sed rationem aliquam.* Hac in re quanta sit voluptas iuxtà & vtilitas, intelligit is tantùm, qui expertus est. Vt enim Artabani verba apud Herodo-

In Polyh. tum accommodem rebus meis, *Vera dicere,* (& vera sentire) *lucrum maximum est. Nam quamuis aduersi quid accidat: tamen Veritas constat, etiamsi à Fortuna deiecta sit sede suâ. At verò qui falsa dicit,* (& falsa defendit) *quantumuis Fortuna illi faueat, aliterque res cadat, ac debebat: tamen Mendacium amplexus est.* Ego verò ita pingam hoc posterius, Tamen, ille quidem honorauit DEVM, vt tritum habet Italorum prouerbium: hic autem hostem ipsius. Quò minus credo illis, qui iactant, *Licere falsa sentire & defendere.* Quibus ego in aurem: *Licet etiam pœnas exspectare.* Et quid? Cùm ob natiuam infirmitatem sæpius erremus, quàm volumus, sæpius Nioben pro Iunone amplectamur; hæc ipsa verò errata pœnis digna sint: quid fiet, si accedat consensus noster? E contrario, *qui vera sectatur, ei semper eueniunt bona, si non subitò, tamen aliquanto pòst,* vt idem Artabanus apud eundem

historicum

hiſtoricum loquitur. Quo fit, cur neminem pœnitere debeat tribuiſſe aliquid temporis Deæ illi, quæ *Temporis filia* dicitur.

Accedit, quod ferè rapimur affectibus, hinc quidem amore, vel noſtri, vel aliorum: illinc autem odio, aut certè neglectu. *Quem enim amamus, ab eo omnia rectè fieri putamus*, inquit alicubi Gal. Et viciſſim, de quo minus honeſtè ſentimus, illum ferè negligimus, quantumvis bene ſentiat. Sed & non raro ambitio nos ducit, dum laudem captamus, vel ex contubernio talis & tanti viri, vel ex depreſſione eorum, qui exſtant. Quin timidiores ſumus aliquando ad contradicendum iis, qui in æſtimatione ſunt apud nos, quamvis merita ipſorum aliò tendant, licet res ipſa longè aliud velit.

Exemplo ſit nobis, primò quidem GALENVS, deinde autem VESALIVS. Gal. cùm Hippocratis & Platonis amantiſſimus eſſet, multas illorum in Phyſiologicis communes & proletarias ſententias ita amplificauit, vt diutius conſiſtere non poſſint. Imò, tantum tribuit illis, vt nomina ipſorum præſcripſerit ſuis quibuſdam cogitationibus. Interim non eouſque proceſſit amor, vt pro ἀναμαρτήτοις haberet: quin vtrumque ſæpicule erroris inſimulat. Ab altera parte, cùm Ariſtotelem non haberet eò loci, quo DEVS vult illum eſſe, pluries & acerbiùs (non intellectum etiam) carpit, quàm dignitas hominis permittit. Et quamvis non ſemel honorificam eius facit mentionem: pronior tamen ſemper eſt ad vituperium, quàm laudem, vt ex hoſte tam glorioſo ſolidiorem ſibi pararet laudem apud domeſticos.

Interim præ fulgore ipſius, & ſemper virente gloria, (vt *Lucretij* verbum habet) contabeſcit apud ſaniores. GALENVS ipſe, quantus eſt apud noſtrates? Major profectò, quàm debeat, ſiquidem vt dixi, Phyſiologica tantùm intueamur, vti debemus, quamdiu cum Ariſt. contendimus. Rationes enim ipſius, quas ferè *Demonſtrationum* nomine venditat, pleriſque locis tam ſunt tenues, vti libros ipſius *de Demonſtrationibus*, non magnopere deſideremus, quod Veſalius, *in Epiſtola ad Roland.* cenſet. In Anatomicis omnia deſcribit ex aliis, & ſine iudicio modò huic, modò illi adhæret, vt idem Veſalius *in dicta Epiſtola* rectè monet. Quamobrem tempus erat deſiſteremus ab inanibus hoc in negotio laudibus, vt de excuſationibus potiùs honeſtis cogitationes inſtitueremus. Qui enim leonis laudibus murem ornat, non ornat, ſed onerat illum, quin obterit. Hui! inquiat aliquis τῶν φιλογαληνῶν ſibi ipſis dictorũ, iam nunc peris proprio indicio, vt ſorex! Ego verò ſto recto talo, & TIBI, quiſquis es, ringenti & ſtomachanti in os dico intrepidus, *Non poteſt vllatenus omnibus locis veritas exſpectari ab eo, qui modò ex iis Anatomicis ſua depromit, qui bruta tantùm ſecabant: modò ex iis, qui hominem, quem nunquam attigit, non taciturus, ſi vel ſemel aggreſſus eſſet.* Non poteſt ille verus vbique eſſe, qui exercendi ſui gratiâ, iuuenis incipit ſcribere, dum adhuc ſub præceptoribus eſt, & ſcribit per ambitionem, ab aliis inductus, gratificaturus peregrè abeuntibus, tanta cum feſtinatione, vt ne relegat quidem, nec nomen ſuum

præfigat, quia de editione non cogitabat. Non debet vndiquaque exspectari accuratio ab eo, qui seorsim quidem pro iis laborat, qui legitimi, seu, vt Græci vocabant, χαρίεντες Medici erant: seorsim pro iis, qui εἰσαγόμενοι, ὀψιμαθεῖς, σκαιοί. Non debet par diligentia postulari ab eo, qui duplicem agnoscit Anatomiam, duplicem sensum, qui in quibusdã sit ψιλὸς, in quibusdam ἐῤῥωμένος, καὶ ἐπιστημονικός. Non potest, aut debet τὸ ἀκριβοδίκαιον exigi ab eo, qui per totum (vt sic dicam) scibile se extendit, qui tot condit libros, quorum ipse *l. de Lib. prop.* non ampliùs meminit, vnde βιβλιολάθης rectè dici posset. Et quid pluribus heic est opus? Aristotelem fuisse nouimus tam vigilantem, vt singulas voces non minus solicitè expenderet, quàm ille, qui monetam cusam denuò libellæ imponit, ne quid desit supersitue, proptereáne est ἀνέγκλητος? Et hunc vt libenter defendimus allatâ temporum illorum infelicitate: ita rectè atque ordine heic quoque fecerimus. Sed neque insuper est habendum, quod sæpe ab incomparabili SCHERBIO audiui, *Magni viri non demittunt se ad* τὸ ὅτι, *sed credunt aliis.* Hoc si de Galeno quoque dicamus, quid inde mali? sed & alia heic in promtu defensio est, *A Medico non requiritur perpetuò accurata illa docendi ratio, præsertim cùm agit cum semidoctis.* Ita autem voco τοὺς εἰσαγομένους. Qui, qualésve fuerint, id verò

οὐ πᾶσα γνοίη ὗς, οὐδ' ἂν ἀνδρεῖα ᾖ,

vt vetus habet senarius apud Platonem, *in Lachete,*

Hæc si ratio est scriptorum Galeni, quid faciendum est illi, cui animus nullo præiudicio vitiatus est? Dixi *præf. Com. in lib. de Vs. part.* & iam pauca superdo. BONA accipere oportet: MALA relinquere, facto duntaxat hoc indicio, quod κίβδηλα sint. Qua de voce hoc obiter moneo; compositam esse αὐτοκίβδηλα, *de extremè ineptis & falsis*, cuius oppositum τὰ αὐταληθῆ. Illud corruptum in αὐτοκάβδαλον, multùm turbat apud *Lexicographos.* Qua in re si cui fortè grauior aliqua vox calamo excidat, non subitò pro cõuicio est habenda, sed adscribenda splendori, maiestatíque Veritatis. Et quis est, qui possit λαλεῖν, καὶ μὴ σιγάζειν? Hæc Celsi nostri mens est, *Conuenit*, inquit, (Medicis) *simplex erroris confessio, vtpote versantibus in eo ministerio, quod vtilitatis causa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua alij ante nos decepti sunt.* Et alioquin in genere valet Platonis illud, *Periculosior est stulta scientiæ alicuius opinio, quàm perfectæ ignorantiæ libera confessio.* Hoc Arist. est, 1. *Topic. Culpandus non est, qui propter veritatem alicui contradicit.* Δεῖ γὰρ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, addit alibi, *in Ethicis.* Huc tendunt ipsius Galeni illa, 2. *Fac. nat. vlt. Laude digni sunt, qui explicant, quæ rectè dicta sunt, & addunt, quæ prætermissa sunt. Fieri enim non potest, vt vnus idemque incipiat, perficiatque.* Quin (verba sunt Eustachij, *Ex oss. f.* 165.) æquè turpe est ab Hippocrate & Galeno sine causa manifesta desciscere, ac patrocinari illis in manifestè falsis. Quod si contingere potest, vt contingit, vt labantur etiam illi, qui errores Galeni detegunt, iam hoc à conditione humana est.

Lib. 8. c. 4.

Sed quî fit, cur semper id vsu veniat, vt pauci pro Veritate contra infini-

tos

tos pugnent? Heic primùm in genere tenendum est Senecæ illud, *Tam bene non agitur cum genere humano, vt verè bona multis placeant.* Deinde, paucos omnino esse, qui molestiam legendi plures Autores tolerare velint. *Admirabile est, quòd plerique omnes pauca velint discere, omnia tamen scire velle videri,* inquit Galenus 2. *de Crisibus*, 8. Hinc idem pro libris suis *de Pulsibus*, nonnisi vnum sibi lectorem deposcit: quin nonnisi paucos inuitat, eos, inquam, qui rectè instituti sunt: quod patet *ex* 3. *Diff. puls.* 3. 1. *Dign. puls.* 1. 3. *Fac. nat.* 10. 7. *Simpl. proœm. de Præcogn.* 9. Apud nos quid fit? Plerique eo solo GALENICI sibi videntur, si perpetuò nomen eius crepent: cæterùm amore voluptatum, diuitiarum, honorum ebrij contemnunt Philosophos, vt per risum vocant eos, qui sese illis opponunt. Et hi sunt ij, de quibus aliquando iocabatur ad me immortalis GRVTERVS, *Contenti sunt pane quotidiano.*

Superiori sæculo, cùm ANDREAS VESALIVS, homo (vt vno verbo multa complectar) dexterrimus, reuocasset studia Anatomica, & publicè ostendisset Galeni errores, quid euenit? Licet in plerisque sit æquus tantùm arbiter, nomintéque *in præf. ad Car. V.* Galenum omnium bonorum autorem, in quem nolit videri impius, aut minùs obseruans autoritatis ipsius, velitque homines nostros mitescere tantùm, & oculis suis, allatisque rationibus plus credere, quàm Galeno: tamen res longè aliter cecidit. Conqueritur enim *in fine Epistol. ad Rolandum*, quàm infelices sint ij, qui libros scribunt, se inprimis, qui paulò minus sit passus quàm ij, quorum cadauera inciderit. Et par est credere, indignitate huius rei motum cremasse *Notas* suas *in Galenum, Anatomicas*, vt scribit *in eadem Epist. f.* 191. Nimis profectò timidè, ne dicam præcipitanter! Voluit quidem discipuli officium obire GABRIEL FALLOPPIVS, diuinúmque sæpe vocat VESALIVM *in Obseruationibus*, Venetiis primùm impressis in 4. 1560. interim ait, *Aliquando nimis illum exsultare contra Galenum, in verbis potius carpere, quàm in rebus, accusare vltrò, vbi excusationem merebatur, non minus errare, quàm alios,* &c. Quasi verò ipse *non erret, non det verba pro rebus, non tenebras pro luce*, & siquæ alia dicit illi in os *Vesalius in Examine dict. Obseruationum, ibidem eadem forma,* 64. Pro Galeno scripsisse IANVM CORNARIVM ait Vesal. *in Ep. modò dictâ:* verùm ego non vidi. Pro eodem non scripsit, sed debacchatus est vir alioquin omni laude dignus IACOBVS SYLVIVS, *Paris. in f.* 51. consuto centone exili aliquot (vt ipse vocat) *Calumniarum*, in quibus probare vult, *Nil vnquam à Galeno peccatum fuisse.* In his cùm ne nomen quidem Vesalij intactum relinquat, VÆSANVM appellitando, soleo de scripto illo vsurpare hunc versum:

VÆSANI esse hominis væsanus iuret Orestes!

De FRANCISCO PVTEO quid dicam, aut non dicam? Præ SYLVIO centum raucorum vocem habet. Scriptis enim *Apologiæ libris* 7. (pro numero lib. *Magni Operis Vesalij*, vt ego laudare soleo) *Venet. in* 8. 62. ita probauit nobis suam væcordiam, vt vix vllus sit versus, in quo non barbarismus,

barisimus, vix vlla pagina, in qua non plaustrum conuiciorum! In rebus ipsis mera est *sciolitas*, quod verbi SCHERBIVS vsurpabat. In Græcis valde se ostentat, quamuis vltra literarum notitiam progressus non sit. Reuera, scriptum quidem est obbolbinatum, quâ voce Vesalij egregium Opus & ciuicâ coronâ dignum dehonestat: ipse autem est, vt Sophoclis senarius habet,

Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματα.

Et respondit, illi quidem RENATVS HENERVS, *Venet.* 8. 55. huic autem GABRIEL CVNEVS, *Ib.* 4. 64. qui ait, natum esse partum hunc infelicem instigante Antonio Fossano, qui Vesalium in aula Caroli V. Imp. & Philippi Regis Hisp. filij crescere nolebat Ego verò in vtraque *Responsione* hoc desidero, quòd vterque suum clientem tantùm velit sartum tectumque, securus, quid de Veritate fiat Hoc posterius prædico de *Opusculis Anatomicis* BARTOLOMÆI EVSTACHII, *Romæ excusis*, 4. 64. Licet enim Vesalium non rarò *conuiciatorem* appellet, cum *Galeno* dicens errare se malle, quàm cum illo sentire: tamen rebus ipsis acerrimè incumbit.

His quasi ἀμοιβαίοις λόγοις accensere debeo illos, qui studium, amoremque suum probare voluerunt GALENO, scriptis Contradictionibus, eorundemque conciliationibus, Controuersiis, Quæstionibus, aliisque litigiis, è quorum numero potissimi sunt hi, IVL. ALEXANDRINVS, Venet. 8. 48. NICOLAVS RORARIVS, Ibid. 8. 66. ANDREAS LACVNA, Lugduni 8. 54. Huic se opposuit FRANCISCVS VALLESIVS, in Opusculo Controuersiis addito, *De locis Galeni pugnantibus, Francof. ad Mœnum, f.* 1590. IACOBVS PELETARIVS, Paris. 4. anno 1560. HIERONYMVS CARDANVS, ANDREAS LAVRENTIVS, alij sine numero. Inter hos habeo ODDVM de ODDIS, & MARCVM filium, qui libros tres *Apologeticos* pro *Galeno* dedére nobis, *Venet.* 4. 70. in quibus mera aqua.

In hunc censum referre quoque oportet COMITIS MONTANI *lib.* 5. *de Morbis*, *Venet.* 4. 80. & 91. in quibus Galenum in Pathologicis tantum non ambitiosè defendit. Horum librorum Anatomen, (vt vocat) dedit THOMAS ERASTVS, Basileæ 4. 84. Cui respondit MONTANVS eodem anno, & eadem formâ, Venetiis. Huc pertinet LEON. FVCHSIVS, qui & *in Inst. & in Com. super lib. de Morb. diff. &c.* sæpè pugnat pro Gal. sed infeliciter. Bonam enim causam malè agendo perdit, quod SCHERBII iudicium erat. Ex altera parte est IOAN. FERNELIVS, & IOAN. ARGENTERIVS, de quorum vtroque meritò dicas, quod *Petrus Castellanus* de posteriore, Quid dicant, aliquando non cogitant, dummodò albis, quod aiunt, equis in Galenum inuehantur. Huic *Ant-Argenterica* sua opposuit IVL. ALEXANDRINVS, Venet. 4. 52. His Argenterij nomine respondit REINERVS SOLENANDER, Florentiæ 8. 56. cuius scripti autorem facit ipsum Argenterium idem Montanus, *fine præf. alt. in lib. dictum*, qui etiam

etiam addit *I. Alexandrinum* ſcripſiſſe *Defenſionem ſuorum Ant-Argentericorum*, quam neque vidi, neque videre valde cupio.

Sed iam tempus eſt, vt exponam, quamobrem in commemorationem horum omnium venerim ? & quid denique velim mihi ?

Cùm annis ab hinc præter propter ſedecim, mirabili quâdam fortunâ meâ, incidiſſem in Labyrinthum, Cretico illo longè implicatiorem, ambagibuſq; penè inſuperabilem, emendandi, quà Græcè, quà Latinè τὸ τετραπῆχυ GALENI volumen: vrgebam quidem καδδύναμιν propoſitum; ſed ſimul, ſemelque in *Bibliothecam Galeni*, (ſic mihi tum appellare libuit *Aduerſaria mea*) referebam, quæ εἰς τὸ τῆς λήθης γῆρας (*vt in Phædro* Plato loquitur, *vt illud præſidium ſenectuti meæ pararem*, quomodo Cicero, alicubi explicat) facere videbantur. Abſoluto opere, cùm dirutis Germaniæ rebus, nemo eſſet, qui vel imprimeret libros, vel emeret: totam illam *librorum Galenicorum* ſtruem tacitè apud me æternis tenebris damnaui. Interim, cùm conſcius mihi eſſem piæ, honeſtæque in proximum voluntatis, & quod abſque vllâ carpendi alios libidine, ſine vlla ambitione, vanáque gloriâ, fecerim, quod feci: ſpem aliquam concepi, fore vt DEVS Opt. Max. ſuo tempore in lucem reuocet depoſitum opus. Tu verò, aiebam, quid ages in poſterum ? Neque enim fas eſſe putabam, ignaui aſelli modo alligatum ad præſepe ſtare: ſed agendum eſſe aliquid, dum genua virent. Quin mens mea nuſpiam conquieſcebat, ſed ſubinde oggerebat mihi mandatum CHRISTI, *Caue abſcondas talenta tibi credita: ſed fœnereris quid, vt iubar* VERITATIS *latiùs ſe pandat, nec porrò quoque ſimpliciores decipiantur in reb. tanti momenti!* In hac deliberatione cùm eſſem, nata eſt mihi horis ſubſeciuis hæc Elegeia.

PARVA, ſed immenſi FORMICA laboris, aceruum
Farris dum denſis agminibus populat,
Horreaque inuentis diſtendit frugibus ampla,
Quà patet affini ceſpes amicus agro,
Multa gemit, multo tantùm haud enecta labore,
Dum miſera anguſtas itque, reditque vias,
Et frumenta humeris nitens lapſantibus vrget;
Sæpe etiam ſocias auxilio ire iubet.
Tum veluti ſaxum portant tres quattuor ingens
Baiuli, & officium voce, manuque obeunt:
Sic vnum videas modò terna anim atia granum
Trudere, nec quidquam deeſſe pio ſtudio.
At cùm triſtis hyems Boreali frigore ſæuit,
Et glacie tellus, & nemus omne riget,
Illa domi reſidens tenebroſo in fornice tutò,
Æſtiuo rodit ſemina lecta die.
Nec curæ eſt illi, quid agat robuſtus arator,

An ferat? an faueant sidera fausta satis?

CASPARE, in mundo hoc, per bis sex ordine & vltra
Mirificè miris lustra agitate modis,
Pallada dum iuuenis sequeris rerum omnium egenus,
Et struit insidias Ata tibi assiduas.
At postquam senuisti, equidem meliore cucurrit
Fors-fortuna rotâ: sed tamen vsque stetit.
Fecisti interea, multum oblatrante Diablo,
Quod facere officium nobile te voluit.
Cætera ne repetam: Dispunxsti ritè GALENI
Magnum Opus, vt Methodus porrò ea sancta foret.
Heic verba exactæ dum appendis singula lanci,
Quà sese extendit Græcia, quà Latium,
Annon FORMICÆ subiisti onus infrunitum?
Et rude donari iam cupis emeritus?
Vellem, si vellet summus rerum Induperator,
Vellem, si modò res ferret amica, MORI,
Postquam Teutoniam visum est fundamine ab imo
Diruere, & nullo stant sibi fine mala.
Transfuga sed fieri quia non placet, imò nec vnum
Extra aciem iniussus ponere fortè pedem:
Standum est immoto talo, vestigia ne quà
Nutent, & careat viribus hasta suis.
Ergo, dum patriam iactat tam sæua procella,
Vt totam hanc ausit dilacerare ratim,
Quid solatioli nobis præstare potestis
O MVSÆ? ô sacri præstes APOLLO chori?
Cogite concilium Parnassi in vertice summo, &
Quid sit opus facto, consulite in medium,
Vt bonus & sapiens oculos auertere, & aures,
Tantillum misero possit ab interitu?
Quid sit opis vestræ, Cyllenius adferat Ales,
Cùm volet: hoc mihi iam nascitur arbitrium.

FORMICÆ adgrediar repetito calle laborem,
Agro lecturus grana, GALENE, tuo,
Siue ea sint propriis manibus tibi credita sulcis,
Siue ea fautorum contulerit studium.
Hoc adeo occipiam, vt postquam conduxero spicas
Sub tectum, & tutas conciliâro domus,
Sub cælo maneant spinæ, tribulique tenaces,
Et pereant quòvis (res mala quippe) modo.

Interea

Interea, vt quondam iucundis me, DEVS, escis
Pauisti, vt nisui sufficerent scapulæ:
Sic spero (TV spem præsenti numine firma.)
Non fore te fidei nunc patriæ immemorem.
Non ego vægrandes patinas, tucetáve crassa
Posco: sat est, si non sit grauis esuries.
Hanc abige, atque vnâ diræ contagia pestis,
Nec diuturna minus bella, TRIVMPHVS iò!

In hunc igitur campum lutulentum cùm primùm descenderem, bene ocreatus, χρηστομαθείας more veteri appellare volui ψαμμακοσιογάργαρα ista, vt Aristophanes ludit. Strictim enim quasi in manipulos colligebam ea tantùm, quæ vera esse putabam, reiectis iis, quæ frustra morari videbantur bona ingenia. Et *in Isagogicis* quidem, paucis fui contentus, cætera ratus commodiùs tractari suis locis: *in Physiologicis* autem cùm enixius laborarem, duo inprimis molesta mihi fuere, Neglectus VERITATIS, & huius ministræ fidelissimæ, METHODI.

De VERITATE quamuis aliquammulta dixerim: σαφηνείας tamen ἕνεκα, & quia res latè vtilis est, dicam hæc quoque. Qui ad studium Medicum accedit adolescens, quasi in altero Herculis biuio constituitur, hinc quidem hominibus nostris, tanquam vnicam Cynosuram deprædicantibus illi GALENVM: illinc autem interspergentibus aliquando NATVRÆ nomen. Quod ad hoc posterius, quàm faciles sumus omnes ad nomen Naturæ: tam socordes sumus in inquisitione Operum ipsius. Cùm enim, quod Hesiodus ait, *labore nobis vendant Dij bona sua*: quis hodie tolerare vult labores? Nam, quod alibi conquestus sum, vbi primùm pedem in Academiam posuimus, aperitur plerisque nobis ludus impudentiæ, Collegia, inquam, disputatoria, in quibus Andabatarum more luctamur. Sed non fiat hoc: quotusquisque adolescentum pro rei exigentia occupari vult, vel in legendis bonis autoribus, vel in obeundis exercitiis Anatomicis? Sed & qui vult, non subitò facultatem inuenit vel alterutrius, vel vtriusque. Scilicet Doctorum etiam plerique non rectè instituti sunt, similiores τοῖς εἰσαγομένοις olim dictis, quàm τοῖς χαρίεσι, quippe *Compendiis* innutriti. Horum *Compendiariorum* ferè tanta est audacia, coniuncta cum pari impudentia, quanta vllius vel profligatissimi Catilinæ, Cethegíve esse posset. Hi ipsi post tertium verbum, GALENVM increpitant, licèt neque legant, neque lectum intelligant. Sed nec otium illis est legendi tam vastos commentarios! Fateor GALENVM (atque hoc iam alterum extremum est) plura ad discendam Medicinam subsidia attulisse, quàm vllus mortalium possit: fateor in explicanda *Hippocratis* methodo diligentiorem & accuratiorem fuisse quoquam alio; fateor Aquilam fuisse, quin Phœnicem, si ita vis: non propterea res confecta est. Immenso enim illo scribendi cacoëthe à puero vsque ad 70. annum,

quei ſieri poteſt, vt omnia ſint æquè bona ? Sed nec ipſe voluit hoc de ſe vel dici, vel præſumi, quia ſeorſim ponit, quæ τοῖς εἰσαγομένοις communicabat, *ſemidoctis*, vt dixi. Noluit etiam ideò, quia ſequebatur conſuetudinem veterum, quibus perinde erat, ſimias, an homines ſecarent. Nihil enim in arte mutat, dicebant. Quin humaniores iſtæ gentes abhorrebant prorſus ab hominis ſectione. Noluit quin etiam ideo, quia heic quidem alteram contradictionis partem celebrat, alibi alteram, quaſi diceret, *Tui arbitrij eſt amplecti, quam voles :* ego enim heic κατ' δόξαν tantùm loquor, ibi κατ' ἀλήθειαν. Et
2. Sem. vlt. hinc eſt humaniſſima illa vox, *Fortaſſis hæc vera ſunt : fortaſſis non ſunt, ſed veriora afferri poſſunt.*

De METHODO noſtris indignabar Anatomicis. Primò, quòd doctrinam partium ſimilarium miſceant Anatomiæ, quæ profitetur partes diſſimilares. Non ita GALENVS, vnicus Methodi poſt Ariſt. obſeruator, (quo nomine SCHERBIVS illum celebrabat) qui de ſimilaribus ſeorſim ſcripſit, vt eſt 8. *ſent. Hipp.* 5. Atqui, inquis, idem ſcripſit de Venis, arteriis, neruis? Non ſcripſit generalia illa, quæ aliò pertinent, ſed ex hiſtoria Anatomica depromta expoſuit ſuis εἰσαγομένοις, de quibus dixi.

Secundò, quod non coniungant partes ſimilares omnes, ad vnam actionem concurrentes, more Gal. *in lib. de Vſ. part.* vtpl. obſeruato. Quia enim Medicus reſpicit actiones læſas, æquum eſt ſcire illum, per quas fiant integræ. Quod ſi Gal. non obſeruauit vbique, cauſam referre oportet in orationem torrentis inſtar fluentem, vt ipſemet comparat 8. *Vſ. p* 9. *extr.* equi perciti modo oblitam metæ.

Tertiò, quod veteri deſertâ conſuetudine, quæ erat, ſeorſim agere de hiſtoriâ partium, ſeorſim de vſibus & actionibus : omnia coniiciant in vnum chaos. Non ita olim Noſter, moris in familia Aſclepiadéa ſeruati per 300. annos memor. Ibi enim cum pueris, ſimul ac legere, ſcribereque poterant, agebatur δεικτικῶ, v. g. hic eſt ventriculus, hunc habet ſitum, vt vides, hanc formam, hanc ſubſtantiam, &c. adultioribus autem è cathedra exponebantur vſus, actiones, diſſenſiones Anatomicorum, 2. *Ex. Anat.* 1. 6. *Vſ. p.* 12. Ex priore loco etiam hoc patet, Cur, poſtquam Hipp. vulgauit artem, τὸ χεῖρον μανθάνειν tribuatur illis, qui tum diſcebant Medicinam ? Quia perierat inſtitutio illa puerilis, adeoque neſciebant hiſtoriam partium. Hac neceſſitate compulſi viri ſapientes ſcriptis illam mandarunt, & inter hos primus Diocles Caryſtius, vt eſt in eodem loco. Verùm, cùm non æquè omnes acceptarent, Sophiſtas vocat eos, *ibid. cap.* 3. qui ſublimes in cathedra ſedentes (vti loquitur) dicunt aliquid, quod nunquam viderunt. Tales erant Profeſſorum plerique in Academia Alexādrina Ægypti, quos σοφιστεύειν ait apud adoleſcentes ab aratro venientes de rebus non viſis, 2. *Nat. hum.* 22. 1. *in* 6. *Epid.* 2. Ex dictis hoc reſultat, exercitia Anatomica præcedere reliqua omnia. Hinc tam apud Ariſt. quàm Gal. diuerſi ſunt libri, & Gal. *in lib. de Vſ. part.* ſemper refert ſe ad Exerc. Anat. tanquam priora. Hodie quid fit? Sedet Anatomicus tantùm non in ſella curuli, &, factâ ab aliis ſectione,

disserit de omnibus, quà pertinentibus, quà non pertinentibus, & quò longiùs extrahit sermonem, eò doctior habetur. In libris editiiis fit idem, imò non æstimatur liber, nisi sit vægrandis.

Quartò, quod nullâ illi methodo vterentur. Sectionis enim commoditatem secuti, quæ ab exordio huius disciplinæ durauit, omnia confusè tractant. His itaque ex *6. Sent. Hipp.5. extr.* ostendi, incipiendum esse ab ea parte, quæ naturâ prior est. Ea verò Cor est, vt probaui *in libb. de Gen. hom.* Ab hoc igitur exorsus ego, conatus sum dupondios nostros educere ex mirificis ambagibus, quas nectunt scriptores nostri. Earum ambagum princeps causa est, quòd non ordiantur, vbi debebant. Hoc fonte ostento cùm hoc lucrari mihi viderer, quòd multa & varia, hinc inde per varios autores dispersa, contraherentur in vnum quasi pugnũ: vel sic quoque officio meo me satisfecisse arbitrabar. Non equidem quòd vllam in animo haberẽ librorum Gal. epitomen, quæ apud me planè exsecrabilis est; multò minùs, vt in angustum contraherem scripta illorum, qui vel pro illo, vel contra illum ausi sunt quidquam: sed vt omnium omnibus scriptis saluis & integris manentibus, sub vnum ferè intuitum cogerem τὰς χρηστομαθείας iam dictas. Hoc ipso labore duo me consequi posse confidebam. Alterum, gratiam inire apud eos, quibus vel librorum copia non est præ manibus, vel aliàs nolunt multa legere. Alterum, occurrere quoquo modo Barbariei, iamiam cum triumpho ingressæ Germaniam, in qua fortassis posthac, nec Bibliothecæ publicæ struentur, sed armamentaria: nec priuatorum quisquam facultatem habebit colligendi plures libros. Huius rei præcipua necessitas videbatur vrgere in Anatomicis, quæ artis nostræ prima & præcipua fundamenta continent. In quibus quia Galenvs fecit, quod virum bonum decet; nostri autem sinistrâ accipiunt, quod dextrâ dedit ille: ostendere volui tribunis quibusdam seditiosis, quomodo aptè coniungi possint Galenus, Vesalius, alij viri boni. Quod verum est, inquam, quærere oportet simpliciter, sine pompa, sine amore, sine tacita exacerbatione. Ita nec facilè fallemur, nec temporis dispendium faciemus. Hoc in stadio dum magna mea cum voluptate decurro per biennium & amplius, occurrit mihi sæpe, quod non ausus fuissem optare vnquam. Quid illud verò? Oggesśére se mihi vltrò Apologiæ pro Galeno, si non pragmaticæ semper, speciosæ tamen. Quo factum est, quòd (relictis τῶν χρηστομαθειῶν) idipsum nomen præscripserim Operi toti, partim vt oculiferium quoddam pararem bonis, sapientibusque, partim vt æquanimitatem meam agnoscant, qui sequiùs persuasi sunt. Hoc si Γαλιωομανέσι quibusdam ingratum erit, illis ego copiam facio mutandi in aliud quoduis, modò non molestum sit Veritati. Huic enim hymnus hic paratus est, vt Gal. loquitur de suis libris *de V s. part.* Fortassis velit aliquis me distinguere historiam ab actionibus & vsu, quod Veteres factitasse, cùm alibi scripsi, tum nuper inculcaui? Huic responsum volo, non visum fuisse operæ precium, tam accuratè omnia persequi. Saltuatim enim heic agitur, & quasi per satyram. Cæterùm, quia in iis, quæ superbè Galenus iactauit contra Arist.

Apodicticus mihi eſſe videor, iam hoc proteſtor, *Nolle me reſpondere cuiquam, qui ad vocem Veritatis aures obturarit. Vappa enim ſim, ſi flaccos eiuſmodi aliter vindicem, quàm* CONTEMTV. Hoc grauiſſ. ſcriptor, SENECA, me iubet, *Æquo animo*, inquit, *audienda ſunt imperitorum iudicia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemtus*,

——— Παῦροι γὰρ τὰ ἀλήθεια κικλήσκουσιν,

inquit Heſiodus. Sed quæ cauſa huius rei eſt? Iam dixi, dicóque denuò poſt longam meditationem, LABORIS fuga, VOLVPTATVM OTIIQVE dulcedo. Hi tales, ſiquidem Mendacium, ſcortum putridum, amplecti malunt, quàm Veritatem, faciant quod volent, ſed ſine me riuali. Mihi enim volupe ſit ruere in amplexus integerrimæ, pulcerrimæ, amabiliſſimæ, nulloque purpuriſſo infamis VERITATIS, atque ita amicum potiùs DEI eſſe, quàm: Tu, LECTOR, bene vale, & bene age. Scribo Altorfi, φθίνοντος τοῦ γαμηλιῶνος, 1635.



APOLOGIÆ



APOLOGIÆ PRO GALENO, SIVE ΧΡΗΣΤΟΜΑΘΕΙΩΝ.


LIBER PRIMVS: IN QVO ΤΑ ΕΙΣΑΓΩΓΙΚΑ.

RATIO ORDINIS.

ORdo heic erit, quem in prima Operum Galeni sectione obseruaui. Primo enim loco explicantur τὰ τεχνικά. Secundo ponuntur libri, qui totam Artis summam complecti dicuntur. Tertiò, qui ad sectas tum temporis nobiles.

LECTORI.

Et quondam fuerat (credo) insatiabile multis
Cacoëthes edendi libros:
Nec minus est hodie. Tu verò, quisquis es, à me
Cape hoc statim criterion:
Vtile ni monstret tibi pagina prima, repelle,
Et vana, *dic,* hæc gloria est.
Sed sunt Grammatica hæc? Ah noli parua putare,
Si magna non constant sine his.



CAPVT I.

Coma, Cataphora, & Carus quidam, sunt idem.

A QVAM certum est ex iis, quæ diligentissimus Foësius *in Oecon. Hippocr.* collegit; & præcipuè ex loco de Glossis, τὸ κῶμα apud Hipp. nihil aliud esse, quàm καταφορὰν, subintellige, εἰς ὕπνον: tam incertum est, quomodo differat ab hoc affectu ὁ καλούμενος κάρος! Et, an omnis Carus sit eiusdem generis? Galenus hac in re videtur varius fuisse. Explicans enim 5. *Aph.* 5. τὸ ἄφωνος, ait dici ita, τὸ ὁποσοῦν καρούμενον. Esse autem locutionem hanc impropriam apparet ex iis, quæ infert. *Propriè*, inquit, *Carus dicitur subita*
B *in toto corpore abolitio sensûs & motûs.* Idem volunt sibi illa *Diff. sympt.* 3. *F.* Carum esse οἷον παράλυσιν τῆς φανταστικῆς, *resolutionem imaginatricis.* Et illa 4. *Loc. aff.* 2. *P.* vbi addit, *Saluâ tamen & illæsâ respiratione.* Et subitò distinguens ab Apoplexia, *Quibus idem accidit*, inquit, *sed tantopere læsâ respiratione, vt stertant more eorum, qui profundè dormiunt: iam Apoplexia est.* Item illa 2. *Art.* 20. *ext.* vbi sensus etiam interiores, seu τὸ ἡγεμονικὸν lædi affirmat. Interim duobus locis, (4. *Loc. aff.* 7. *L.* & 5. *eiusdem op.* 1. *D.*) respirationem in Caro esse affectam concedit. Et his quidem locis de somno expressè nihil:
C At 2. *Prorrh.* 29. *A.* Carum docet esse βαθὺν καὶ δυσδιέγερτον ὕπνον, *somnum profundum, & è quo ægri difficulter excitari possunt.* Ibidem distinguit in salutarem & morbosum: quin addit, (& aduertit Foësius) Carum salutarem esse eundem cum Comate & Cataphora, quæ sæpe in febribus accidat, in aliis morbis. Et 12. *Meth.* 21. *D.* expresè dicit, Carum esse somnum præter naturam citra febrim putridam.

Heic igitur quo modo consulemus honori Galeni? Eo, quem ipsemet indicauit. Carus est duplex, alius propriè dictus, alius impropriè. Propriè dictus est paralysis illa sensus & motus, adeóque nihil aliud, quàm *Apoplexia minor*, vt Gal. ipse bis vocat in illo 5. *Loc. aff.* Impropriè, nihil aliud est,
D quàm *Coma somnolentum* seu *pigrum*, quod etiam *Cataphoram somnolentam*, seu *pigram* dixeris, vt contradistinguatur à *Comate* seu *Cataphora vigili.* Et fit hic affectus per consensum tantùm in aliis morbis, vt probari potest, non tantùm ex illo Prorrhetici loco, sed & aliis multis à Foësio allatis extremò τοῦ κάρος: quin & inter Practicos recentiores docet Cæsalpinus 1. *Artis* 12. Verùm, quid fit de respiratione? In propriè dicto Caro læditur: in impropriè, non magis quàm in Comate seu Cataphora. Heic aliquis, Atqui *in eodem* 5. *Loc. aff.* Apoplexia minor distinguitur à Caro? Respondeo, Vox illa est falsaria, adscripta margini ab illo, qui alios docere volebat, quid sit
E Apoplexia minor? Corollarij loco illud addo, Altimarum, *Meth. c.* 3. Carum

Vide Saliū *Annot. in Altim. c.* 5.

rum magnum velle appellare illum, qui Apoplexia leuior, seu primus Apoplexiæ gradus est. Quid si dicam, huius ipsius Apoplexiæ duos esse gradus, in quorum imo & leuissimo, respiratio non lædatur sensibiliter: in paulò grauiori lædatur, sed non ad stertorem vsque?

CAPVT II.

Catoche seu Catochus est idem cum Catalepsi quadam.

VIderi possit in κατοχὴ καὶ κάτοχος idem contigisse, quod in συνεχὴς καὶ σύνοχος: sed non est ita. Febrium enim differentiam hanc necessitas ipsa peperit, quæ diuersis rebus diuersa dare nomina voluit: sed diuersitatem hanc peperit licentia quædam Medica, qualis est in χάλκανθος, χαλκάνθη & χάλκανθον, 4. κ. γέν. 1. K. *& alibi*, qualis in λίθος ὁ καὶ ἡ, 9. *Simpl. c. de Lapidibus.* Igitur eatenus differunt, quatenus ἡ κατοχὴ vox Græca est: ὁ κάτοχος barbara. An κατοχὴ morbus est: κάτοχος ille, qui morbo tenetur? Iungitur enim illi ὁ κατεχόμενος, *de Puls. ad tyr.* 11. *Q.* 4. *Caus. puls.* 16. Sed hoc parum est: altioris considerationis est, An ἡ κατοχὴ sit idem, quod ἡ κατάληψις? cùm inquam, pro morbo sumitur, cùm alioqui πολύσημον sit? Dubium est inde, quòd Gal. 4. *Loc. aff.* 6. *E.* 2. *in* 3. *Epid. ægr.* 11. *extr. & alibi*, solius κατοχῆς meminerit: 2. *Aph.* 3. 1. *in* 6. *Epid.* 5. *D. Diff. sympt.* 3. *F.* & fortè *alibi*, solius καταλήψιος: 3. *Loc. aff.* 4. *I.* 4. *eiusdem Op.* 2. *Q. de Puls. vtroque l.c.* coniungat per geminam copulatiuam, τὲ καὶ. Accedit, quòd insignis hac in re veterator Foësius (sic ipsemet alicubi loquitur) in voce κατάληψις, non mentionem fecerit τῆς κατοχῆς: in κατοχὴ manifestè separarit τὴν κατάληψιν. Huc facit, quòd Interpretes ferè distinguunt vocabulis Latinis. Altioris rursus considerationis est, Qualis sit morbus? Gal. 13. *Meth.* 3. *F.* Catochen, in censu affectuum soporosorum habet, quales etiam Apoplexia & Carus, & quidem citra putredinem, & febrim. Idem *Diff. symp.* 3. *F.* Catalepsin dicit esse quasi paralysin imaginatricis, qualis etiam Carus sit. Idem 2. *Aph* 3. Catalepses habet inter somnos præter naturam, & quidem ab intemperie frigida & sicca. Hinc Aëtius *l.* 6. *c.* 3. melancholicum humorem constituit causam eius materialem. At verò nihil horum loquitur historia adolescentis Cataleptici 2. *Prorrh.* 56. *B*, quem Gal. sæpe laborantem videt: nihil horum obseruatio Practicorum recentium, qui dicunt, Morbum esse, qui per certa interualla paroxysmos habeat, non secus ac Epilepsia, in quibus affecti manent in eo statu, in quo invénit illos superueniens paroxysmus, hoc est, siue stent, siue cubent, siue scribant, siue brachia extenta habeant, stant, jacent &c. toti rigidi, non secus ac si congelati essent. Vnde etiam affectus ipse *Congelatio* dicitur quibusdam. Apud hos difficultas hæc est, quòd aliis alia, plura, pauciora superueniant symptomata, de quibus præcipuè videre est Erastum *tomo* 4. *disp. Antiparacels.* &, qui inde describit, Schenckium

1. *Obs.*

1.*Obſ.*115. Quid igitur pro Gal. noſtro ? Id quod modò. Ipſemet enim *Prorrh.l.c.* agnoſcit duplicem Catochen, propriè & impropriè dictam. Propriè dicta eſt illa, quam in adoleſcente illo vidit : impropriè eſt Coma vigil aliàs dictum. Duplex hæc Catalepſis ex Paulo *l.3.c.*10. manifeſtè oſtenditur, & factum eſt inde, vt Copus & alij Interpretes obtruſerint Galeno Coma vigil. Verum eſt igitur, quod de reſpiratione ait 4.*Loc.aff.* liberam eſſe, de propriè dicta Catalepſi : ſed quod de denſa, rara, & magna Aëtius *l.c.* de Comate vigili accipere oportet. Sed qua in re ſimilitudo eſt inter hos affectus, ob quam ſub idem nomen venerint ? Quidam ex Præceptoribus, ait, conſiſtere in eo, quòd ægri vtrobique habeant oculos apertos. At quei, ô optime, de Comate vigili dici hoc poteſt ? Nam vel inde, quòd oculos habeant clauſos dormientium inſtar, habetur pro ſomno, qui ſomnus non eſt. Ego ipſe cùm anno 1628. menſe Septembri laborarem grauiſſima deſtillatione, præ debilitate iacui ita per integrum biduum, clauſis, inquam, oculis, ſed nihil minus quàm dormiens, interim mente conſtans, quantum ſomnolenti ſolent & poſſunt. Meliùs itaque Rondeletius, *Meth.med.*20.*ex Epid.* docet in eo conſiſtere, quòd vtrobique ſenſus & motus ſit læſus. Sed quid ſit de intemperie frigida & ſicca ? Rectiſſimè impugnat illam Eraſtus, quo loco dixi, Fieri non poſſe, vt ratione paroxyſmorum ſubitò fiat, & ſubitò deſinat. Sed Gal. dicit ? Dicit, quod ex ratione ſola collegerat, antequam paroxyſmos iſtos in condiſcipulo ſuo videret. Et cur diuerſa dat affectui nomina ? Non dat, ſed data ab aliis vſurpat. Moris autem eſſe Græcis coniungere ἰσοδυναμοῦντα, oſtendo non vno loco Notarum in Gal. Græcol. Hoc non vidiſſe alios, præcipuè Foëſium, valde miror ! maximè, quia intelligo, Ioan. Bapt. Montanum, qui fuit inter primos artis noſtræ inſtauratores, id vidiſſe ! Vt dicam, quod ſentio, & quidem alieno loco, & de morbo mihi non viſo, Eſt conuulſionis, ſeu potiùs tetani ſpecies, cuius materiam ſpiritalem eſſe neceſſe, eſt & quam non ſatis eſt colligi in cerebri ventriculis, vt Eraſtus ; aut potiùs corpore cerebri, vt ego : oportet ex cerebri corpore in neruos deferri, & per neruos in muſculos. Id ipſum per conſenſum fieri poteſt, non minus quàm in Epilepſia.

Platerus *in praxi*, vt & *in obſ.* coniungit cum Epilepſia.

CAPVT III.

Σπάσμα quid ſit?

ARgenterius, acriculus quidem ille, ſed non ſatis verſatus in armis, quæ contra Gal. expedit, *l.de Morb.gen.c.*13. accuſat illum, quòd *Conuulſionem* modò *Continui ſolutionem* faciat, & hac ratione morbum : modò *Motum deprauatum*, & ita ſymptoma. Defenſio vulgaris & vera eſt, Aliud eſſe σπασμὸν, *conuulſionem*, quæ ſymptoma eſt : aliud σπάσμα, *rupturam*, ſeu *ruptionem*

ruptionem (ſic enim vertam ego) quæ morbus eſt. Hanc differentiam cùm non obſeruarent Interpretes, coniecerunt Gal. in eam confuſionem, quæ ob oculos eſt. Argenterius verò, cùm Græca parum attenderet, ſcripſit Galeno dicam iniuſtam. Et qui ſunt Interpretes illi? inquis, & qui ſunt defenſores B
ipſius? Interpretes ſunt: Primus, Ioan. Guinterius, Andernacus dictus, *l. de Conſtit. art. 6. B.* & qui eum ſequitur Valleriola *Com. in d. librum.* Idem Andernacus patrat *2. κ. γέν. 19. E.* Secundus, Nicolaus Leonicenus, *de Diff. morb. 11. B.* & rurſus *de Cauſ. morb. 11. B.* item *1. ad Glauc. 1. C.* Tertius, Guilhelmus Copus, *3. Cauſ. ſympt. 4. H. 4. Loc. aff. 8. F.* Quartus, Leon. Fuchſius, *Cauſ. ſympt. l. c.* Quintus, Thomas Linacer, *eod. de Cauſ. ſympt. & 3. Meth. 1. 4. Meth. 1. A.* Sextus, Ianus Cornarius, *7. κ. τόπ. 5. D.* Septimus Vidus Vidius, *3. Art. 98.* Et Montanus quidem *5. de Morb. 28.* culpá tranſlatam cupit in τὰς παραδιορθώσεις, C
de Linacro exemplariter loquens. Ego verò ex Codice Latino Veneto anni 1527. (qui profitetur correctionem errorum in Pariſienſi commiſſorum, n. 2225.) oſtendo, nec ibi quid melius eſſe. Nam *3. Meth. 1. C.* τὸ σπάσμα bis eſt *Conuulſio.* Interim & hoc dicendum eſt, Linacrum fuiſſe varium in hoc negotio. Nam *2. Meth. 2. A. B.* ὁ σπασμὸς quidem eſt *Conuulſio:* τὸ σπάσμα autem *Conuulſum.* At *4. Meth. 1. B.* retinet Græcum. Ita Copus *in de Cauſ. ſympt. in codice Pariſienſi* 1527. τὸ σπάσμα *Conuulſionem* vertit. Et in *de Loc. aff. ib. eod. anno*, in ſecunda recognitione, vt loquitur, *Conuelluntur* habet. Et hæc quidem de Interpretibus, Conciliationis autores ſunt, Primus I. Alexandrinus, in Ant-Argentericis quidem *f. 15.* obſcurè: diſertè autem Notis D
in 6. Meth. 1. Secundus Fabius Pacius *Com. in 6. Meth. 1.* Tertius, Montanus *5. de Morbis 29.* Quartus, Maſſaria *1. Pract. 18.* Quintus, Sennertus noſter *Inſtit. l. 2. part. 1. c. 10.* His vnum locum *ex 5. Aph. 25.* opponit Solenander *in Apol.* pro Argenterio *f. 65.* ſed fruſtrà. Sed qualis eſt continui-ſolutio τὸ σπάσμα? & quarum partium? Non dubito mentem Gal. eſſe eruendam ex *3. Cauſ. ſympt. 4.* vbi tribuit toti generi neruoſo, cùm (inquam) vel neruus, vel ligamentum, vel muſculus cum ſuo tendine abrumpitur, dirũpiturve. Hic affectus cùm in palæſtris veterum frequentiſſimè accideret, atque adeò propterea inſtitutæ eſſent αἱ προγυμνασίαι, quàs obibant οἱ προγυμνάσται, *3. San* E
tu. 2. quà de præparatione ad exercitia, ſed fusè *4. Loc. aff. 8. F.* iure peculiare nomen habuit. Huius rupturæ illuſtre exemplum videris in muſculo, *2. Ex. Anat. 4. G.* De hoc quoque ſolo verba ſunt Gal. *3. Off. Med. 30.* τὰ δὲ σπάσματα περὶ τὰς ἶνας γίνεται τῶν μυῶν &c. Ego Coronidis loco illud addo, τὸ ῥῆγμα eſſe eundem in iiſdẽ partibus neruoſis affectum. Hoc probo ex iis locis, quibus per particulam coniunctiuam copulantur de more ſcilicet Græcorum illo iungendi τὰ ἰσοδυναμοῦντα, de quo, vt dixi, Not. in Gal. ſæpiculè. Sunt autem *4. Loc. aff. 8. F. 2. κ. γέν. 19. E. 7. κ. τόπ. 5. D.* Atque hi extra controuerſiam ſunt: in controuerſia eſt ille *3. Off. Med. 30. A.* vbi in vtroque codice Græco eſt monſtrum verbi τίλεγμα, quod Vidius iuxtà & Trincauellius rectè mutant in ῥήγματα, conſentiente Foëſio etiam in σπάσμα, qui alioquin F
in litem hanc immiſcere ſe noluit, ſtudio, vti credere lubet. Licèt autem

Montanus 5.*de Morb*.12. impugnet, & τίλματα velit: res tamen in idem recidit. Iam enim eò audaciæ progredior, vt dicam, Tria hæc, σπάσμα, ῥῆγμα, καὶ τίλμα idem ſignificare. Locus 6.*Meth*.1. vt reſpondeat cæteris, ita corrigendus eſſe videtur, σπάσμά τε καὶ ῥῆγμα, deletis illis, κατ' ἢ τοὺς μῦς ἕλκος. Ἕλκος enim locum habere heic poſſe quis credat, qui antecedentia rectè conſiderauit? Et quid ἶνες νευρώδεις aliud ſunt, quàm fibræ muſculorum?
G Alter ille 3.*Meth*.1. ita emendatur, ὥσπερ γε καὶ τὸ τραῦμα, καὶ τὸ ῥῆγμά τε καὶ τὸ σπάσμα, τὸ μὲν (τραῦμα) ἐν σαρκώδει μορίῳ διὰ τὸ τρωθῆναι γεγονός· τὸ δὲ ῥῆγμά τε καὶ τὸ σπάσμα χωρὶς τοῦ τρωθῆναι. Quis enim neſcit duo illa, τὸ μὲν, τὸ δὲ, dici de duobus affectibus tantùm. Quæ ſequuntur tralatitia ſunt; profecta quippe ab eo, qui conceptum imaginarium gemini affectus explicare volebat. At quomodo explicuit: Abſurdè & ineptè. Quei enim ſeorſim ponere poteſt carnem muſculi, & fibras eiuſdem? Hæc ſi ingrata alicui fuerint, dicat, Galenum in diſtinguendis nominibus non vbique accuratum fuiſſe, ídque more Maiorum, 3.*Art*.34.*&* 104.*C*.4.*Art*.16.*B*.2.*Fract*.66.*C*.

CAPVT IV.

Ἀπόσπασμα *quid?*

A IDem Argenterius *loco nuper dicto* Gal. apprehendit, quòd varius ſit in τῷ ἀπόσπασμα. Nam 4.*Meth*.1.*A*. ait eiuſdem generis eſſe cum ſpaſmate: ſed ſi ruptura ſit in ligamento. At *de Diff. morb*. 11. dicit eſſe in vniuerſum partium inſtrumentalium. Vt augeam difficultatem, 3.*Off*.*Med*.31. oſſium vult eſſe. Reſpondet I. Alexandrinus, tam in Ant-Argentericis *f*.15.*b*. quàm *Notis in* 9.*Sent*.*Hipp*.4.*in Meth*. preſsè accipi, & propriè: *in de Diff. morb*. latè & impropriè. Fuchſius *in Inſtit*. acceptat quidem latam illam ſignificationem de partibus *in de Diff. morb*. ſed repudiat ſpecificam de ligamento, legitque ibi διάσπασμα. Coſtæus *Not*. *in locum Meth*. ſequitur illum, &
B firmat ſe in illo διασπασθέντων alterius loci, *Off*.*Med*. Montanus 5.*de Morb*. 30. reprobata licentia illa emendandi aliquid in Autoribus, abſque fide Manuſcript. coniungit vtrumque locum, & ait, proprium quidem eſſe affectum ligamentorum: ſed quatenus ſolutio continui fit in partibus instrumẽtariis. Sed quid fit de loco *Off*.*Med*. Olim putaui, διάσπασμα non eſſe vocem Hipp. quòd Foëſius in cenſu illarum non habeat: ſed muto ſententiam. Gal. enim eo ipſo loco *Off*.*Med*. τὸ ἀπὸ explicat per τὸ διά. Et *in de Diff*.*morb*. διασπᾶται ὁ σύνδεσμος. Quin in nobili illa Curſoris hiſtoria 2.*Ex*. *Anat*.4. vtitur eodem διεσπάσθη. Non enim refert (Montanus hoc cauſatur) quòd διάσπασμα nullibi legatur. Cùm enim aliquid διασπᾶται, cur affectus non ſit
C διάσπασμα? Repeto ergo illud ex fine *ſup*.*cap*. Nec Gal. nec veterum quiſquam ſemper eſt accuratus in nominibus. Et quoties inclamat nos Gal. nomina negligamus, res proſequamur? Nunc addo ex eodem Montano

at

(at quanto Gal. amico !) illum in πολυλογίᾳ Aſiatica ſepiæ inſtar ſpargere atramenti quid. Vis certi quid ? Απόσπασμα καὶ διάσπασμα ſunt de genere τῶν σπασμάτων, vt Gal. loqui audiuimus. Et hoc ſatis eſſe poteſt ſopiendis omnibus iſtis difficultatibus. Et quid facit ad curationem, ſi ſingularum etiam partium ſinguli affectus ſingula habeant nomina ?

CAPVT V.

Κατ' ἴξιν *Hipp. quid ?*

LIbuit hæc mihi commentari inprimis propter Veſalium, qui vidit qui- A
dem *in Epiſt. ad Nicolum*, & alibi, explicari à Gal. per τὸ κατ' εὐθὺ,
ἢ εὐθυωρίαν, ἢ ἰσότητα : ſed cuius rei ſeu partis, nec vidit, nec videre voluit.
Interpretatur ille quidem dictæ Epiſt. *f.*19.*&* 27. de fibrarum conſenſu, re-
ctitudineque, vt loquitur *ibi* ; ſiue de trina dimenſione tam corporis , quàm
partium omnium, vti ſe explicat *in Exam. Obſ. Fall. f.* 81. verumtamen cre-
dere non vult Curtio (hunc enim nominat *in Ex.* cùm ſuppreſſiſſet nomen
*d. Ep. f.*24.) κατ' ἴξιν eſſe κατ' εὐθυωρίαν τοῦ πεπονθότος μορίου, veluti ſe explicat
Gal. 1. *Aph.*21. In hanc ſententiam tacitè fertur Veſalius , cùm ait , Apud
Hipp. corpus eſſe δίδυμον, *geminũ* adeoque dextra reſpondere dextris, ſiniſtra B
ſiniſtris: cõculcat verò iterum, cum inquit, Non ſequi, ſi corpus ſit geminum,
venas etiam dextras rectitudinem habere cum dextris. Heic quis non vi-
det, miſcere illum rectitudinem ſola imaginatione conceptam cum rectitu-
dine partium de qua Galenum explicare dixi ? Nec eſt, quòd in riſum ver-
tat negotium, adducta *f.*26. *d. Ep.* ſimilitudine veſtis textilis. Ita enim eſt,
Ratio ex Anatomicis petita deſtituit nos heic: at experientia firma , inde
vſque ab incunabulis Medicinæ petita, id planè cogit nos credere. Quæ ve-
rò illa ? Hæmorrhagiæ, factæ in dextræ partis affectu (v. g. inflammatio- C
ne hepatis) ex dextra nare, profuerunt ſemper : ex ſiniſtra, obfuerunt ſem-
per. Ita contra, è ſiniſtra nare ſiniſtris affectis (v. g. liene) profuere ſem-
per : ex dextra, obfuere, ſemper. Hinc adeò didicerunt poſteri Æſculapij ,
& vulgauit Hipp. Affecto v. g. hepate ſecandam eſſe venam dextri cubiti :
liene, ſiniſtri. Eadem eſt ratio oppoſitionum aliarum, ſuprà & infrà, ante &
retrò. Hæc qui locis ex Hipp. petitis fulcire volet, Suſium adeat *in opere de
Venis è directo ſecandis ex ſententia Curtij* (hanc & Manardus & Briſottus
defendunt) *libr.*3. *extr.* His intellectis iudicabit vnuſquiſque de decreto,
quod Veſalius *d. Ep. f.*56. *In omnibus laterum, thoracis, aut vertebrarum me-* D
*taphreni inflammationibus, ſi ſanguinis miſſionem affectus præſcribat, ſecandam
eſſe axillarem dextram.* Huius infirmitatem vel inde æſtimes licet, quòd ad
probandam rectitudinem ſuam opus habeat τῇ ἀζύγῳ dicta vena, quaſi θεῷ
τινι ἀπὸ μηχανῆς. Quid ? quod opus habet tot literis ; quot Mathematici in
demonſtrationibus linealibus, quas neſcio an ſatis tutò applicemus actioni-

bus Naturæ. Sed quid opus aliis? Ipſemet fatetur *f.64. Epiſt.* illam tumultuariam potiùs eſſe & confuſaneam, quàm accuratâ curâ ſcriptâ. Et hanc fuſiſſime
E peroſiſſiméq; refutare Iul. Alexandrinus *in App. Enantiomatis* 25. conatur: ſed ſcopum non attingit. Epidorpidis loco addo, propter autoritatē viri. Ill. Scaliger *Com. in l. de Inſomniis Hipp. apoteleſ.* 12. improbat, tam fibrarum rectitudinem, quàm partis affectæ, quamuis hoc poſterius diſertè non dicat. Probat autem primùm demonſtratione Mathematica ex Mechanicis petita, deinde experientiâ, ſecundam eſſe ſemper venam oppoſiti lateris, ab initio, inquam. Si non ſufficiat, addendam eſſe affecti lateris quoque. Hæc res quantâ cum contentione fuerit acta ſuperiori ſeculo (circa annum 1530.) patére poteſt ex gemina hiſtoria, quas Veſal. *d. Ep. f.* 51. *&* 52. narrat. In Hiſpania publico edicto inhibitum fuit Medicis, ne venam è directo ſecarent. Id natum fuerat hac occaſione. Cùm diu diſputaſſent inter ſe Salmanticenſes Medici, & victi fuiſſent, qui ex oppoſito latere ſe-
F care volebant: conqueſti ſunt illi apud Senatum Hiſpaniæ, Non minorem inferri hac ſectione corporibus humanis perniciem, quàm mortalium animis Lutherana ſchiſmata inferant. Senatus dictus, cùm morem illis accuſatoribus geſſiſſet, fuit res delata etiam ad Carolum V. Imp. vt ſcribit Veſalius: E' contrario, cùm Principi Pedemontano venam ſecuiſſent Medici, ex latere oppoſito, & mortuus eſſet, factâ ex pleuritide ſimplici, duplici, vt idem Veſ. loquitur: putârunt Aulici ex hac ſectione mortuum eſſe.

An fuit Carolus IX. de quo Puteus *l.5. Apol.* tã multa? Tẽpora non conueniũt.

CAPVT VI.

Ακρώμιον, ἐπωμὶς, κατακλεὶς.

A NVllus dubito, & ducit nos eò compoſitionis ratio, τὸ ἀκρώμιον eſſe idem, quòd ἡ ἐπωμὶς. Quare muſculus ὁ ἐπωμίδιος dictus (ita enim malo, quàm ἐπωμὶς ſimpliciter) qui δελτοειδὴς vulgò, poſſit etiam vocari τοῦ ἀκρωμίου, ἢ ἀκρωμίας (vtrumque enim reperitur) licèt loca oſtendere non poſſim. Cæterùm, autor eſt Gal. *l. de Oſſ.* 14. τὸ ἀκρώμιον ſignificare non tantùm ſummum humerum, aut potiùs ſummitatem humeri: ſed & os quoddam, quod clauiculas & ſcapulas, quà coniunguntur, interiacet, & propriè (ita enim puto κατακλεὶ) dicitur, quòd ſit κατὰ τὰς κλεῖδας, *ad clauiculas*, ſeu *clauicu-*
B *lis nexum.* Addit etiam, repetitque 13. *Vſ. p.* 11. *extr.* hoc os in ſolis hominibus eſſe, in ſimia non comparere. Et puto ego, reliquorum animalium, quæ clauiculas habent (ſciuri, muris & echini) eandem eſſe rationem. In his cùm mirificè ingenioſus eſſet Veſalius *l.1. Mag. Op. c.*21. opponit ſe Montanus 5. *de Morb.* 18. Verùm concedit illi tantùm, quantum nec poteſt, nec debet. Quid enim? Si veteres vſurpabant τὸ ἀκρώμιον in duplici ſignificatu, & Gal. accipit, modò in hoc, modò in illo: quid mali eſt ea in re? Quid verò facit huc, quod Montanus aſſuit, Anatomiam fuiſſe tum temporis rudiorem

diorem, vt necesse sit Galenum ignorasse quædam? Quid illud etiam, ex duabus opinionibus prætulisse illam, quæ τὸ ἀκρώμιον accipit pro coniunctione clauicularum cum scapulis? Nulla heic Gal. ignorantia est, cùm dicat tantùm, quid veteres in more habuerint. Et 5. *Ex. Anat.* 2. *B.* habet in C
priori significato, vt & in illo 13. *Vs.p.* Hac in parte autores habuit Hipp. & Rufum, vt ex cit. à Foësio *loc. in Oecon. patet.* Idem Hipp. 1. *Art.* 62. vt & Eudemus apud Rufum 1. *Appell.* 9. (quamuis prioris etiam significationis ibi sit mentio) accipit pro peculiari ossiculo. Hos si Gal. sequitur, quid mali est inde? dico iterum. Quod verò admiratione dignum est, Vesalium tam obnixè agere hoc, vt probet, cartilaginem esse, non os! Dico enim, vtrumque est. Huius rei fidem ceperis è diligentiss. Eustachij *Exam. Oss. f.* 175. *In pueris*, inquit, *exactissima profectò cartilago est, quæ licèt ætate procedente euadat ossea: nihilominus, vt ferè semper obseruo, vsque ad annum* 18. *contra mo-* D
rem cæterorum ossium, multùm eius substantiæ (cartil.) retinet, & nunquam cum scapulæ spina ita connascitur, vt in media ætate, paruâ occasione (quemadmodum Galeno in palæstra contigit) *luxari non possit.* Hæc ipsa verba (sed suppresso autoris nomine) Riolanus habet 5. *Anthrop.* 50. qui de *Oss.* 20. *Art. l.c.*
peculiariter refutat Vesalium. Quò loci non videtur mihi satis cautus esse, cùm Montanum ait frustra laborasse. Cùm enim Montanus cupiat hoc tantùm obtinere, os cartilaginosum esse; Eustachij autem sensus planè is sit: quo modo non dixit, quod res est? Sed neque in sententia Syluij declaranda videtur scopum attigisse. Quo enim modo inclinat in Vesalij opi- E
nionem? vel ideò, quia Syluius longùm decantat illud suum nimis familia- *Cal. 13.*
re ᾆσμα, vt Henerus loquitur, In veterum corporibus fuisse, quod in nostris non sit? Sed iam pudet me tenuissimarum velitationum. Tamen si quis plura velit, adeat Fallop. 1. *Obs.* 24. & Vesal. in *Ex. f.* 40. 41. & 56. & hoc tandem discat, quod alibi etiam professus sum, Veteres non fuisse concordes in talibus. Ideò Bauh. etiam 2. *Theat.* 31. *in marg.* bis ait, Gal. loqui ex aliena sententia.

CAPVT VII.

Παραστάται ἀδενοειδεῖς καὶ κιρσοειδεῖς Vbi?

ET obscuritatum, & accusationum tantus heic est cumulus, vt me quo- A
que obruerit *Com. in* 14. *Vs. part.* 11. Ita enim rem se habere postea didici, & ad hanc normam dirigendi sunt loci tam veterum, quàm recentiorum Anatomicorum. Apud Arist. 1. *Gen.* 6. duplex est ἐπαναδίπλωσις vasorum spermaticorum in viris, Altera in ipso testis vtriusque capite, atque ita in scroto, prior & superior naturæ ordine: altera ad radicem penis, & ita in abdomine, posterior & inferior eâdem consideratione. His cùm Herophilus vellet accommodatam vocem Hippocraticam παραστάτης, simúlque distin-

B ctas suis agnominibus, alteram quidem vocauit παραστάτην ἀδενοειδῆ, aut, quia vtrinque duo sunt, παραστάτας ἀδενοειδεῖς: alteram autem παραστάτην κιρσοειδῆ, ἢ παραστάτας κιρσοειδεῖς.

Hæ appellationes plerisque autorum locis, ita sunt confusæ, vt tu certò dicere non possis, Vtra appellatio vtri parti propria sit? Mihi integer mansisse videtur locus iam allatus, B, vel ideò, quia apud Rufum 2. *Appell*.14. eodem modo se res habet. Παραστάται ἀδενοειδεῖς sunt superiores, & testibus incubant. Hoc probo argumento infallibili, quia iidem ab eodem (ni fallor) Herophilo dicuntur ἐπιδιδυμὶς, ἢ ἐπιδιδυμίδες. Testes enim cùm appellasset διδύμους, *de Vs. p. l. c.* corpora immediatè illis incumbentia nomina-
C uit ἐπιδιδυμίδας, *q. d. Super-testes*, non autem *Supergeminales*, vt Interpretes quidam. Atque heic, non inferiùs, sunt ἕλικες illæ, de quibus multoties Gal. Vasa, inquam, spermatica sunt intorta in modum pampinorum vitis, & quidem tam multiformiter, vt, si in rectum dirigere velis, propensura sint ad genua vsque, veluti Gal. loquitur. Quamobrem hos ipsos vocare etiam possis παραστάτας ἑλικοειδεῖς.

Παραστάται κιρσοειδεῖς sunt inferiores, ad radicem scilicet penis. Hoc probo iterum argumento infallibili, quia heic, non ibi, sunt κιρσοὶ, *varices*, vesicæ (inquam) seminariæ dictæ, quibus video peculiariter tribui à quibusdam appellationem. Hac de re dicendum iterum fuerit mihi *lib*.2.

C A P V T VIII.

οἱ βλαισοὶ, *& his oppositi* οἱ ῥοιβοὶ *qui?*

A NOn minùs heic turbarum est, quæ me quoque in auia rapuerunt *Com. in* 3. *Vs. part*.9. A quibus vti me expediam, de vocibus ipsis hoc præmoneo, Τοὺς βλαισοὺς quidem dici etiam βλαισοὺς, non autem βλεσοὺς· τοὺς ῥοιβοὺς autem etiam ῥοικοὺς, non autem ῥαιβοὺς, quamuis codicibus MS. etiam inoleuerit error. Iidem etiam κυλλοὶ vocantur. De his certum est, laborare duobus contrariis genuum vitiis, in quorum altero versùs interiora ita torquentur, vt in ambulando penè contingant se; in altero contrà versùs exteriora: sed quod nomen alterutrius affectûs sit proprium, in ambiguo est.
B Nunc persuasus sum, τοὺς βλαισοὺς (in propria & pressa significatione) esse illos, quibus ad interiora vertuntur genua: τοὺς ῥοιβοὺς ἢ ῥοικοὺς illos, quibus ad exteriora. Apud Latinos res non minus in obscuro est, vtri vel *Vari*, vel *Valgi* (qui etiam *Vatiæ* dicuntur) appellandi sint? Ita autem determino post diligentiorem locorum considerationem. Οἱ βλαισοὶ in lata quidem significatione sunt tam *Vari*, quàm *Valgi*: in pressa autem & propria, *Valgi* tantùm.
An hi Pansa sunt. Propterea οἱ ῥοιβοὶ iam indubitatò sunt *Vari*. Noto illud etiam, ῥαιβοὺς dici quoque illos, quibus crura tota naturaliter aliquantulùm sunt intorta ver-

sùs

ſùs exteriora, quíque creduntur firmiùs ambulare. Vide Notas *in Gal. de Cauſ.morb.*7. 3. *Off.Med.*31. 3. *Art.*87. 4. *Art.*8.

CAPVT IX.

Αἱ κορῶναι, *oſsium proceſſus quales?*

PRincipio hoc ſciendum eſt, quòd Gal. quatuor locis ſcribit, (*Proœ. l. de Oſſ. C.F.* 2. *Vſ. part.*14. 3.*Fract.*54. 2.*Art.*4. *B.*) dici & ἡ κορώνη & τὸ κορωνὸν. De his non conſentit ſibi idem. Nam *in de Vſ. p.* περιφερεῖς, *rotundas* eſſe ait: at in *de Oſſ.* ὀξεῖς, *acutas.* Quod ad priorem locum *de Oſſ. C.* rectè Galenum exculpat Fall. *Com. in d. l. cap.* 11. eſſe, quod Græci dicunt, ὑποδιεσκευασμένον, *ſpurium, ab aliis adiectum.* Tu puta, à Balamio Int. Nam & Syluius & Ingraſſias extra culpam ſunt. Interim videri poſſit, Balamium accepiſſe id, ex altero loco F, vbi expreſsè dicitur. Et quei fit, quòd Syluius *in Com.* ne meminit quidem huius diſſenſus? Veſalius 1. *Mag. Op.*3. exempla colligit, quibus diſcordia illa demonſtratur. Idem in *Ep. de China, f.* 47. cauſam quidem dicit, Cur Gal. τὰς κορώνας dixerit ὀξεῖς, vid. quod in canibus ſpectarit & ſimiis: at quomodo ſimul poſſint eſſe περιφερεῖς, non dicit. Teneo ego, quod non ita pridem dixi, latiùs autem deduxi *l. de Similaribus cap.*17. Veteres non fuiſſe concordes in his talibus, ideò mirum non eſſe, ſi Gal. modò cum his loquatur, modò cum illis. Huc tendit Euſtachius quoque *Exam. Oſſ. fol.* 187. *& ſeq.* Aliam excuſationem tibi ſuppeditabunt Notæ *in l. de Oſſ.* aliam Riol. *Com. in d. l. c.*23. A B

CAPVT X.

Τὸ πυῤῥὸν *qualis ſit color?*

SI quidquam in Phyſicis difficile eſt, illud eſt, Quomodo Natura miſceat colores? Sed aſſequatur aliquis: non minus difficile eſt rectè diſtinguere nomina, quibus autores vſi ſunt. Queſtus ea de re ſum *Notis in Gal.*12. *Meth.* 4. 2. κ. γέν. 1. & dubito etiamnum, An quiſquam eorum, qui de Coloribus ſcripſerunt, ſcopum aſſecutus ſit? Oſtendam id nunc vno hoc exemplo. Agens Gal. cum Hipp. 1. *in* 6. *Epid.* 6. *E.* de ψαμμίοις πυῤῥοῖς, diuertit ad οὖρα πυῤῥὰ, & dicit, Practicos diligentiores ὑποστάσεις quaſdam vrinarum vocare ὀροβοειδεῖς; quaſdam σιδηρεγχώδεις; quaſdam ὄντως πυῤῥάς. Vnde hoc primùm intelligitur, τὸ ὀροβοειδὲς pertinere ad colorem ſedimenti, quemadmodum etiam pertinet 5. *in* 6. *Epid.*15. Et hoc Foëſius non animaduertit. Deinde & hoc, Galenum loqui de Sandaracha Græcorum, non autem Arabum, quæ ipſa in Off. noſtris proſtat, & creditur eſſe gummi iuniperi. Hæc A B

7. *Epid.* 59. apud Vall. ſunt & ὑποστάσεις

Græcorum

ὀροβοειδεῖς, vbi minus rectè ad *Ervi loturam* refert ille.

Græcorum Sandaracha, quia est apud Diosc. κατακορῆ πυῤῥὰ, *ad satietatem rufa*, adeóque κινναβαρίζει, *cinnabaris colorem æmulatur*, vti vertit siue Cerutus, siue Chioccus in Muséo Calceolarij; necesse est longè sit vltra *orobi* seu *ervi* colorem. Is enim apud Gal. 1. *Alim.* 29. ἀφίσαται πρὸς τὸ ξανθὸν καὶ ὠχρὸν, *vergit flauum aut pallidum versus*. Quò reduci vt possit cinnabaris color, puC to accipiendum esse, non de crudo, siue ille natiuus sit, siue factitius: sed de diluto vel aqua, vel oleo. Tum demum enim habet flauedinis aliquid. Rursùs, cùm vtrisque coloribus (*orobi & Sandarachæ.*) Opponat τὸ ὄντως πυῤῥὸν: verisimile est τὸ πυῤῥὸν propriè dictum in longè vlteriori gradu esse, Iam ergo τοῦ πυῤῥοῦ tres sunt differentiæ, de quibus cogitent οἱ ἐπιμελέστεροι dicti à Gal.

CAPVT XI.

Καθιστάμενα, καθεστηκότα, καθιστάς.

A QVia diligentiss. Foësio non satis fuit heic industriæ: subibo ego oneri, tanquam Atlas minor, & conabor dicere, quod res est. Proferam autem primo loco, quæ certi sensus sunt. 3. *Aph.* 8. καιροὶ καθεστῶτες sunt, ὅταν ὡραῖα ὡραίως ἀποδίδοται, *Cùm tempora sunt tempora*, hoc est, *cùm singulæ anni partes retinent natiuam suam tēperiem.* His opponuntur καιροὶ ἀκατάστατοι, *cùm tempora non sunt tempora*. 1. Aph. 13. οἱ καθεστηκότες dicuntur ij, qui sunt ἐν μέσῳ ἀκμῆς τε καὶ γήρως, hoc est, *qui viribus sibi semper similes sunt, cùm neque augmentum capiant, vt in adolescentibus fit, neque decrementum, vt in seni-*

B *bus*. Hinc occasionem capto quærendi, Quid sint οὖρα καθιστάμενα, ἢ μὴ καθιστάμενα? Foës. vult, *Subsidentia, aut non subsidentia.* At quo modo, mi vir? Si enim τὰ ἀκατάστατα (sunt hæc eadem cum τοῖς μὴ καθισταμένοις, vt simplicioribus consulam) 4. *Acut.* 52. sunt ipsomet indice, ἀνόμοια πρὸς ἄλληλα, τουτέστι, μὴ διασώζοντα τὴν ἰδέαν μίαν ἀκριβῶς, *dissimilia, si inuicem conferantur, hoc est, non seruantia exquisitè vnam, candémque idéam*: quo modo τὰ καθιστάμενα sunt *subsidentia*? Censeo igitur τὰ ἀκατάστατα, ἢ μὴ καθιστάμενα οὖρα esse *Vrinas illas, quæ instabiles sunt, hodiè tales, cras aliæ in consistentia, colore,*

C *sedimento, alius fortè, siue bonæ illæ sint, siue malæ, siue mediocres.* Contrà τὰ καθιστάμενα, quæ his opponuntur. Quare & illud, οὐ καθίστατο, aut, vt aliàs loquitur Hipp. οὐχ ἵδρυτο, non possum exponere cum Interp. *Non subsidebant*: sed potiùs *Non consistebant*, hoc est, *non erant vsquequaque sibi similes.* Et voluit hoc Epicles, quem Erotianus accusat, Foësius defendit. Ἵδρυτο, inquit, κατέστη εὐσταθῶς, *vrinæ firmam quandam constitutionem nactæ sunt.* Iam igitur οὖρα μὴ καθιστάμενα 4. *Aph.* 70. erunt, *quæcunque sunt non semper turbidæ: sed modò quidem turbidæ, modò non, modò tales, modò aliæ.* Tales quoque sunt illæ 1. *Epid.* in prima tempestate, *Neque constanter turbidæ, neque quidquam sedimenti habentes, aut si omnino bis, térve turbidæ erant, sedimentive*

Hunc sensū exsculpo ex ipso Gal. & contra Vall. 1. *Contr.* 8. dico, Vocē hanc idē significare in morbis & ætatib. hominum Idipsum de ætatibus confirmat locus Hipp. à Vall. *ibi* laudatus. Vide amplius *l.* 2. quà de Calido natiuo.

tive aliquid habebant: ſubitò iterum aqueæ & crudæ, cum aliis malitiæ notis, cum ſedimento peſſimo. Ex his intelligitur, Quæ ſint *craſſæ illæ, albæ, turbidæ, quales ἐκ τῶν καθισαμένων, vbi diutiùs in matula ſteterint, fiunt?* Non ſimpliciter *ſimiles illis, quæ ſubſederunt:* ſed illis, quæ *corruptæ ſunt diutinâ in aëre externo morâ, cùm aliàs καθιστάμεναι, conſtantes eſſent.* Ita 1. *in* 1. *Epid.* 26. cùm Hipp. dixiſſet pænè eadem, Gal. ſubiungit, Ἐμάθομεν, καὶ τὰ ἑξ. & claudit in hunc modum, καὶ τοῦτο συμβαίνει, διὰ τὸ μὴ καλῶς καθίστασθαι, *hoc accidit, quod* E
tales vrinæ non bene conſtitutæ ſeu firmatæ ſint. Hoc ipſum vnde ſit, ſi ſcire cupias, dicet tibi Gal. *Accidit hoc in iis febribus, in quibus calor eſt multus, flammeúſque, quo agente craſſi & crudi humores ebulliunt, & fermentantur.* Quamobrem in poſterum cautiores erunt Medici, neque credent ſe Interp. qui confundunt τὰ καθιστάμενα καὶ τὰ ὑφιστάμενα! Et quomodo τὸ καθίστασθαι poſſit eſſe eiuſdem notionis cum τῷ ὑφίστασθαι? Hinc obiter intelligitur, Vrinas craſſas & turbidas, non eſſe illas, quæ ob moram in aëre frigido iam corruptæ ſunt, & quas ſolemus ad ignem, aut in aqua calida corrigere: ſed quæ tales exeunt. Nam & poſtquam recaluerunt, de craſſitie & tenuitate illarum iudicium ferimus.

CAPVT XII.

Ὀξύθυμοι, θυμώδεις.

QVi non diſtinguunt hæc duo vocabula, turbant multa, adeóque in- A
duunt ſe in difficultates, quibus pares non ſunt. Ὀξύθυμοι dici debent *Iracundi*, & ſunt illi, qui ſtatim in fermento ſunt, ob rem etiam leuiculam. Horum igitur calor cùm facilè vincatur, & ideo minor ſit, dicuntur tales temperamenti eſſe frigidi. Θυμώδεις dici debent *Animoſi*, & ſunt illi, qui non facilè commouentur ad iram, nec facilè ad arma prouolant, niſi atrox ſit iniuria. Horum calor cùm non facilè vincatur, dicuntur eſſe calidi temperamenti. Hæc animaduerſio debetur Valleſio *in Loc. pugn.* & conſtituit apud Lacunam *Contrad.* 10. In eandem rem multa congerit Rorarius *Contrad.* 85.

CAPVT XIII.

Στύφον, αὐστηρὸν, καὶ στρυφνόν.

COnſtans alioquin in hac ſententia eſt Gal. 1. *Alim.* 1. 2. *Meth.* 7. *D. &* A
alibi, τὸ στύφον quidem eſſe genericum, & ſignificare omne adſtringens: reliqua duo differre inter ſe ſecundùm magis & minùs: τὸ αὐστηρὸν enim ſignificare adſtringens mediocre: τὸ στρυφνὸν valde intenſum. Contrà it tamen lo-

cus 5. κ. γέν. 2. *F*. quem ob id ita corrigo. Tu censoria virgula vtéris. Τὰ δ' ἰσχυρὰ ταῦτα διπλῆν ἔχει δύναμίν τε καὶ ποιότητα, ἔνια μὲν αὐστηρὰν ἔνια δὲ στρυφνήν. διὰ τοῦτ' οὖν τῶν μὲν μετρίαν ἐχόντων δύναμιν στυπτικὴν ἔμιξεν τὴν κηκίδα, τῶν δ' ἰσχυρῶς στυφόντων τὴν στυπτηρίαν. Vide I. Alexandrinum *Enant*. 42.

CAPVT XIV.

Οἱ εἰσαγόμενοι *qui sint?*

A TYrones quidem dici hos ab Interpretibus patior tantisper: verùm de ipsa re longè aliter sentio. Persuasus enim sum opponi τοῖς πεπαιδευμένοις, & esse eosdem cum τοῖς ὀψιμαθέσι καὶ σκαιοῖς. Singula hæc dum deduco, quæso te, quisquis es, da te mihi facilem. Quod ad τὸν πεπαιδευμένον, eique oppositum τὸν ἀπαίδευτον, hoc ab initio moneo, Non accipere me in lata illa significatione, in qua Galenus accipi ait 2. *Ex. Anat*. 1. *B*, & quã apud Ciceronem, Varronem, alios ostendunt viri docti, cùm illis, vel de *Humanis*, iisdémque *Doctis* sermo est, vel de *Barbaris* & *Immanibus*: sed in pressa, quàm ita induco. Nemini, credo, obscurum est, fuisse quondam
B apud Græcos & Romanos πρώτην τινὰ παιδείαν, ἣν οἱ παῖδες ἀπ' ἀρχῆς ἐπαιδεύοντο, *primam quandam institutionem, qua pueri erudiebantur ab initio*, vt loquitur Galenus *Procem. l. de Lib. propr. A*. Intelligo autem de anno ætatis quinto, vel sexto, circa quod ferè tempus ratio illis constat: omninò, fiebat hoc, antequam studio alicui grauiori adhiberentur. Hoc 10. *Vs. part*. 12. *C*. est νομίμως πεπαιδεῦσθαι, *legitimè institutum esse*. Cæterùm, in quibus instituebantur pueri, dicebantur μαθήματα vel πρῶτα, *disciplinæ primæ*, 2. *Diff. pulf*. 6. *G*. 2. *Prog*. 4. *Præf. in Gloss*. *G*. vel παιδικά, *pueriles*, *Diff. pulf. l.c. M*. 1. *in* 3. *Epid*. 4. *L*. Si modò admittitur correctio mea, de qua
C *in Notis*. Qui ita instituebantur, dicebantur posteà πεπαιδευμένοι, vt est, non apud Gal. tantùm, *Diff symp*. 1. *C*. 1. *Prog. Præf. alt. H*. & alibi: sed & Arist. *in Polit*. vt deduco 5. *Var. Lect*. 30. & cùm primò mitterentur ad Grammaticos, Grammatistásve, statim heic quæstio incidit, Differántne hi à se inuicem, & in quibus? Docuit id CL. SCIPIO GENTILIS, amicus & collega olim noster, 1. *Parerg*. 1. Ego primùm ex Galeno *in Exhort. G*. ostendo differre. Deinde ex Paulo *l*. 1. *c*. 15. doceo, Grammatistas (quos *Literatores*, seu *Literiones* per contemtum, ni fallor, vocabant Latini: cùm Grammaticos *Literatos* & *Criticos* vocarent) reuera fuisse omnium primos, ad quos ablegabant pueros iuxtà & puellas sexennes, & præterpropter. Vnde colligo, operam illorum consumtam fuisse ferè in legendo & scri-
D bendo: cæterùm, quia durabant ibi per sexennium, puto explicata fuisse ab his etiam præcepta Grammatica. Quod enim dicendum heic est, Etiam in materna lingua discebant τεχνικὰ illa, Hoc est Nomen, hoc est Verbum, hoc est singulare, hoc Plurale, hic est Nominatiuus &c. Si coniecturæ locus est,

docebant

docebant hi etiam Arithmeticam, quatenus seruit rei familiari. Exacto hoc
sexennio, itabant ad Grammaticos, quos fuisse eosdem cum Rhetoribus, pu-
to probare me posse ex Galeno *l. c. de Libr. prop.* Hi diligenter explicabant
vocum proprietates, tam illarum, quæ πολιτικαὶ dicebantur, *in vulgus vsur-
patæ:* quàm illarum, quæ Poëtis & Oratoribus propriæ sunt, 1. *Art.* 69. 3.
in 1. *Epid.* 4. *Libr. prop.* 18. qua de re legeris Turnebum 24. *Aduers.* 5. Pho-
tium *in Bibl. num.* 141. *& seq.* Hinc 1. *Meth.* 5. *F.* reprehenditur tanquam E
ὀψιμαθὴς ille, qui distinguebat inter μέρος καὶ μόριον. Et Progn. loco proximè
allato Prodicus incessitur, quòd molestus esset τοῖς πεπαιδευμένοις innouan-
do nomina. Hi, vt autor est Seruius *in Eclog.* 4. *Virg.* vnà cum Poëtis &
Historicis explicabant Philosophos quoque. Intelligo autem per Philoso-
phiam heic Logica & Mathematica, vt hodie loquimur: τὴν γεωμετρίαν, καὶ
τὴν μέθοδον ἀποδεικτικὴν, vt Gal. loqueretur. Non minùs enim de Logicis
dici potest, & dicitur, vt puto, 1. *Alim.* 1. *B.* quàm de Mathematicis, θήγειν
τὸν λογισμὸν, ἢ ψυχὴν, *Acuere ingenium,* 1. *Cogn. & cur. aff.* 2. *C.* De Mathe-
maticis multa tibi dicet Alexander *Præf. in Priora:* de Logicis hoc ego tan- F
tùm, quod Gal. sæpe. Qui in illis instituti sunt, possunt ἔμπειροι τῷ λόγῳ, quod
idem est ac si diceret, possunt συλλογίζεσθαι, *sciunt*, inquam, *quid ex quo sequa-
tur, aut non sequatur.* His oppositos Scholiastes Aristophanis vocat ἀμαθεῖς,
ἀπαρακολούθους, *Indoctos, & qui conclusiones ritè facere non possunt.* Taliter in-
stituti dicebantur, (vt innui modò) πεπαιδευμένοι, & cum fructu adhibeban-
tur posteà grauioribus studiis. Taliter institutus à patre GALENVS adhibi-
bitus fuit Medicinæ, peculiari ad id somnio compulso, vt legimus *l. de Libr.
prop.* 11. *B. de Ord. Libr. suor. M.* 1. *Cur. & cog. aff.* 8. *F.*

Atque hoc primum est: à quo antequam perueniatur ad alterum, de
Medicina peculiariter sciendum est, & testatur ea de re Gal. 2. *Ex. Anat.* 1.
A. Inter προπαιδεύματα (sic enim vocabant) ipsius fuisse etiam exercitia Ana-
tomica, quamdiu ars in familia Asclepiadéa fuit. Ita loquor. Vt enim apud G
Arist. distincti sunt libri *de Hist. anim. & Partib. eorundem*, & apud Gal.
alij sunt libri de Exercitiis circa corporis humani Anatomiam, alij de Vsu,
actioneque partium: ita in vniuersum hæc distincta erant. Pueri enim παῖ-
δες ἰατρῶν ideò dicti, domi discebant historiam, agebántque cum illis præ-
ceptores δεικτικῶς, *intento digito, Hoc est hoc:* at vsum & alia discebant in
publicis lectionibus, vt hodie loqui solemus. Durante hac consuetudine,
inquit Gal. *in de Exerc.* non erat opus libris de Anatomia historicis: ideò
nulli etiam scripti erant. Non magis enim metuebatur obliuio eorum, quæ
viderant, quàm primorum in Grãmatica elementorum, legendi dico & scri-
bẽdi. At postquã publicata fuit ars (ab Hipp. vt ego credo) & communicata H
aliis ἔξω τοῦ γένους, *extra familiam Asclepiadéam,* de *Ex. l. c.* ἀνδράσι τελείοις,
οὓς ἐτίμησαν ἀρετῆς ἕνεκα, *adultis, seu viris iam factis, quos propter virtutem
in honore habebant:* necessariò infeliciores erant discentes, adeoque opus
fuit scriptis libris. Scripsit autem primus Diocles Carystius, iterum *Ex. l. c.*
qui paulò post Hipp. vixit, *Anat. vt.* 10. *D.* Miror autem Galenum non

De Hipp. & Arist decretis c.1.

nominasse Arist. non tam quia ille à puero fuit ita institutus, non quidem ab ipso Hipp. vt Bassus putat, siquidem tritauus ipsius fuit, sed à patre Nicomacho: quàm quia *in Hist.anim.* Anatomica habet! Quidquid sit, qui
I Asclepiadéi non erant, & volebant tamen Medici fieri, ij vocabantur εἰσαγόμενοι, non *Introducti*, si Latinum velis, sed *Admissi* seu, *Admissitity*. Quorum plerique, vtpote prouectiores ætate, cùm nollent artem tam longam à fundamentis discere, satis habebant legisse tractatus quosdam breuiculos, in quibus τὸ ὅτι tantùm exponebatur (& quidem παχυλῶς vtplurimùm) prætermisso τοῦ διότι. Hoc modo cùm duplex docendi Medicinam genus esset, alterum succinctum & breue, quod fiebat per compendia, vt hodie vocamus; alterum fusum & demonstrationibus munitum, quod διεξοδικὸν ἢ κατὰ διέξοδον vocat Gal. & quod solùm facit perfectè doctos, 3.*Off. Med.*17. 1. *in*3. *Epid.* 4. *EE.* 6. κ. τόπ. 1. *A.* in *Synopsi puls.*1. 1. *Alim.*1. *FF.*
K illis quidem mansit τῶν εἰσαγομένων nomen; hi autem soli, & meritò, dicebantur Medici. In hanc compendiariam doctrinam, eiúsque sectatores quasi digitum intendens Gal.2.*Cris.*8. *A.* inquit, *plerique hominum hoc admirandi habent, quòd pauca velint discere, omnia tamen scire videri.*

In eandem rem grauissimus est locus *eiusd., Op.l.*3. *c.*8. vbi sophistas vocat eos, qui, cùm veram prædicendarum crisium rationem non didicerint, sed nec discere velint, insurgant contra principia, ex quibus crises dependent, & cauillentur. Quin tu (videtur mihi dicere velle) siquidem physicus non es, artémque à fundamentis discere non vis, aut non potes, accipis tantùm à me signa, è quibus prædictiones pendent, &c. quæ vide, sodes,
L non pigebit. Et huc pertinere mihi videtur, quod 4.*in* 6. *Epid.* 27. *A. B.* ait, Rem scire (τὸ ὅτι) interest omnium Medicorum: sed causam (τὸ διότι) optimorum tantùm. Quo loco nescio annon Empiricos vocet omnes illos, qui τὸ ὅτι tantùm nôrunt! Huc quoque arcessi possunt, quæ *l. de Ord. Libr. suor.* memorat. Cùm enim multa dixisset de studio sectarum deponendo, & Veritatem solam amplectendo, tandem F. se, suósque libros iubet intueri, vt, si omninò non posset quis tam multa discere, faciat solùm, quod se facere videat. Vbi notandum venit, quod sibi ipsi obiicit, Atqui hoc modo agam ex opinione, non ex scientia? Ad actionem, inquit, non refert. Hoc enim vetus dictum habet, *Opinio scientiâ non est inferior, licet non adsit so-*
M *liditas illa quæ in scientia est.* Ita enim nunc expono verba perquàm obscura.

Ex his (non enim opus est pluribus) iudicauerit aliquis, Rectène, an secus τοὺς εἰσαγομένους vocarim alicubi *Semidoctos?* quomodo scilicet Gal. *in Meth.* appellat quosdam *Semidogmaticos?* Vt iam concludere liceat, τοὺς εἰσαγομένους non procul abesse ἀπὸ τοῖς ὀψιμαθέσι, si non prorsus iidem sunt. Certè in effectu ovum ovo similius nón est. Hanc in rem iuvat expendere nobilem locum 2.*Cris.*3. *A.* vbi dicit, *Antequam quis occupetur in volvendis autoribus, opus esse* εἰσαγωγῇ *quadam.* Quasi diceret, Omnes, qui artem hanc discere volunt, debere ab initio σκιαγραφίαν quandam totius negotij in animo circumferre.

circumferre. Hoc verò εἰσάγειν non est illud, de quo agimus. Competit N
enim perfectis etiam: at hoc imperfectis tantùm. Et hanc profitentur εἰσαγωγὴν libri apud Gal. Isagogici: non autem illam, quæ *Semidoctos* facit. Hos ergo eosdem esse cum ὀψιμαθέσι, ostendit vox ipsa, quæ *Serodiscentes* nobis indicat, tu puta, qui non à primis pueritiæ annis sunt instituti ad id, nec habent alas illas, quibus opus est, si quis in cœlum subvolare velit, hoc est, solidam laudem ex arte aliqua acquirere. Has alas Arcesilaus apud Laërtium vocat ansas Philosophiæ, quamvis Gal. 2. *Diff. puls.9. D.* dixisse illum referat, *Nemo vellus ad fullonem portat.* Est enim, inquit Gal. ordo lanificij, non minus ac institutionis disciplinarum. Hi ipsi
vocabantur etiam ἀπαίδευτοι, *indocti*, respectu, inquam, primæ illius in Lo- O
gicis præcipuè institutionis, ob quam 12. *Vs. part.6. C.* vocat βεβήλους τῆς ἀποδεικτικῆς μεθόδου, *profanos seu non initiatos in methodo Apodictica, asinos ad lyram, indignos, qui legant libros suos.* Eosdem misericordia potiùs, quàm odio dignos esse censet 3. *Vs. part.10. B.* Iidem multis locis (2. *Fac. nat.9. Q.* 2. *Diff. puls.6. K.* 2. *Diffic. resp.5. extr.*3. *Progn.*18. 1. *Meth.2. A.* & alibi) dicuntur σκαιοὶ, & Latinis dici debent, non *Sinistri*, non *Plumbei*, non *Inepti*: sed vel *Malè instituti*, vel *Rudes, Imperitive*, subintellige, demonstrationum. Huius generis fuit Thessalus Trallianus, sectâ Methodicus, quem σκαιότατον vocat Galenus 5. *Symp.* 13. *extr.* & Methodi *l. c.* mirificè exagitat, in textrina paterna inter lanifices altum esse, &c. Fuerunt studio-
sorum plerique in Academia Alexandrina Ægypti, à gregibus & armentis P
venientes ad Medicinam, 1. *in* 6. *Epid.2. C.* Fuerunt etiam Professorum ibi plerique; quippe Anatomica docentes, cùm Anatomiam nullam spectarint, 2. *Ex. Anat.* 3. *C.* Hos sophistas vocat Galenus, & multoties in ipsos invehitur. Sufficiat attulisse vnum & alterum locum. 2. *Diff. puls.6. M.* ait, illos παρεπιδεικνύειν ὀψιμαθῶς, *falsis vti demonstrationibus, more illorum, qui non ritè instituti sunt.* Est enim (vt hoc obiter dicam) τὸ παραποδεικνύειν, καὶ παραπόδειξις (ita enim malo) id, quod apud Arist. ψευδογραφεῖν, καὶ ψευδογράφημα, *vti*, inquam, *falso syllogismo, loco Apodictici.* Tales cùm sint, inquit 2. *Fac. nat.2. C. An sanguis 5. A.* nihilominus in disputando pertinaces sunt, & nun-
quam tacent, similes malis luctatoribus, qui etiam prostrati victos tamen Q
se non fatentur. Iidem semper aliquid dicunt, etiamsi aliò pertineat, 2. *Dig. puls.3. N.* Et hoc fortassis est, quod Aëtius ait *l.9. c.37.* πάντων ἐπιμιμνήσκειν ὀψιμαθὲς, hoc est, vt ego intelligo, *Omnia omnibus locis inculcare, eorum est, qui malè instituti sunt.* Ita Gellius *l.11. c.17.* Vitium seræ eruditionis, (ὀψιμαθίαν Græci appellant,) vt, quod nunquam didiceris, diu ignoraveris, cùm id scire aliquando cœperis, magni facias, quo in loco cumque, & quacunque in re dicere. Hinc Cic. *in Ep. ad Pætum*: ὀψιμαθεῖ: *homines quàm insolentes sint scis!* Huius autoritate, credo, Ill. Casaubonus *in Charact.*
Theoph. fine, ὀψιμαθίαν interpretatur *Insolentiam.* Sed profectò locus ipse R
longè aliud docet. Mihi Corollarij loco hæc libet subiungere. Apud Arist. 3. *Polit.*11. οἱ δημιουργοὶ sunt iidem cum τοῖς ἰδιώταις, adeoque vtrique sunt iidem

cum τοῖς εἰσαγομένοις, ij, dico, qui ſciunt tantùm τὸ ὅτι. Et ſunt illi, qui ſunt
ſub ἀρχιτεκτονικῷ, cui tanquam miniſtri adſtant, vti apud nos Medico famu-
lantur Chirurgi & Pharmacopœi. His quia hodiéque vulgus tribuit ſcien-
tiam medicam, non ampliùs, vt olim *Var. lect. l. c.* prò τοῖς εἰδόσι apud Ariſt.
l. c. lego τοῖς μὴ εἰδόσι: ſed τοῖς ἰδιώταις. Hæc enim vox ſequitur in veſtigio.
Hanc niſi heic quoque recipias, fatebere τοὺς ἰδιώτας eſſe alios ab iis, quos
S opponit τοῖς πεπαιδευμένοις. Hanc lectionem ſtabilio etiam ex 2. *Diff. pulſ. 6.*
G. vbi vocat ἰδιώτην, quem mox ἀγύμναστον τῶν πρώτων μαθημάτων. Neque
enim de cerdone illum locutum eſſe perſuadebis mihi, cùm opponat τῷ γε-
γυμνασμένῳ, ſeu πεπαιδευμένῳ. De δημιουργοῖ ſi fortean dubitas, vide an mo-
mentum aliquod dare tibi poſſint, quò facilius accedas ad ſententiam no-
ſtram, quæ pridem laudatus Ill. Caſaubonus *in Athenæum* notat *l. 4. c. 21.* Si
reſtitas cogita, Conſtituendum tibi eſſe novum genus Medicorum, ſi alij ſint
ἰδιῶται, alij δημιουργοί. Quod verò illud erit? Hæc ego congerere volui, ſer-
vitura ſedandis tempeſtatibus quibuſdam contra Galenum excitatis, præ-
cipuè in Anatomicis.

CAPVT XV.

Ἀντιάδες καὶ παρίσθμια.

A AMygdalæ cur dicantur hæ partes à barbaris, non puto quæſtione di-
gnum eſſe: cur *Tonſillæ*, digniſſimum. Inprimis diſſentio ab iis, qui
ἀπὸ τοῦ *Tolles* derivant. Quei enim fieri id poteſt? Quin à *Tonſis*, ſeu remis eſt
vox. Vt enim *Tonſæ* verberant aquam: ita *Tonſillæ* reuerberant aërem, ne
nimis confertim, vel in œſophagum irruat, vel in laryngem. Et hic ſe-
cundarius ipſarum vſus eſt: primarius ſervire humectationi vicinarum par-
tium. Ἀντιάδες cur dicantur, vix etiam inquiſitione opus habet. Quia
ſunt ἀντίαι, *ſibi oppoſitæ.* Τῶν παρισθμίων originatio certa quidem eſt: ſed
quis ſit heic ἰσθμὸς, incertum. Qui volunt, totam oris ſeu palati capacita-
B tem ita dici, nimis diſcedunt à prima ſignificatione, quæ *anguſtiam* vult.
Nec me tenet Galenus, qui ait 3. *Aph.* 26. eſſe locum, qui ſit μεταξὺ τοῦ στό-
ματός τε καὶ στομάχου. Quo enim modo ſpacium hoc ſatis amplum dici po-
teſt στενὴ διέξοδος, *anguſtus exitus?* Sed neque τὸ παρὰ admittit. Quid enim
hoc ſit, παρακεῖσθαι τῷ ἰσθμῷ, ſiquidem ἰσθμὸς totum hoc ſignificet? Puto
igitur ἰσθμὸν vocaſſe veteres ſpaciolum illud, quod eſt inter laryngem &
œſophagum, quo modo Tonſillæ reverà ſunt παρὰ τὸν ἰσθμὸν, *propè iſthmum.*
Quod ſciviſſe Galenum, ſi dicere volemus, legendum erit μεταξὺ τοῦ λάρυγγος
καὶ στομάχου. Sed hæc leviora ſunt. In laborioſiſſimo Foëſio hoc deſidero,
C quòd, cùm ſciverit his duabus vocibus eandem partem ſignificari, vt in πα-
ρίσθμια non obſcurè docet: in ἀντιάδες ne meminerit quidem τῶν παρισθμίων.
Magis miror, cùm ſciret, has duas voces ſignificare, non tantùm par-
tem

tem ſecundùm naturam habentem, ſed & inflammatam: cur non memi-
nerit difficultatum, quæ apud Galenum hac in re ſunt. Ampliùs miror
doctiſſ. Riolanum, qui 4. *Anthrop.* 10. non tantùm eiuſdem negligentiæ
reus ſit: ſed & affirmat, Tonſillas malè accipi pro morbo faucium. Ma-
lè? cum apud Hippocratem & Galenum (de aliis non dico) tot in eam
rem ſint loci? Et quid? Si ἡ σταφυλὴ vtrumque ſignificare poteſt, vt *cap.*17.
ſeq. ſcribit, cur τὰ παρίσθμια non poſſint? Sed faciat, quod volet: ego
paucis me expedio. Quod *l. de Tumor. vlt.* legitur, καὶ τὰ παρίσθμια, καὶ αἱ D
ἀντιάδες, non convincit, diuerſos eſſe morbos. Quod enim *Notis in
Gal.* ſæpiſſimè indicaui, Helleniſmi proprietas eſt coniungere æquipollen-
tia. Atqui, inquis, oratio ſequens duos explicat affectus. Non aliter ex-
plicat, quàm illa *Aph. l. c.* vbi τὰ παρίσθμια duplicem affectum nobis
oſtentant. Reverà enim vnus vtrobique affectus eſt, magnitudine diffe-
rens, prout vel ſolæ tonſillæ afficiuntur; vel vicinæ etiam partes; ſive,
prout inflammatio vel ſuperficialis eſt, & ſolius tunicæ oris; vel profun-
dior, quæ muſculos etiam occupat. Hanc ſi velis pro duplici morbo ha-
bere, poſſis: ſed parum inde commodi habebis. Sed nec diverſitatem
evincit τὸ ῥᾳδίως, quod interponitur 5. *San. tu.* 3. *F.* Linacer verò, cùm E
ignoraret iſtam Græcorum conſuetudinem, tam latam fecit differentiam,
quantam nunquam vel ex Galeno, vel ex aliis Autoribus probabit. Quod
verò *l. ſeq. c.*9. *C.* parulides interponuntur, confuſio eſt ab actuario ma-
nans. Itaque oratio ita ordinanda erit, καὶ παρίσθμιά τε καὶ ἀντιάδες, καὶ πα-
ρουλίδες. Eadem medicina debetur 10. *Simpl. c. de Sero lact. E.* καὶ φλεγμαίνον-
τα παρίσθμιά τε καὶ ἀντιάδας, ὥσπερ καὶ τὴν σταφυλήν.

C A P V T XVI.

Iudicium de libro περὶ συστάσεως τῆς ἰατρικῆς.

SCribit Galenus initio Opellæ *de Libr. propr.* amicum quendam ſuum A
cùm vix duos verſus legiſſet in libro quodam falſario, ſub nomine Ga-
leni edito, dixiſſe, abiecto ſimul libro: *Non eſt Galeni.* De Hotomanno,
Iuriſconſulto celeberrimo, referebat ὁ θειότατος SCHERBIVS, cùm offer-
retur illi *Conſolatio* Cic. quam Sigonius confinxiſſe putabatur, lectis paucu-
lis, cum indignatione depoſuiſſe, *Non eſt Ciceronis.* Nimirùm, qui in
Autore aliquo diutiuſculè habitarunt, tam familiare ſibi faciunt dicendi
genus illud, quo vtitur, vt ab alio facilè dignoſcant. Ego, antequam
cauſam Galeni inciperem agere, legebam quidem ſine Interpretis auxilio:
ſed de charactere non valde ſolicitus eram. Veniebam enim eò in caſu
tantùm neceſſitatis, cùm Interpretes non ſatis mihi facerent. Nunc, cùm B
in Galeno perpoliendo, liberandoque ab erroribus, quà librariorum no-
ſtratium, quà Græculorum tranſcribentium, verſor per annos hos 12.

& quod excurrit, quaſi focum, laréſque ibi habeo, & quamprimùm ad alium aliquem ſcriptorem Græcum divertor, ſentio me alibi eſſe. Tale quid accidit mihi in libro propoſito. Quamobrem cogor iam deſcendere in ſententiam illorum, qui GALENI eſſe negant, licèt rationes nec vſpiam legerim, nec à quoquam auditione perceperim. Vt paucis me abſolvam. Quemadmodum qui à Platone ad Thucydidem veniunt, è claro & aperto cœlo videntur ſibi ingredi in ſylvam quandam obſcuram, denſamque: ita fit, cùm ab aliis Galeni libris huc deſcendo. Qui enim alioqui lucidus & perſpicuus eſt, quàm tenebricoſus heic eſt? Eius rei exemplum hoc eſto. Cùm inquit *cap.*11. *extr.* Sani & ægri corporis ſcientiam, non modò ſecundùm formam eſſe, ſed & totam ſubſtantiam, quæ ſubſtantia ſit facta ex materia & forma: quis (vt ſic loquar) Deûm, hominúmve intelligit? Niſi, inquit alicubi Ill. Cæſalpinus, per formam intelligit qualitates paſſivas, per materiam activas: iam præter temperamentum agnoſcit aliam ſubſtantiam. Sed quis Abdelonymus admittat? His addo duo alia. Alterum, quis non deſiderat maius in Galeno iudicium, qui de illo ſolo, *Artes pendere à ſuo fine*, volumen ſcripſerit tam grande, vt neceſſe habuerit diſpeſcere in duo? ceu ſcribit autor *extr. cap.*1. Contrà, quis non indignetur, artem noſtram tam latè patentem cogi in has anguſtias? Quis dicere auſit vel maximè neceſſaria heic tradita fuiſſe, etiamſi τῶν σκαιῶν σκαιότατος ſit? Idem ſperet, ſe integram Medicinæ notitiam indipiſci hinc poſſe. Profectò, non magis, quàm ex idea Scriboniana Hipp. quiſquam factus eſt Hippocraticus. Alterum, huius libri patrem fuiſſe Herophiléum quendam, probare licet ex fine *cap.*10. vbi agnoſcit triplicem corporis noſtri conſtitutionem, quarum media ſeu φαύλη nihil aliud eſt, quàm Herophili *ſtatus neuter*, cuius Herophili etiam eſt definitio Medicinæ in *Arte*, vtì iam dicam. Simplex igitur reſponſio eſt, ſi prætendatur huius libri autoritas, *Non eſt Galeni.*

CAPVT XVII.

Τέχνη ἰατρικὴ *non eſt Galeni.*

SÆpiſſimè miratus ſum tanti fieri centonem illum imperitè conſutum, etiam à viris verè magnis, quales Valleſius & Th. à Veiga, vt commentariis illuſtretur! Nimis enim macilentum eſt ſcriptum, & à more, ſtylóque Galeni longè quàm remotiſſimum. Quin diſertè ait 1. *Alim.* 1. *FF.* ſe non ſcribere compendia, ſed agere κατὰ διέξοδον. Relinquam omnia alia, & de definitione Medicinæ ſola dicam. Primò, Herophili illa eſt, vti habemus de indicio illius, qui εἰσαγωγὴν, ſeu Medicum vulgò nuncupatum nobis dedit: quin Galeni ipſius 6. *San. tu.* 9. *F.* Secundò, acceptat corpus ſeu ſtatum neutrum, quem Galenus

Galenus nullibi: imò sub latitudine sanitatis habet. Tertiò, in expositione definitionis illius, distinctiones sunt tam subtiles, vt Oedipo sit opus: quid dico autem? Quas, in tanto commentantium numero, nemo vnus ad vsum accommodavit, Herophilo quippe dignas. Cæterùm, relictis omnibus aliis, paulò latiùs deducam, quàm longè absit à mente Gal. status neuter! Limes in agro Medico positus est hic. Divisus est ille ager in partem ὑγιεινὴν καὶ θεραπευτικήν. Posterior habet sub se illos, qui iam ægrotant: prior omnes illos, qui sani sunt, sed in magna sanitatis latitudine. Est enim terminus sanitatis τὸ ὀρθοστάδην, vt Græci loquuntur, hoc est, tamdiu sani dicimur, quamdiu incedimus erecti, & rebus nostris vtcunque præsumus. Hinc liquet sub ὑγιεινῇ esse, non eos tantùm, qui perfectè sani sunt: sed & illos, qui paulò deteriùs habent, modò caput adhuc in sublimi sit, vt Germani loqui solemus. Hinc 3. *Meth.* 2. *B.* est intemperies naturalis, quæ oppositum in adiecto habet, vti Philosophi loquuntur. Hæc ipsa est intemperies sanitatis, 2. *Temp.* 4. *F. de Const. art.* 10. *ferè extr.* quæ eidem culpæ affinis est. Hi sunt parvi illi excessus, qui ad ὑγιεινὴν pertinent, cùm magni ad θεραπευτικήν, *Meth. l. c.* Hi ipsi parvi excessus sunt inæquales corporis status, quos curat Galenus 6. *San. tu.* 9. *& seq.* Sed cur hoc absurdum admittitur, vt pro bono habeatur, quod malum est? dicis. Ad evitandam ἀσυμπάθειαν, vt Galenus docet 1. *San. tu.* 5. *extr. & initio* 6. Hinc sanitas quædam est optima, perfecta, & quomodolibet appellare velis: quædam imperfecta, 1. *San. tu.* 4. *D. & mox* 5. *A.* Eodem sensu quædam simpliciter ita dicta: quædam cum adiectione, verbi gratiâ, senilis. Licèt enim senes habeant actiones longè deteriores (præsertim, quæ ad nutricationem) se ipsis iuvenibus: non tamen dici debent ægrotare. Imò, senectus ipsa est morbus? Est: sed quem curat ὁ ὑγιεινὸς solâ ferè diætâ. Hæc intemperies naturalis, sive sanitatis, hæc sanitas imperfecta, seu cum adiectione, hi excessus parvi, reverà nihil aliud sunt, quàm Status neuter Herophili, vt Galenus ipse nobis est autor 6. *San. tu.* 2. *F. Hic status*, inquit, *si omnino admittendus est in iis, qui ex febribus difficilibus resurgunt, in senibus*, (in omnibus intemperatis:) *admittendum & hoc fuerit, In senibus, verbi gratia, vires quidem debiliores esse, morbi tamen expertes.* Atque hic est sensus in Græcis, à quo Linacer abest longissimè. Quidquid sit, Cadente statu neutro, cadit simul definitio, & totum ineptè illi superstructum ædificium, cum inepto Monachorum titulo, μικροτέχνη.

Vide Pliniũ *l.* 11. *c.* 17. *extr.*

B C D E

CAPVT XVIII.

De Indicatione pugna ſedatur.

QVod *l. de Opt. ſecta* 10. & 11. *A.* excludat Gal. τὸν λογισμὸν; admittat autem (vt omnino debet) 2. *Meth.* 7. & alibi: vario Marte certatur. Et Capivacciani quidem magno molimine defenſant illud: reliqui bonæ mentis hoc, cum quibus ero, dicámque cum Com. Montano, liber περὶ ἀρίστης αἱρέσεως non eſt Galeni. Loca ſunt 2. *de Morbis* 12. & fuſiùs *in Ant-Eraſt. defenſ. ſecundæ parte prima*, *f.* 38. *A.* Vide etiam Pacium *Comm. in* 2. *Meth.* 7. Hoc cur manibus pedibúſque amoliuntur Illi? Quia

Πολλοὶ ἐξ ἀγέλης κριοὶ· πολλοὶ δὲ καὶ ἀμνοί.

Finis *lib.* 1. Apologiæ, quem locupleteris ex *lib.* 1. *Poſt-Curarum.*





INDEX RERVM LIBRI I.

Numerus Caput Libri indicat, Character verò sequens, literam marginalem.

A

APOLOGIÆ



APOLOGIÆ PRO GALENO, SIVE ΧΡΗΣΤΟΜΑΘΕΙΩΝ,

LIBER SECVNDVS: IN QVO ΤΑ ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΑ.

RATIO ORDINIS.

ORDO heic concinnior esse non potest, quàm qui ex ipsa Natura petitur, *6. Sent. Hipp. 5. N.* Incipimus igitur à Naturâ notis, secus quàm alibi.

LECTORI.

NATVRÆ vasto in pelago, suavissime, versor,
Et VERITATEM persequor.
Heic scopuli sese, heic ingentia plurima monstra
Difformia instar Protei,
Ostentant, cursúmque meum remorarier audent.
Quid facto opus mihi denique?
DVM CLAVVM RECTVM TENEAM satis esto laboris:

Curet

Curet IEHOVA cætera!
Scilicet obscuræ densa in caligine noctis
Tantilla LVX sese eminus
Exsertat, sedenim mirè venerabilis, & quæ
Splendore vincit Hesperum,
Luciferúmque, adeò radiis scintillat, & auro
Contrà iubar reverberat.
Vis dicam quid sit? DIVINI PARTICVLA ignis,
Quem cœlo (vt olim fabula
Narrabat) tereti in ferula vafer Ille Prometheus
Tulit, deditque posteris.
At quæ se circum voluunt immania spectra,
Et saxa, quæ naviculæ
Terrorem incutiunt, cœcis latitantia in vndis:
Sunt devij pulcerrimo
A VERO errores, quos si Mendacia dixis,
Quod res volebat, dixeris.
Nam veluti Superis descendit sedibus Illud:
Sic Hæc iére ex Inferis.

Quisquis es ergo bonus (reprobos non curo) venito
Recogniturus ardua.
Quæ DEVS in statua hac terrena texit abundè
Miracla, & hymnum prævio
Pergameo meditare sene, vt monita inde piorum
Idem caterva perpetret.
Nam sic supremi tibi conciliabis amorem,
Manúmque largam Numinis:
Sic tibi succedent ex voto cuncta, beatúsque
Ab omnibus vocabere.

Me sis, quæso, vide, qui natus paupere tecto,
Vitam per extima omnia
Et puer & iuvenis duxi, dum Pallada sector,
Artémque mutam Apollinis.
Sed vir iam factus, cathedrámque ascendere iussus,
Dum VERITATEM prædico
Et voce & scriptis, variis me corporis ornat.
Animíque IHOVA dotibus.
Tu si faxis idem, nec Numen deerit amicum,
Nec vlla vitæ commoda.
At te Margites deridet, (forsitan inquis!)
Ha! rideat, quid interest?

Tu DEVS, adiuta : nam divagor in labyrintho
Ingente, inæstimabili.

Hæc obsignare placet Terentiani Mauri versibus.

(VERITATEM)
Dumos inter & aspera
Scruposis sequimur vadis,
Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes :
Aggressis labor arduus,
Nec tractabile pondus est.



SECTIO I.

De Elementis.

CAPVT I.

Controuersia statûs mota Libro I. de Nat. Hum. Hipp.



NE quis rudior cespitet heic in ipso limine, dicendum est A
NATVRAM, φύσιν, nihil aliud esse, quàm ELEMENTA, vt post Arist. 2.*Phys.*1. *t.*9. Galenus scribit *Præf.Com.in h.l.C. D.*1. *Elem.*9. *G.* addi autem HVMANAM, τοῦ ἀνθρώπου, vt sensus fiat DE ELEMENTIS HVMANIS. Medicina enim, pro subiecto in quod, habet *Corpus humanum* tantùm.

De his, vt & totius Vniversi, veluti libenter credo Galeno, 1.*Fac.nat.*2. *E*, & alibi asserenti, Hippocratem fuisse primum, qui numerum quaternarium Elementorum demonstrarit : ita non credo intelligi posse de hoc levidensi scripto. Quin imò persuasus sum, non tantùm διεσκευασμένα, *interpolata*, atque adeò falsa heic esse plurima, autore Galeno ipso, dicta modò *Præf.*I. sed & totum scriptum non minus esse νοθευόμενον, *spurium*, quàm sunt libri duo sequentes, quos Galenus vocare solet τὰ προσκείμενα τῷ περὶ ἀνθρώπου φύσεως, *quæ ab alio adiecta sunt libro Hipp. de Nat. hum.*

Ergo autor ne voluit quidé agere de Elementis simpliciter di- B ctis, sed de proximis sanguineorum, seu sésilibus 2. *Elem.* 1. Vide mox *t.*5.

Huius rei vnum, idémque infallibile argumentum mihi est, quòd scriptor hic, tam in Philosophia, quàm in Medicina tam nudus, rerúmque vacuus est, vt flagris dignus sit, qui porrò Hippocrati velit hanc maculam aspergere. Et hoc probo per partes. Cùm *t.*5. & 6. ita argumentatur, *Si homo constaret ex vno elemento, non doleret, atque adeò in totum non ægrotare.* Atqui

C *dolet & ægrotat.* Ratio est, quam Galenus *in Com.* dat. *Quia vnum à se ipso non patitur.*

Heic ego aliud in personato Hipp. desidero : aliud in Galeno. Neque enim probavit Ille, vel duo, vel tria, vel quatuor esse Elementa, sed vno plura : neque rectè accommodavit Hic principium physicum, ab Arist. omni machina & ingenio demonstratum, vt Bonamicus alicubi loquitur. *Vnum, quà vnum, non agit in seipsum.* De priore, quia non puto dubitare quemquam, verbum non addo : de posteriore ita ratiocinor. *Vnum non agit in se ipsum, Atqui homo est vnus, Ergo in se ipsum non agit, adeóque nec dolet, nec ægrotat.* Minorem probo, Homo, postquam ex elementis factus est, est
D vnum quid, τόδέ τι, constans ex materia & forma, adeóque elementa, quæ dum erat res in fieri, invicem pugnabant, iam pervenerunt ad æquilibrium: non quidquam pugnæ superest. Vt res exemplo fiat manifestior. Digitus hic meus constat ex quatuor elementis : at non propterea dolet. Vt autem doleat, oportet aliunde superveniat aliquid, sive ex alia corporis parte, sive extrinsecùs, quod vel temperiem digiti mutet, vel solutionem continui causetur. Hæ enim sunt duæ Doloris causæ apud Gal. Et hoc est, quod ait *de Diff.morb. 2.C.* Si quod sit corpus maximè simplex, id nunquam recipiet magis & minùs: at si ex pluribus constet, multi erunt compositionis modi, &c. Et ideò facilior læsio, subiiciam ego.

E Hæc si apud alios legere tibi placet, aut Bonamicum iam citatum inspicere potes 8. *Motus* 41. *aut Nobilium Com.in* 1.*Gen.& Corrupt.*41. *quæst.*12. aut Schegkium *principio opellæ de Caloris vi.* Ex his ego produxi olim 3. *Gen. hom.*3. Tu verò ringeris fortassis Galeni causâ, quem ignorantiæ accusari non sines ? Non ego huc ibam: quin, si exspectare tibi tamdiu non libet, vsque dum ad semen masculum pervenias, superatis aliquot philuris, legas ibi licet, quàm bene principium hoc cognôrit Galenus ! Et hæc quidem de primo argumento. Eiusdem conditionis est alterum ibid. inculcatum : Si animal esset vnum, non tam diversa essent dolorum & morborum reme-
F dia. Tertium, quod t.7. est, nimis quàm plebeium est ! Quartum, quòd *t.9.& seq.* de rerum generatione & corruptione, non progreditur vltra dictum terminum, plura scilicet vno esse elementa. Id verò non exspectabatur: sed, quatuor omnino esse.

Quod quia nuspiam est ; & verò Galenus ipse fatetur, Hipp. suum t.18. *& seq.* ab Elementis simpliciter dictis venire ad Elementa proxima sanguineorum : vísne me plura coacervare ? Quin, cùm pleraque omnia, aut aliena sint, aut falsa, aut denique inutilia : nolo abuti tempore. An hoc non est habendum insuper, Galenus 1.*Meth.* 2. ait, Aristotelem fuisse interpretem sermonum *Hipp. de Nat. hum.* Atqui distant hæc ab Arist. doctrina plusquàm δὶς διὰ πασῶν.

CAPVT

CAPVT II.

Quatenus Medico necessaria sit Elementorum cognitio?

REverà non est opus illis, quæ Arist. *in libb. de Cœlo, & alibi* disputat; multò minus Interpretum turba: satis est, si quis pro firma hypothesi habeat, quatuor esse Elementa, sive nomine substantiarum appellare velit, Ignem, aërem, aquam, terram; sive nomine qualitatum, Calidum, frigidum, humidum, siccum, idque propterea, vt firmior sit doctrina de Temperamentis, quæ maximi ponderis est in arte. Et hoc SCHERBIVS, doctor meus nunquam sine honore nominandus, non nisi serò didicerat. Huius consectarium est, frustrà impendi tempus legendis, vel Commentariis Galeni *in d. l.* vel libris duobus *de Elementis secundum Hipp.* vel denique iis, quæ 8. *Sent. Hipp.* 4. *& seq.* iterum iactat. Omnia enim sunt κίβδηλα. Sed quid pro Galeno dici debet? Amore Hippocratis abreptus in avia ista præceps iit. A



SECTIO II.

De Temperamentis.

CAPVT III.

Quod sit genus Logicum Temperamenti?

LIBVIT heic paulisper exerrare, propter φιλοειστίας morbum, quo laboramus hodie plerique omnes. Galenus enim, quod constat ex 4. *Diff. pulſ.* 2. *&* 17. alienus est ab hac scabie, adeóque extra teli iactum: quin de definitione Temperamenti ne cogitavit quidem. Ne longum faciam, sum eius sententiæ, Avicennā 1.1. *doct.* 3. *c.* 1. quē sequitur Alexander *l. de Mistione*, rectè definiisse per *Qualitatem*. Sed quam? Non disputo nunc illud, in qua *Qualitatis specie* sit, prima, tertia, vtraque? Sed dico, Non est simplex aliqua, vel caliditas, vel frigiditas, & sic de cæteris: sed ex omnibus quatuor primis composita. Hoc declaro per exemplum. Piperis temperamentum est calidum, compositum quidem ex quatuor elementis: sed quia calida elementa prædominantur, accipit ab illis denominationem. A

Nec mireris, vnam qualitatem, sed compositam! Vt enim corpus mistum fit ex quatuor elementis, & tamen est vnum: ita qualitas hæc est vna, B

quamvis è pluribus facta. Differt ab iis, è quibus facta est, quòd hæ quidem sint in summo, seu excellenti gradu: illa autem, de qua agimus, in inferiori, vnde etiam dicitur *Media, moderata, fracta, retusa.* Vide Th. à Veiga, *Com.in* 1. *Diff. feb.*1. Heic infert se medium Fernelius, 3. *Physiol.*1. & Avicennæ quidem tot imponit mendacia, quot verba sunt: ipse autem vult, *Esse rationem mistionis, proportionem, concentum, harmoniam,* & nescio quid aliud. Lemnius 1. *Complex.*5. habet etiam genus Fernelianum. Sed ille de sanitate tuenda potiùs agit, quàm de temperamentis. Statim enim in vestibulo ponit nobilem Ciceronis locum 2. *Off.* Valetudo sustentatur &c. Ego id dicam tantùm, quod SCHERBIUS olim: *Imaginatur sibi homo iste, esse in mi-*
C *stione quasi quatuor tibicines, qui sedeant ibi, & cantillent.* Tu si seriò refutatum illum videre voles, adi vel Comitem Montanum, 2. *Morb.*5. vel Erastum *Epist.*16. item *Anat.C. Mont. f.*19. vel Mercenarium, *in Dilucidationibus.* Addo ego, Vallesium 1. *Controu.*6. penè ridiculum fieri, dum defensat opinionem tam absurdam. Vno verbo, Duplex Vallesij temperamentum est μῖξις καὶ κρᾶσις, quæ vt differant, aut non differant, alibi docetur. Annon potiùs est συμμετρία qualitatum? Annon ad hanc συμμετρίαν tendit harmonia Arist. 1. *de Anima* 4.?

CAPVT IV.

De numero Temperamentorum, & præcipuè de Æquali.

A QVæ veteres hac in re delirârunt, refutat Galenus *l.*1. *c.* 2. Ipse *c.*3. *seq.* constituit numerum novenarium, addito videlicet ad quatuor simplicia, & quatuor composita *Temperato*, quod *Medium* etiam vocat & *Æquale.* Contra hoc inprimis Averroës disputat, citátque loca eius Piccolhominus *l. de Mistione c.*15. vnà cum argumentis, in quibus immorari mihi non libet: quin allatâ distinctione reum absolvere placet. Temperamentum (aio) æquale est duplex, vel ad *Pondus*, vel ad *Iustitiam.* Ad *Pondus* seu pondere, πρὸς σταθμὸν, ἢ σταθμῷ dicitur, cùm æqualia omnium Elementorum pondera ad constitutionem corporis alicuius concurrunt, v. g. ℥j. ignis, ℥j. aquæ, & sic de cæteris.

B Et hæc est proportio *Arithmetica*, quæ vni tribuit tantum, quantum alteri, vt in *Iustitia commutativa* fit. *Ad Iustitiam*, πρὸς δικαιοσύνην ἢ δικαιοσύνῃ, cùm tantum huius, tantum illius elementi tribuitur, quantum opus est, vt fiat mistum tale, quale aptum sit edere hanc illámve actionem, & est *proportio Geometrica*, quæ inæqualia tribuit inæqualibus, vt in *Iustitia distributiva* fit. Hoc explico. Quemadmodum in Republica Helvetiorum omnia sunt æqualia, & tantum capit infimus, quantum supremus; contrà, Quemadmodum in Republica Veneta plus potest nobilis quàm mercator, & rursus minùs sutor, sartor, fartor, quàm mercator: Ita in Repub. animali latum

latum est discrimen. Vt enim leo sit leo, vt canis sit canis, vt bos sit bos, C
vt homo sit homo &c. oportet concurrat singulorum elementorum tantum,
quantum requirit leonitas, vt sic dicam, caneitas, boveitas, humanitas.
Quei hoc capiam? Vt leo sit leo, debet habere tantam ignis portionem, vt calidus & ferox sit: canis, vt tantam: bos, vt tantam: homo, vt tantam. Iam
quod in singulis præstat, fit μέσον reliquorum, & hoc ipsum est *Temperatum* seu *Æquale* illud quod quærimus. Talis fit leo, cùm tantùm ignis habet,
vnde calidissimus & ferocissimus fiat: talis fit canis, cùm tantam eiusdem
elementi copiam acquirit, vt optimè feras sectetur, optimè vigilet pro domo sua, & domino suo, & sic de cæteris. Ex hac oratione quàm certum est,
in temperamento humano (de hoc enim solo laboramus) locum habere id
tantùm, quod *ad Iustitiam* dicitur: tam incertum est, habeátne id quoque
quod *ad Pondus*? Equidem non dubito, vetustissimis etiam temporibus litigatum fuisse hac de re, vnde nata sint Galeno illa de Temperamento in
vniverso, quòd sit *ad Pondus*, & de Temperamento in specie, quod sit *ad Iustitiam*, tam totius, quàm partium.

Verumenimverò cùm prudentiores viderent, 1. Nec per rerum naturam fieri posse tale quid, puta, vt aliquod mistum constet ex pari ignis portione, & cæterorum elementorum: fictione opus esse, Galenus etiam concedit 1. *San. tu.* 5. 2. Si omnino detur tale mistum, non posse conferri proportionem Arithmeticam cum Geometrica, quòd nimis absint à se invicem;
Cùm, inquam, hæc & alia viderent incommoda, mutarunt sententiam, abie- D
ctóque temperamēto *ad Pondus*, retinuerunt illud *ad Iustitiam*. Hoc admisisse Galenum animadvertit Accorambonus quoque, illis verbis 1. *Temp.* 6. paulò
ante finem, *Est igitur temperaturæ æqualitas in omnibus mistis animalium, stirpiúmque, non ea quæ ex pari elementorum mole spectatur: sed quæ cùm animalis, tum stirpis naturæ convenit.*

Qua in re vt lubenter ausculto illum: ita conciliationem, quam meditatur inter ea, quæ allata sunt, & ea, quæ sunt initio *cap.* 8. *At siquidem medium sit exquisitè, &c.* neutiquam recipio. Quin accidit Galeno heic,
quod alibi sæpe, vt ex inadvertentia iungeret sententias contrarias. Quamobrem, si de toto homine sit quæstio, dico, *Socratem fore temperatum,*
si optimè ratiocinetur, quatenus homini ratiocinari à natura datum est: reliquos omnes intemperatos, quatenus absunt ab hac perfectione. Si de parte E
sit quæstio, aio, *Socratis cerebrum temperatum, esse* æquale illud, ad quod inæqualia omnia iudicantur. Quare igitur, dicis, temperamenti *ad Pondus* fit
mentio? Nisi fallor, docendi gratiâ tantùm, vt distincta distinctè proponantur. Hoc consilium Prædecessorum suorum cùm præceps Galenus non videret, involvit se difficultatibus magnis, quas Averroës obiicit illi. Ad confragosam igitur quæstionem, *An detur temperamentum æquale?* respondetur, Datur, & non datur. Non datur ad pondus: datur ad iustitiam. Et
hoc ad iustitiam temperamentum habet iuxta se octo alia, quatuor simplicia, quatuor composita, ex quibus conficitur numerus no-

venarius temperamentorum , in latitudine ſcilicet ſanitatis , quem facile eſt inire.



RATIO ORDINIS.

Quia corpus, hoc modo ex elementis temperatum, diuidit Hipp.8.*in 6. Epid.7.* εἰς ἴσχοντα (ſubintellige μόρια) ἰσχόμενα, καὶ ἐνορμῶντα, quæ explicat Gal. *l.de Trem. & palp.5. E.* de *Partibus ſolidis* , *Humoribus & ſpiritibus* : erit nobis agendum ſeorſim de ſingulis.

SECTIO III.

De partibus ſolidis , & primùm de ſimilaribus.

CAPVT V.

Quæ ſint partes ſimilares , & quot numero?

A HEic ab initio illud præmuniendum eſt, Tam Humores, quàm Spiritus reverà eſſe partes: non dici tamen heic , proinde atque in doctrina *de Temp.* idque lucidioris doctrinæ gratiâ. De his paratæ ſunt Galeno geminæ lites. Altera, quòd aliis locis alius fuerit, modò has, modò illas recenſendo. Altera, quòd aliud dixerit *Similare*, aliud oſtenderit. Putà, quòd quas vocarit partes ſimilares , eas mox alibi diſſimilares pronunciârit.

Quod ad priorem, Alias inveneris *Præf.in 1. Nat.hum.H.1.Elem.6.I. Et ibid.8.D.2.Elem.1.B.1.Fac.nat.6. C. Et ibid.7. A.8. Sent. Hipp.5. A.B. Diff. morb.3. Inæq. int.2. A. 2. Fac. nat.3. D. Off.5. A.* An componi poteſt lis, ſi
B dicamus, Omnibus his locis Galenum incidenter tantùm meminiſſe partium ſimilarium, ideò ἀκρίβειαν ab illo exſpectandam non eſſe? Exſpectari autem poſſe *in l.de Part. ſimil.* quem ſcripſiſſe ſe ait illo *de Sent. Hipp.* loco? Interim & hoc modo ſervare poſſis. Galenus quibuſdam locis (*de Nat. hum.de Elem.de Fac.nat.* inſuperq; *l.3.c.vlt.G.*) partes ſimilares vocat στοιχεῖα αἰσθητά, στοιχεῖα ἐλάχιστα κατὰ μέγεθος , *Elementa ſenſibilia , eáque minima magnitudine:* propterea partes ſimilares erunt , quæcunque , & quotcunque ad conſtructionem diſſimilarium ſeu organicarum concurrunt. Et hæc de priori: poſterior paulò difficilior eſt. Cùm enim 8.*Sent.Hipp.4. C.1.Meth.6.C.* ſimilare dixiſſet id , cuius ſingulæ partes , & inter ſe, & toti ſimiles ſunt ; &
C quod ideò dividi poteſt in partes toti ſimiles : cùm ad rem ventum eſt, pleraſque omnes ſimilares componit ex aliis , iiſdémque ſpecie differentibus. Exempli gratiâ , De venis & arteriis ait *de Inæq. int.2. A.* ex fibris & membranis

branis compoſitas eſſe. De venis ſeorſim 10. *Meth.* 11. *E.* tunicas ipſarum conſtare ex fibris, quibus caro propria intertexta ſit.

De arteriis docet idem. Quin regulam facit, Omnes ſimilares conſtare ex triplici ſubſtantia, fibroſa, membranoſa & carnoſa. De nervis notum eſt dogma ipſius, eſſe videlicet Cerebrum coactum, 1. *Mot.muſc.*1. *D.*8.*Vſ.p.*6.*A.* & *alibi.* Cerebrum autem cùm conſtet triplici ſubſtantia, conſtabit etiam nervus. De tendine docet 1. *Mot.muſc.*1. *D.* & vbicunque de muſculi generatione agit, conſtare ex nervo & ligamento. De hoc eodem (ligamento inquam) ſcribit 6. *Meth.*4. *A.* dividi in fibras, & quidem rectas, vt ſe explicat 1. *Sent.Hipp.*9.*B.* De eodem, vt & de membrana, nervóque docet 3. *Fac. nat.vlt.G.* ex multis fibris compoſitas eſſe has partes, quæ fibræ (addit) verè ſimilares ſunt, & elementa ſenſibilia. Quibus verbis cùm diſtinguat inter ſimilares verè tales, & non verè tales: annon difficultatem ſeminat? Seminat etiam ampliùs, cùm *de Diff.morb.*4. *E.* venas & arterias inter prima inſtrumenta collocat. Idem facit 1. *Meth.*6. *B.* nervos adiungendo. Quis autem in Medicina tam hoſpes eſt, qui neſciat, Inſtrumentum, ſive partem inſtrumentariam opponi parti ſimilari? D

Quid igitur? Ordior ab hoc vltimo & dico, Quemadmodum pars omnis eſt τῶν πρός τι, 1. *Meth.*5. *E.* eſt, inquam, *relatum*, ſeu *totius pars*: ita omnis pars eſt inſtrumentum, ſed non omne dicitur. Rurſus, quemadmodum τὸ E *Pars* eſt *Vocabulum ab vno*, ſive *genus æquivocum*, adeóque in eo eſt prius ac poſterius, ob differentiam actionis magis minùs præſtantis: ita τὸ *Inſtrumentum.* Simpliciter igitur, & in excellenti gradu *Inſtrumentum* dicitur, quod ipſum eſt *Pars inſtrumentalis*: cum adiectione *Inſtrumenta prima* dicuntur venæ, arteriæ, nervi, *Diff.morb.*4. *E. communia* (& vno nomine *Vaſa*) 1.*Vſ.p.*25. 2.*Vſ.p.*19. 3.*Vſ.p.*9.*G.* 4.*Vſ.p.*19. *B.* 15.*Vſ.p.*8.*A.* 16.*Vſ.p.*1.*A.*6. *Sent.Hipp.*8.*F.* Atque ex his locis explicare oportet illum 1.*Meth.*6.*B.* vbi confusè loquitur, non addens quo reſpectu vaſa, vel partes dicantur (putato ſimilares) vel inſtrumenta, ſubintelligendo *prima* vel *communia.*

Ex his iam vlteriùs progredior, & dico, τὸ *Similare* in Medicina etiam F eſt *Vocabulum ab vno*, & dicitur, in rei quidem veritate de paucioribus partibus ſimilaribus, Carne, Fibris, & fortaſſis Membranis, quatenus hæ à Tunicis diſtinguuntur: ad ſenſum autem de reliquis omnibus. Et hoc eſt, quod dixi, Galenum *in* 3. *illo de Fac.nat.* diſtinguere inter ſimilares ὄντως, *reverà* tales, & non tales. Hoc ipſum eſt, quod *de Diff.morb.*4. *F.* docet, *In præſentia,* inquit, *non eſt opus tam exquiſita tractatione: hoc vnum conſideres velim, ſimpléxne ſit, quatenus ſenſus indicat, an compoſita particula?* Quamobrem, quæ præcedunt, *Vniverſaliter enim quæcunque*, &c. hunc habebunt G ſenſum: Quæcunque partes ex ſimilaribus (ſubintelligo ὄντως, quod verbi eſt *in de Fac.nat.G.* aut ἀκριβῶς, quod de membranis legitur, *de Ex. Anat. l.*5. *c.*6. *G.* & iterum *l.*6. *c.*7. *B.* quatenus, inquam, conſtant ex triplici illa ſubſtantia, de qua ex 10. *Meth.* dictum eſt) coaleſcentibus vnius actionis

causa, sunt prima instrumenta, eadémque partes similares, non simpliciter, sed sensu iudice.

Iam, inter actiones hæc est differentia, quòd quædam fiant perfectè ab vno instrumento, v. g. visio ab oculo: quædam à pluribus, in se invicem ordinatis, vbi singulæ agunt κατ' ἐντελέχειαν, v. g. apprehensio à manu, quatenus accipitur pro toto illo, quod à scapulis dependet. In hac digiti agunt suum, sed id exiguum, & dicuntur Instrumenta secunda: manus propriè dicta agit suum, & multò excellentiùs, & dicitur Instrumentum tertium: to-
H tum brachium edit totam apprehensionem, & dicitur Instrumentum quartum. Hæc tria reverà sunt *Instrumenta*, non autem *Partes similares.*

Fuchs. *Cōm. in l. de Diff. morb.* 3. Mōtanus 5. *de Morbis* 9.

Et ita quidem de Instrumento: quo ipso quia descendimus in sententiam Comitis Montani, Costæi, Fuchsij, & aliorum, quæ est, Aliæ partes sunt similares secundùm esse, aliæ secundùm dici: persequamur illam. Quidam ita efferunt, Aliæ sunt tales duplici nomine, & reverà, & ad sensum: aliæ vno tantùm, ad sensum. Cùm enim Medicus sit artifex, & vsum respiciat, intuetur quædam superficietenus tantùm, vbi scilicet periculum non est, si παχυλῶς duntaxat, & crassâ, quod dicitur, Minervâ consideret: imò, vbi minutiores differentiæ frustraneam creant artis longitudinem.

I Atque hæc est, de qua *in Præf.* dicetur, duplex Anatomia, de qua Galenus 1. *Ex. Anat.* 4. *E.* Exacta & superficiaria. Re enim verà sensus iudicium duplex est, quod probo ex eiusdem *Op. l.* 5. *c.* 6. *G.* Agens enim ibi de peritonæo scribit, similare esse, sive diligenter, siue superficietenus intueare: tendines autem quosdam, superficiariâ inspectione similares esse; diligenti consideratione dissimilares, ex fibris quippe compositos.

Idem deduco ex 10. *illo Meth.* Hoc enim mihi videtur docere velle Galenus. Quæ vulgò dicuntur, & primo intuitu videntur esse partes similares, non sunt. Si enim accuratè consideres, triplex in illis apparebit substantia, &c. Quò faciunt illa quoque 3. *Fac. nat.* toties laudato. Membranæ (vide-
K tur dicere velle) nervi & ligamenta, dicuntur quidem partes similares, reverà autem non sunt: Fibræ & dicuntur, & reverà sunt. Ex his iam ita infero.

Asellius *l. de Lactib. c.* 16. probare vult, Venas esse partes dissimilares: sed quid proficit? Turbat tantùm.

Cùm ista duo, *Reverà*, & *ad sensum* sibi invicem opponuntur, per τὸ *Revera* intelligitur sensus, qui cum re respondet: per τὸ *Ad sensum*, qui non respondet. Hinc Galenus toties increpat illa, *Similares partes, quas vocant, quæ dici solent, & si quæ sunt huiusmodi alia.* Et hæc est prisca sapientia, quam sinere oportet, quia facit ad finem artis. Vocentur (dicit) partes similares omnes illæ, quæ ad constitutionem dissimilaris alicuius, perfectam actionem edentis, concurrunt. Et hæc causa mihi est vna, cur semper coniuncta velim illa, quæ vnam actionem perfectam edunt. Læsâ enim illâ, Medicus inspicere debet omnes. Iam igitur ita numero & colloco. 1. est Caro. 2.
L Fibræ. 3. Membranæ. 4. Venæ. 5. Arteriæ. 6. Nervi. 7. Musculi (cum Tendinibus)

nibus) 8. Ligamenta. 9. Cartilagines. 10. Oſſa. 11. Vngues. 12. Pili. 13. Glandulæ. His *in Tract. de Partib. ſimil.* annumero Cuticulam, Cutim, & Membranam-carnoſam dictam.

CAPVT VI.

An Muſculi habeant heic locum?

QVia primus, quod ſciam, ſententiam hanc dico, oportet corroborare illam, & præcipuè ex Galeno. Huius voluntas tam clara eſt in illo *de Diff. morb.* 4. *E.* vt parum pudentis ſit dubitare velle. Licet etiam ex conſequenti deducere. Si Tendines apud eundem indubitatò ſunt in hoc cenſu: cur muſculi non ſint? Imò verò, cur non potiori ratione? Totum potiùs, quàm pars? Quæ pars ſine ſuo corpore ne cogitari quidem poteſt? Accedit, ſi rectè definitum eſt, partes ſimilares eſſe illas omnes, quæ ad conſtitutionem diſſimilarium concurrunt; muſculi autem concurrunt: quid opus eſt aliis? Exempla deſideras? Dabo. Galenus 1. *Vſ. part.* enumerans partes manus, non habet tantùm inter illas muſculos: ſed & principatum illis tribuit. Hac de re ne dubites, *cap.* 10. adſcribit illis τὸ κῦρος τῆς ἐνεργείας, vt *ex* 7. *Meth.* 2. *B.* loqui licet. Idem Galenus 10. *Vſ. part.* qui eſt de oculo, in cenſu partium ſimilarium muſculos etiam habet. Et quem alioqui locum in Phyſiologicis habebunt? Nam qui *in libris Anatomicis* explicant, non in his tantùm peccant: ſed & in reliquis ſimilaribus, vt in *Præf. dicta* queſtus ſum. A B

His argumentis firmiſſimis addo hunc cumulum. 1. Muſculi ſunt in numero generis nervoſi, 5. *Aph.* 1. *C.* 2. Muſculi eadem eſt conſtitutio, quæ Tendinis, 2. *Loc. aff.* 2. ex nervo ſcilicet & ligamento, 12. *Vſ. part.* 3. *A.* & vbicunque de hoc negotio agit. 3. Muſculi non minùs ad Cerebrum, ſpinalémque medullam referuntur, quàm nervi, 7. *Meth.* 13. *D.* 1. *in* 6. *Epid.* 3. *F.* 4. Muſculi quidam rectè dicuntur nervoſi, quòd præ cæteris parum carnis habeant, 11. *Vſ. part.* 2. *A.* 5. *Aph.* 66. Hinc concludo, Muſculos apud Galenum eſſe medium quid inter nervum & ligamentum, ideóque ad genus nervoſum reduci poſſe. Id verò indubitatò ſub ſimilaribus eſt. Tu, quiſquis es, hoc cape: Non loquor de rei veritate, & quod in Anatomia exacta eſt, ſed de eo, quod ab antiquis conſtitutum eſt, vt *cap. præced.* etiam dixi. C

CAPVT VII.

Quæ ſit materia? Quod ſit alimentum harum partium?

A VTinam Galenus in vtraque hac quæſtione non ita indulſiſſet affecti-
bus ſuis, vt opus ſit Apologiâ! Et de priori quidem alius erit dicendi
locus: de poſteriori heic loquar, facto inde exordio. Rectè Philoſophus 1.
Phyſ.2.t.10. Dato vno abſurdo: ſequuntur infinita. Ita enim explicant τὸ τἄλ-
λα: & rectè. Quemadmodum enim viator (quo ſimili vtitur alicubi Aver-
roës) ſi vnum gradum faciat vltra ſemitam ſuam, nec ſtatim corrigat, errat
in infinitum: ita in diſciplinis fit. Hoc contigit Galeno in hoc negotio,
Cùm enim ex corporatura ſeminis maſculi feciſſet partes quaſdam, eas
ſcilicet quas ſpermaticas inde vocat; & verò vrgeret illud effatum Ariſt.2.
Gen.3. quod diſertè acceptat 1. *Sem.16. extr. Ex quibus conſtamus, ex iis nu-*
B *trimur:* quid auſus eſt? Id quod res volebat, ſemine ali dixit ſpermaticas
ſuas. Si quis obiiciat. Primò, Atqui ſemen in vaſis ſpermaticis ſolis gigni-
tur, adeóque inſtitutum eſt ad ſpeciei conſervationem, non indiuidui. Se-
cundò, Non gignitur in omni ætate, ſed in perfecta tantùm. Tertiò, Sed
ſint hæc duo nihil: non eſt via ſemini illi ad alendas partes ſpermaticas. Si
quis, inquam, hæc obiiciat, quid ille? Atramento obfuſcat. Cùm ſint albæ
partes illæ, ſanguinem, antequam nutriat, mutant in quid album, quod ſe-
men dici poteſt. Ita loquor, vt conſulam quoquo modo honori ipſius &
conſecraneorum. Neque enim ſatis ſcio, an quiſquam illorum tam væcors
eſſe velit, ſemen vti expreſsè vocet. Hac de re quid iudicaverit doctor olim
C meus D. TAVRELLVS, dixi *Com.in* 14. *Vſ.p.3.* Huic nunc ad latus pono Ill.
Scaligerum, cuius *in* 3. *Hiſt.anim.*85. hæc ſunt verba, *Mirificus vir fuit Gal.
qui à colore argumentaretur!* Et paulò pòſt *num.*231. *Fruſtrà argumentatur
Galenus à colore.* Vide, ſi placet, 3. *Gen.hom.*11. Iam te, quiſquis es, qui rebus
Galeni etiamnum faves, appello; Quid animi tibi eſt? an nondum etiam
pudet te clientis tui? Si frontem perfricueris, dicam hoc amplius, Ille, qui
ſemine nutriri partes ſpermaticas volebat; is idem novam partium diſtin-
ctionem parat in ſanguineas, pituitoſas, biliosas & melancholicas, & docet,
adeóque Hipp. autoritate confirmat, Harum ſingulas nutriri ſuo humore.
Si ſatis ne hoc quidem eſt ad conciliandum ruborem, ſuperaddo hoc quo-
que: Is idem ventriculum chylo nutriri contendit. Vides, an nondum
D etiam? verum eſſe, quod ſæpe dico, *Mendacium eſſe* πολύμορφον? At ſim-
plex duntaxat & vna eſt Veritatis oratio, Partes omnes vt ex ſanguine con-
ſtiterunt: ita omnes ſanguine aluntur.

Hoc quia probabitur infrà; ſimul etiam, excrementa non nutrire: non eſt heic opus pluribus. Intereà facito mihi, ὦ φιλογάλλωε, hanc gratiam, & lege Galenum his locis, 2. *Elem.* 2. *A.Ibid. cap.*4. *C.*1. *Nat. hum.*27. *E.*2.

Fac.

Fac. nat. 3. *C.* 1. *San. tu.* 2. *A.* vti intelligas, Illum-ipsum fuisse etiam bonum Peripateticum, siquidem docuit, Partes omnes generari ex sanguine. Si generantur, vtique etiam aluntur. Et hoc non faciat ad demonstrandam vlteriorem inconstantiam, falsitati propriam? Atqui, inquis, etiam Arist. hæret in hoc luto. Cùm enim 2. *Gen.* 6. ossa, vngues, & huiuscemodi alias partes facit ex excremento sanguinis: vtique excremento etiam sanguinis nutrientur illæ. Respondeo, Excrementum, περίττωμα, vocat ibi Philosophus, non quod in sanguinis confectione tanquam inutile & alienum deciditur: sed sanguinis partem terrestriorem, quæ ossibus &c. analoga esse creditur. Interim, tam in generatione, quàm in nutritione, necesse est solvi sanguinem hunc, qualiscunque etiam sit, in vaporem, vt alibi docui. Similem ἀναθυμίασιν si pro Gal. attuleris, statim è vestigio cedam.

Vide 3. *Gen. hom.* 17.

E

CAPVT VIII.

DE CARNE, & primùm de Causa eius Efficiente.

A

CAlorem esse Galenus docet multis locis: at frigus esse Hipp. statuit *l. de Carn. t.* 10. & *de Nat. pu. t.* 5. Arist. 4. *Meteor.* 6. 2. *Gen.* 6. Mihi videtur distinctione opus esse inter generationem & concretionem, seu conspissationem, seu coactionem, vt de pinguedine etiam dicetur. Caro coit à calore, sed eo moderato, vt in pinguedine quoque: eadem densatur circa fibras, quæ terreæ sunt. An hoc est frigus Aristotelis? Dicis: Sed non liquatur à calore, vt pinguedo? Heic insignis est deceptio. Caro, quà caro, quà, inquam, sanguis est, fibris aspersus roris modo, liquatur. Sentimus enim in iusculis cuiuscunque carnis & odorem & saporem. Caro, quà in fibrarum substantiam abiit (si modò id fit) non liquatur. Iam enim terreum quid est, & illiquabile. Ita pinguedo ipsa liquatur: membranæ, quibus obhæreſcit, neutiquam. B
Si libeat tibi tergiversari, dicere licebit de Hipp. Non sunt illa Hipp. Vterque enim liber νοθεύει. Quod ad Arist. *in Meteor.* loquitur ille de imperfectè mistis, quale caro non est. *In de Gen.* loquitur ex aliena sententia. Interim idem 3. *Part.* 5. πάχωσιν ait fieri, ὅταν πέσσηται! Et Gal. in colliquationibus (loca non affero) liquari ait teneras carnes.

Vide *Collect. de Ichorib.* quà de Ichore acti.

CAPVT IX.

De Vsibus eiusdem.

A

CVm diligentiùs intueor multos, varióſque illos vsus, quos Carni tribuunt, quà Philosophi, quà Medici, soleo indignari Naturæ causâ. Faciunt enim illam similem ignavo artifici, qui rem vnam paret pro tot &

tantis, imò inter ſe pugnantibus rebus : quot præeſſe illa non poſſit. Quò magis videor mihi precium operæ facturus, ſi coner conciliare pleraſque ſententias, hinc facto exordio. Primus & principalis apud me eſt ille, de quo *infrà* latiùs, Carnem eſſe inſtrumentum tactûs, adeóque per illam conſtitui animal, vt Ariſt. docet 2. *Part.*1. Si enim contingat partes ſenſiles bene temperatas eſſe affuſione ſucci huius benigni, feliciùs ſentient. Atque hinc vlteriùs progredior ad motum. Si partes mobiles bene temperatæ ſint, & bene humectæ, motus erit felicior. Quare Galenus dicere poterit 12. *Vſ. p.*4. *B.* & *ibid.*10.*D.* motum eſſe de eſſentia animalis. Et hoc malo, quàm cum Th. à Veiga *Com. in Artem, c.*50. & Falloppio 4.*Obſ.*3. dicere, Spiritum animalem è cerebro in muſculos demiſſum, in iiſdem bene incaleſcere, vt motus ſit fortior. Omnino, cùm caro propriè dicta in ſolis ſit muſculis; illi autem dicati ſint motui : omnis ratio colligit, carnem conferre ad motum excellens quid. Interim non adeò dilatabo hunc vſum, vt pro parte principe, cum Gal. 1.*Fract.*12. agnoſcam. Nam nec quærenda eſt in muſculo pars princeps, cùm agat κατ' ἐντελέχειαν tantùm, vt infrà explicabitur. Secundus & minùs principalis vſus eſt, quamvis etiam vix differat à primo, verborum ſono, Præbere partibus ſubſtantificam humectationem. Hanc docuit, quiſquis etiam ille fuit, ſophiſta Alexandrinus, cuius meminit Veiga *l. c.* Ita enim ſiccitas nervorum & ligamentorum, ex perpetuo motu contracta, permiſtione ſubſtantiæ humidæ emendatur & prohibetur. Hoc, nî fallor, voluit Avicenna 1.1. *doct.* 4. *c.*1. & iterum *doct.*5. *ſum.* 2. *c.* 2. Carnem implere vacua muſculorum ſpacia, adeóque eſſe fortitudinem membrorum, quâ ſuſtentantur. Ita Coſtæus *Com. in d. l.* Membrorum robur & tonus eſt ab interiecta fibris muſculorum carne. Idem dicit, ſed commodioribus verbis, Th. à Veiga *l. c.* Tendines habent robur à carne. Scio eundem ibid. impugnare ſpecioſis rationibus, de quibus viderint alij. Ego enim Valleſij *in iiſdem Com.* explicationem amplector, Inde eſſe, quod alij aliis craſſiores (addo ego, fortiores) ſint. Hoc ipſum docuiſſe etiam Gal. 7. *Vſ. p.*2. vt & 12. *eiuſd.*3. *C.* alij ante me viderunt. Ait enim Carnem eſſe muſculo δίκην ςοίβης, *tomenti ſeu pulvinaris inſtar*, ne fibræ illius facilè rumpantur. Hac παραμυθίᾳ habitâ acceptabo Platonis in Timæo vſum, Carnem præbere partibus contra externas iniurias id, quod alioqui dant nobis τὰ πιλητὰ κτήματα, *denſata ex lanis ſtragula.* Et hunc Platonicum vſum acceptat Galenus, non tantùm *ll. cc.* ſed & 1. *Vſ. p.*13. *B.* Interim non diffiteor, valere contra hunc vſum Veigæ argumenta, quorum memini, necnon Varolij illud, Ridiculum eſſe petere velle neceſſitatem fabricæ partium ab externis læſionibus, cùm petenda ſit ab actionibus. Hæc ego volui : tu videris !

B

C

D

In inſtrumento perfecto, quale manus eſt, muſculus poteſt eſſe pars princeps : in muſculo, qui eſt inſtrumẽtum primum, nõ poteſt quæri pars princeps.

Veſal. 2. *Mag. Op.*2. contentus eſt ſtœbe: at *in Ep. ad Roland. f.* 156. agnoſcit etiam partẽ principem.

CAPVT

CAPVT X.

DE FIBRIS.

AGnoſco lubens, Medicos in vſu fibrarum progreſſos eſſe ab evidentibus ſenſui, ad ea quæ minùs evidentia ſunt, à motu, inquã, vnivoco ad æquivocum. Cùm enim viderent, motus locales in muſculis cieri pro differentia fibrarum, à rectis ſcilicet motus edi rectos, ab obliquis obliquos: veriſimiliter concluſerunt, fieri id ipſum in negotio quoque nutritionis. Verumenimverò, cùm in venis, v. g. fibræ non ita ad oculum demonſtrari poſſint, vt in muſculis; cùm alia obſtent, quæ diligentiſſimus Fallopius collegit 3. *Obſ.* 1. effecerunt illa tantùm apud ſummum Anatomicum Veſalium, vt, quæ de fibris venarum 3. *Magni Op.* 1. quà verbis, quà picturis in medium protulerat, tantum non refutârit *in Ex. d. Obſ.* f. 80. Auſus eſt quidem aliquid contra Fallop. Coſtæus 6. *Diſq. Phyſ.* f. 503. vt & Aſellius de Lactibus *c.* 26. ſed infeliciter vterque, vt ego quidem iudico. A

In vniuerſum ita cenſeo, Tam in ſubſtantia, quàm in vſu partium non eſſe nobis vlteriùs progrediendum, quàm homini datum eſt. In venarum ſubſtantia (manebo enim in exemplo) quia eæ ſe obiiciunt nobis difficultates, ad quas reſpondere non poſſumus, præſtat tacere, quàm falſum dicere. In textrina ſæpe eò progreditur opus, vt retexi non poſſit ne ab ipſo quidem artifice: quæ Natura texuit, poſſimus retexere nos? Quò enim laceratio illa fortuita & violenta, quæ in theatro Anatomico fit? quid ſimile habet cum Natura operante? Qui apes vident mellificantes, vel in alvearibus vitreis, vel per foramen ferreis filis clauſum, nihil aliud vident, quàm apes hinc inde diſcurrentes ſtipato agmine: in ipſo mellificio admirantur potiùs Naturæ ſolertiam, quàm vt dicere auſint ſe vidiſſe, quomodo id factum ſit? In Naturæ fœtificantis, vt ſic dicam, induſtria quidni accidat idem? Et hæc quidem de Subſtantia: in Vſu eædem ſunt tenebræ. Veriſimiliter docent veteres, & meritò retinent hodiéque ſapientes, fieri nutritionem ope quatuor facultatum, quas Miniſtras, ſeu communes vocant, Attractricis, retentricis, alteratricis, & expultricis: at verò quibus præciſè inſtrumentis ſingulæ illarum operentur, id verò eſt, quò Mens humana aſpirare non poteſt. Vt difficultas fiat conſpectior, cape hoc quoque, quiſquis es. Pleræque partes nutritoriæ, præter privatas illas quatuor actiones, habent etiam publicas quatuor, quibus vel alimentum pro toto corpore elaborant, vel excrementa abducunt. Ventriculus, v. g. quatenus nutritur, hoc eſt, ſibi priuatim conſulit, habet quatuor dictas facultates: quatenus chylum coquit pro toto corpore, habet alias quatuor cognomines. Iam, ſi tu vis mihi monſtrare diſtincta inſtrumenta actionis privatæ: volam oſtendi mihi totidem publicæ! Si ad temporis diverſitatem confugere vis, & dicere, Alio tempore pri- B C D

vatim agere, alio publicè : cupiam mihi probari , In operibus naturalibus tale quid fieri. Melius itaque eſt heic ſubſiſtentem dicere , ταῦτα μὲν ὁ δημιουργὸς ἡμῶν ἐβουλήθη· ἐπειδὴ δ' ἐγένετο, μηδ' ἐπιχειρήσῃς ἔτι, μηδὲ τολμήσῃς, ὅπως ἐγένετο, ζητεῖν, 15.*Vſ.part.*1.*extr.* Hanc cenſuram ſi Galenus heic quoque adhibuiſſet ; nec vltrà quàm par eſt, progreſſus fuiſſet : non opus fuiſſet hac cenſurâ. Quæ quàm iuſta ſit , vide , ſodes, ampliùs mecum. Vnde,
E quæſo natum eſt Galeni 2. *Temp.*3. *D.* duplex fibrarum genus , alterum quidem muſculorum : alterum autem cordis , venarum , ventriculi , veſicæ, vtriuſque vteri ? Certè, de ſententia ipſius , fibræ omnes ſunt ex ὄγκῳ ſeminis maſculi ! Non aliunde quàm ex imaginaria muſculi generatione, de qua *infrà* dicetur. Quei enim ſcit fibras muſculorum fieri demum ex nervis & ligamentis,poſtquam nervi & ligamenta ſeorſim facta ſunt ? Ita prorſus eſt,vt alicubi Veſalius docet.Fiunt partes poſt partes,non autem partes ex partibus. Et hoc eſt,quod vetuſtiſſ.Orpheus apud Ariſt.ait 2 *Gen.*1.Fœtus fit ὁμοίως τῇ τοῦ
F δικτύου πλοκῇ,*vt rete fit.* Atque vt Galenum aliquo modo ſublevem,Illi,qui miracula miraculis aſſuunt,vbi legerunt apud Galenum fibras carnoſas & ſpermaticas ? *Sum enim curioſulus hac in parte,* & frequenter dico cum Vlpiano apud Athenæum , ποῦ κεῖται? *vbi ſcriptum eſt?* Scio , quid 1. *Sem.*10.*extr.* (loco quamvis peſſimè habito à librariis) dicatur : verùm non probat , quod illi volunt. Iidem vbi legerunt fibras muſculoſas,contradiſtinctas à nervoſis ſeu ligamentalibus ? Vbi tandem alias præfecit Gal. motui voluntario , qui vnivocus eſt : alias naturali , qui æquivocus eſt ? Et quei audent ab illo ad hunc argumentari ? ab eo, qui in ſenſus incurrit , ad illum , qui ſenſum latet ? Fibras in muſculis conſpicuò videmus : in aliis partibus difficulter, imò in quibuſdam planè non, v.g.in venis, de quibus Fall. *l.c. Potentiâ potiùs eſſe,*
G *quàm actu.* Et Veſal. *in Ex.f.*81. *Nomine potius venire imaginandas , quàm vt in rerum natura eſſe illas aſſerere poſſimus.* Dicis, Cui ergo bono eſt mirabilis illa ex fibris textura ? Vt vnumquodque ſit , quod eſt , & poſſit præeſſe rebus ſuis. Vena, v. g. vt ſanguinem continere poſſit. Et hoc malo , quàm ſυμπάθειαν Falloppij. Hæc ego fortaſſis audaciùs : quia ex Naturæ libro proficere volo , non ex imaginationibus. Vide etiam Coſt. *l.* 6. *Diſq. Phyſ.ſ.*503.

CAPVT XI.

DE VENIS, primùmque de Origine illarum.

A HEic ego ſtatim proteſtor,nolle me contendere de principio vel φύσεως, vel ῥιζώσεως : ſed διοικήσεως tantùm. Quia enim , vt dictum modò eſt, partes omnes fiunt ordine quodam,& primò quidem rudìter adumbrantur, poſteà autem ſenſim perficiuntur : non poteſt etiam dici , vel cordi vel hepati perfecto appendi venas , arteriáſve. Quin imò, vt ex hiſtoriis ovorum incubatorum

Vide 6. *Var.lect.*18.

incubatorum habemus, quamprimùm Cor incipit salire, hinc inde & vena-cava & arteria-magna oriri incipit. Et hoc est, quod Vesal. scribit *Epist. ad Roland. f.*176. & 188. & quod dixisse illum Bononiæ, cùm illac Pisas iret, & fortè fortuna incideret in Anatomiam, quam Bart. Maggius tum administrabat (cuius etiam meminit, quin imò ferè totum *lib.*3. *Apologiæ* suæ in orationibus Bononiensium insumit Puteus) Cuneus *Apol. f.*71. Venas ex corde oriri dici, non quòd facto iam cordi appendantur denique; sed quòd continuæ sint cum corde, non secus ac aquæductus continui sunt cum castello suo, è quo aqua omnis derivatur in varia vrbis loca. Hoc principium (τῆ διοικήσεως) tantò solicitiùs inquirimus, quò verius est, vetustissimos quosque (Hipp. Platonem, Arist. & Galenum) distributionem venarum & arteriarum, atque adeò sanguinis ibi stagnantis, comparâsse cum canalibus, seu aquæductibus, quibus vniversi vrbis alicuius vici irrigantur. Hoc principium Gal. *6. Sent. Hipp.*8. *B.* hepati tribuit, & succurrit illi cum tribunitia potestate Laurent. 1. *Anat. Quæst.*29.

Et hoc responsũ esto Spigelio 5. *Anat.* 3.

B

Verùm nos commodiùs Cordi transcribimus, loquentes interim cum iis etiam, qui generationis agnoscunt. Cæterùm, non tam incumbimus probationibus, hoc est, κατασκευαῖς, quàm ostensionibus de nullitate argumentorum Gal. seu ἀνασκευαῖς. Hoc saxum Vesalius quoque volvit 3. *Mag. Op.*6. & *Ep. ad Roland. f.*182. Accedit, si vllibi Adrastéa ostendit vim, potestatémque suam, heic fit. Adeò enim Galenus ipse stabilit Peripateticorum res, vt mirer mancipiorum ipsius pertinaciam, dicam, an amentiam?

C

I. Cùm dicunt nostri, Ad cor referri possunt omnes venæ: illi sine fronte, Ad hepar referri possunt, ad cor non possunt. Quid si dicam falsum esse? Vena enim arteriosa quo tandem modo referri potest ad hepar? Si tergiversaris, Arteria-venosa quei referri potest ad hepar? Atque heic sapientiores quidem tacent: præfractiores autem modò hoc iactant, modò illud, ne pudefacti videantur. Mihi verò maior pudor esse videtur dixisse ineptum quid, quàm tacuisse! Plerique quasi negotium illis esset cum cœcis, qui neque viderint, neque videre possint vel venam-arteriosam, vel arteriam-venosam, totius controversiæ caput in vena-portæ statuunt.

D

His ego ostendo Gorgona meum, Observatio recentior docuit, esse hanc ἀπόφυσιν venæ-cavæ. Hæc autem è corde est. Heic si qui dicant, peti τὸ ἐν ἀρχῇ, illos deduco ad Galenum: Vena-portæ est ἀπόφυσις vmbilicalis, *6. Sent. Hipp. 6. I.* Sed sit hoc ex sententia Praxagoræ, vt *infrà* dicam: Venæ totius corporis sunt ἀποφύσεις venæ-portæ, *6. Ex. Anat.*8. *C.* Vbi quæro, Fitne hoc per vnum porum, an per plures? Vnum invenio *l. de Diff. morb.*7. *D.* quo mediante vasa gibbæ partis trahunt ex vasis simæ partis. At hic ipse porus est ἀγγεῖον illud μέσον, quod non nisi rarò invenitur, *6. Loc. aff.*4. *extr.* Imò, nunquam reperitur. Cùm ergo non adest, quâ ratione fit ἡ ἀπόφυσις? Fit ergo per plures. Hoc probo ex *5. Loc. aff.*7. *H.* vbi ait, Ad eundem in hepate locum convenire, hinc quidem venæ-cavæ propagines, illinc autem venæ-portæ: cæterùm ἀναστομώσεις vtrarumque esse inconspicuas. Imò nullas esse deduco

E

Vide loca plura *c*.101.

deduco *ex* 13.*Meth*.15.*D*.& 17.*B*. & iterùm 18.*A*. quibus locis negat, in inflammatione gibbæ partis hepatis locum habere diuretica: habere autem in simæ. Nempe simæ partis vasa ad gibbæ non perveniunt, imò, ne contingunt quidem. In hac tanta inconstantia, & rei Anatomicæ ignorantia, ausitne quis dicere probatum esse, quod intendebatur?

II. Cùm dicunt nostri, Vbi venæ sunt ampliores, ibi oriuntur, Atqui circa cor sunt ampliores: quid illi? Allatâ Gal. autoritate *ex* 6.*Sent.Hipp*.3. *ext*.& 4. *A*. Venam-cavam aiunt circa hepar ampliorem esse, Quibus ego,
F Respondete mihi de omnibus, neque ex oratione vniversali facitote particularem. Sed satis sit instantiam attulisse: éstne verum, quod Galenus dicit? Contrarium est verius. Hoc, quia ad sensum pertinet, iudicium etiam penes sensum erit, adeóque oculati testes quatuor conficient negotium. Horum primus esto Vesal.3.*Mag.Op*.6. & iterùm *l*.6. *c*.12. & denuò *Ep.ad Rol*. *f*.184. Alter, Cæsalp.5. *Perip. quæst*.3. Tertius, Spigelius, 4.*Anat*.3. Quartus, Accoramb. *Notis in* 3.*Part*. cuius etiam solius verba attulisse sufficiat. Oculatâ fide, inquit, vnusquisque perspicere potest, venam cavam circa cor esse triplo latiorem, quàm circa hepar. Si me non repudias, dico tibi fide meâ,
G sæpissime-numero in præexercitamentis meis Anatomicis persuasisse me id ipsum auditoribus meis. Et est res adeò facilis, vt vel à lanio demonstrari possit! Tu verò, quisquis Galeno plus tribuis, quàm oculis tuis, vel hinc disce, Galeni asseverationibus non semper esse deferendum. Vt enim vincat, aliquando non erubescit. Tales etiam sunt Semi-Pyrrhonij, & qui cedere nesciunt. Horum aliquis, Est exigua amplitudo. Exigua, quæ triplo maior est? Sed neque quæritur quanta sit, si modò sit vlla. Alius, Non est in omnibus. Est in omnibus, etiam piscibus, vt Cuneus observat *Apol.f*.77. Alius, Est deceptio sensus. Videtur enim amplitudo esse maior, ob dilatationẽ cor-
H dis. Atqui ego in mortuo animali demonstro. Alius, Ob dextram auriculam fit deceptio. Age, inquam, constituamus auriculæ terminum, vbi tu voles, & consideremus rem! Manet enim hoc, amplior est vena cava circa cor. Alius, Hò! inquit, vasa sunt ampliora, non vbi oriuntur, sed vbi finis amplitudinem vult. Cui ego, Vbi est maior vsus & opportunitas (ita enim loquitur) quàm circa principium? Et debuit circa cor amplior esse vena cava, vt sanguis confertim irruere possit. Opus verò esse tali cavitate, annon dicit tibi auricula, quæ amplitudinem mirificè auget? Alius, Tamen Gal. vidit ita esse. Tamen semidoctus es tu, qui nescis tacere, 2.*Dign.puls*.3.*N*. Quin si tanta tibi Galeni cura, accipe hæc ipsius verba *ex* 12. *Vs.p*.11. *C*. Vena cava à proprio principio magna enata, veluti stipes quidam, dum progreditur, &c. Summa, Galeni heic mendacium evidens est, ὅπως διαφυλάττῃ τὴν θέσιν. *Es ist ein ehrenlügen*.

Concedit Bauh. 1. *Thea*.20. sed negat, quidquam inde cõcludi posse. Sylv.*Cal*. 18.

I III. Cùm dicimus, Vbi firmissimè alligantur, ibi oriuntur: non autem vbi lambunt tantùm viscus. At in corde fit illud: in hepate accidit hoc. Contrà, inquiunt illi. Insignita audacia, quam aliter non retuderis, quàm oculis & manibus iudicibus! Ita enim est, Vena cava firmissimè quidem alligatur cordi,

cordi, principio suo carneo vestiens interiorem & superiorem dextri ventriculi partem, vt sine ruptione separari neutiquam possit : at hepati attenditur tantùm, & quidem tam superficialiter, vt caro tota, vel stylo detrahi, vel vngue abradi possit, salvâ prorsus venæ substantiâ. Hoc quia experiri vnicuique tam facile est, quàm manum vertere, quid pluribus est opus ? Tu verò adverte hoc quoque, Vena cava qualis elapsa est diaphragmate, talis est & in hepate, & vltra hepar, demto hoc solo, quòd ramos hepati immittit. K

IV. Cùm dicimus, Vbi è substantia visceris sensim dilatata exeunt venæ, ibi oriuntur : non autem, vbi servatâ suâ conformatione, ramos immittunt. In corde fit illud : in hepate hoc. Quid, inquiunt, differt argumentum hoc à priori ? Equidem non valde repugno : tu verò responsionem para, nec frustra repugna sensui, vt cogas me tandem vocare te ἀγχοικοπυῤῥώνειον. Quin ne frustra de Adrastéa dixisse me putes, vide, quæso, an non idem sonent verba Galeni 6. *Vs. p.* 4. *B. Cor prabere venæ cavæ quasi manum quandam, ἀπόφυσιν nervosam & fortem, auriculam dextram?* Quid est ἀπόφυσις, nisi pars rei ? Id confirmatur per ea, quæ paulò pòst, *F.* dicuntur, *Venæ cavæ partem ascendentem aliquo-vsque deduci* (ἀποπέμπεσθαι) *à cordis processibus.* Ampliùs *ibid.* 11. *A.* Si vena arteriosa exsistere potest è dextri ventriculi par- L tibus crassioribus : quidni cava ex tenuioribus, de quibus *ibi ?* Si arteria venosa est, & dicitur, antequam finis est sinistræ auriculæ, 7. *Ex. Anat.* 14. *D.* quid causæ est, quò minus vena cava sit, & dicatur tunc etiam, cùm in auriculam dextram dilatata est ? Si auriculæ sunt partes suorum vasorum ; & verò auriculæ sunt partes cordis, *Ibid.* 15. extremò : quidni vasa ipsa sint partes cordis ? Sed quid diutius inhæreo auriculis ? Loquens 6. *Vs. p.* 7. *B.* de superioribus cordis partibus, tam iis, quæ auriculas habent, quàm iis, quæ non habent, *ἀνακεῖσθαι* ait τῇ τῶν ἀγγείων ἐκφύσει, *vasorum origini dicatas esse, non minùs quàm statuæ votivæ aris suis*, vt vim vocis exprimam. *Ibid. C.* dicitur, *Absumi in vasa.* Si in vasa, Ergo in venam quoque cavam. Hanc in rem M plura afferentur loca inferiùs.

V. Cùm dicitur, Venarum substantia est similior cordi, quàm hepati: afferunt illi ex 4. *Vs. p.* 2. *extr.* τὴν παραπλησίαν φύσιν venarum & hepatis. Hoc si satis est, afferam ego contrarium Galeni locum ex *l. de Form. fœt.* 5. *C.* vbi de vena cava dicitur, *Non esse vllam illius cum hepate similitudinem.* Heic verò, ô socij, quid ? Quo modo respondebitis ad contradictionem tam manifestam ? Non est alia fugæ ratio, quàm in illo *de Vs. part.* agnosse errorem: admittere autem explicationem alterius. Illa explicatio fuerit, si dicamus *ex* 6. *Vs. p.* 8. *A. ex* 6. *Sent. Hipp.* 8. *I. ex l. de Cibis,* 4. *H.* Cor esse substantiæ solidioris & fibrosioris, quàm sit vllum aliud viscus. Quamobrem 2. *Temp.* 3. *D.* eximit è censu parenchymatum. Quin 7. *Ex. Anat.* 8. *A.* peculiarem illi N substantiam tribuit, & à musculis præcipuè diversam. Propter hanc, & in venas, & in arterias ductilis est, vt sic loquar. Hoc, nisi fallor, veteres volebant, cùm, vt est 4. *Diff. puls.* 8. *C.* sinistrum ventriculum vocabant Arteriosum, quòd in arterias expandatur. Eodem modo de dextro dici potest. Nam

licèt ex vtroque ventriculo vtriusque generis vas fiat: non est tamen locutio insolens, ob vicinam vtriusque vasis substantiam. Et quis vnquam sine præiudicio intuitus est substantiam dextræ auriculæ, qui non fassus sit esse eiusdem cum vena cava substantiæ? Tantò magis, si ex hypothesi Galenica dicamus, Ex hepate, quod sanguineum est, partem spermaticam, venam, exsistere non posse: ex corde, quod ipsum quoque spermaticum, posse.

O VI. Cùm non substantiæ tantùm similitudo vrgetur, sed & structuræ, officiique: quid audent? plurimùm se profecisse putant, si ostendant, Venam cavam ex corde proficisci, non vno trunco magno, quemadmodum arteria magna, qui posteà bifurcetur: sed ὀρθίαν, vt Galenus loquitur 7. *Ex. Anat.*8. *A. recto tramite*, vt Andernacus vertit. Præterquam enim quòd absurda esset structura, vt Vesal. *l.*3. *cap.*6. etiam picturâ ostendit: non poterat hac ratione Vena cava rectè præesse officio suo. Hoc inde intelligitur. Arteria tantùm debuit exportare: & quidem tam sursum, quàm deorsum: ideo è corde pullulare debuit vno trunco, qui deinde in ramos duos, ascen-
P dentem & descendentem, divideretur. Vena & importare & exportare debebat: ideò non potuit in dextro ventriculo esse diverticulum tale, quale in arteria est; sed necessarium fuit rectum iter, vt & egressus & ingressus liber sit.

VII. Cùm valvulæ vrgentur, quæ dictum vasorum officium importandi & exportandi moderantur: quid faciunt? Mussant. Ego verò pisce quovis magis mutos illos efficiam, ostendens loca Galeni, quibus fatetur originem illarum esse è corde. Cùm enim ἄφυκτον sit illud; si machinæ, quæ vasis præstruuntur, sunt ex corde, vtique vasa ipsa quoque erunt: quis non videt heic quoque Adrastéam caput exserentem? Loca sunt 6.*V.ſ.p.*11. *A. & C.* vbi est τὸ φῦσαι καὶ ἐκφῦσαι. *Ibid.*14. est ἐκφῦσαι, ἐπιφῦσαι, ὁρμᾶσθαι, γίγνεσθαι.

Q VIII. Si cisternas in corde duas ostendas, simúlque causam scire aveas, cur Galenus 4.*V.ſ.p.*13. *A.* in hepate etiam cogitârit de tali aliqua: quid habent? Equidem nihil hactenus apud egregios istos defensores offendi: puto autem, Galenum non fuisse alienum ab huiusmodi cisterna, vt *suprà* dixi.

IX. Si intonem vulgatum, & omnibus seculis pro verissimo habitum λῆμμα ἀποδεικτικὸν, ab ipso Galeno vocatum 2. *Sent. Hipp.*8. *F.* Cor est primum vivens, & vltimum moriens; si afferam *ex* 1. *Sem.*8. *A.*14. *V.ſ.p.*3. *D.* Cor primum vivere; si ob oculos illis ponam vanissimam mutatæ sententiæ causam, transitúmque ad hepar, *Form.fœt.*3. *D.* si vrgeam illa 5. *Loc.aff.*1. *B.*2.
R *Acut.*47. *C.* animal non posse mori nisi corde affecto: quid illi? Nihil. Si explicem me, Quemadmodum ex corde est primum & commune instrumentum, Calor, quod Galenus disertè dicit, non solùm in 14. *illo V.ſ.p.* sed & vbicunque Cor habet pro principio, & foco, & fonte caloris; ita ex eodem corde necessariò sunt secundaria instrumenta, vasa dicta trium generum, quæ calorem per corpus didunt: quid tum verò illi? Tantundem atque priùs. Immò verò, velint nolint, concedant oportet, Adrastéam ostendisse

heic

heic quoque infinitam potentiam ſuam ! Vt enim valvulas ex corde oriri dixit *ll. cc.* ita vaſa ipſa his locis. 7. *Ex. Anat.* 14. *C.* 6. *Vſ. p.* 2. *&* 14. *A.* de omnibus ait, ἐκ τῆς καρδίας ἐκφῦναι, ὁρμᾶσθαι, ἀνίσχειν. Eodem 6. *Vſ. p.* 7. *C.* & iterum 16. *C.* de cordis partibus ſuperioribus ſtatuit, κυριωτάτας eſſe, idque propter orificia vaſorum ibi collocata, per quæ omnia cordis opera fiunt. Eodem 6. S
Vſ. p. 10. *A.* itémque 11. *D.* venam arterioſam ex corde derivat, vſus loco poſteriore τῷ ἐκφῦναι, quemadmodum etiam 6. *Sent. Hipp.* 4. vlt. verbis. De arteria venoſa, licèt res dubia non ſit: utitur tamen eodem ἐκφῦναι, 1. *Sent. Hipp.* 7. *ext.* 2. *eiuſd.* 4. *C.* Sed nec vaſa ſola ex corde deducit: verumetiam ſanguinem. Nam ne de aliis locis dicam, 1. *Temp. vlt. L.* expreſsè dicit, quamlibet partem tantum habere caloris, quantum ſanguinis à corde accepti.

Heic κρησφύγετον habent ex 6. *Sent. Hipp.* 6. *ext.* Si venæ eſſent ex corde, æquè pulſarent ac arteriæ. Et eſt hæc res tam certa apud Philoſophum *l. de Reſp.* 20. vt dicat, Venas omnes pulſare, quia pendent ex corde. Sed profectò cauto eſt opus. Neque enim quia cum corde, pulmone, totóque thorace T
perpetuò concutiuntur: propterea dici debent pulſare. Eſt enim, vt ex 6. *Vſ. p.* 4. *A.* diſtinguere licet, σεῖσις potiùs quàm σφύξις. Non etiam, ſi ſpiritum continent quendam, eodem 6. *Vſ. p.* 10. *F. &* 16. *L. &* 21. *E.* pulſus autem apud Ariſt. fit ſpiritu: ideo pulſant. Non enim quivis ſpiritus id facit: ſed copioſus & vehemens. Non etiam, ſi Gal. 7. *Ex. Anat.* 15. *B.* 6. *Vſ. p.* 16. *F.* 6. *Sent. Hipp.* 7. *C.* 4. *Diff. pulſ.* 8. *C.* conceſſit, dextrum ventriculum æquè pulſare ac ſiniſtrum; non etiam, ſi omnino Galenus dedit venis motum quendam, *Sent. Hipp. l. c.* 1. *Mot. muſc.* 1. *G.* quem inſenſilem vocat *de Trem. & palp.* 2. non item, ſi Chirurgi & Anatomici noſtri percipiunt tale quid in venis: propterea venæ habent pulſum talem, qualem arteriæ. Quin, vt V
paucis me abſoluam, nihil habent præter id, quod συναναστόμωσις arteriarum illis dat. Dicis, Quæ igitur vaſa pulſant, quæ non pulſant? Antequam reſpondeam, hoc mihi dari volo, Vt vas aliquod dicatur vel vena, vel arteria, non eſſe id petendum ex ventriculis: ſed ex ſubſtantia. Hoc ſenſu, vena quidem arterioſa dicta eſt Arteria: arteria autem venoſa Vena. Hoc poſito, dico, Venæ habent officium importandi: arteriæ exportandi. Et, Vena quidem cava importandi in dextrum ventriculum: vena autem arterioſa exportandi in pulmones. Ita, Arteria quidem venoſa habet officium importandi in ſiniſtrum ventriculum: arteria autem magna exportandi in totum corpus.

Et hæc cauſa eſt, cur Natura alternârit vaſa, vt Galenus loqui ſolet: cur, inquam, in vtroque ventriculo ſtatuerit & venam & arteriam, non autem X
in hoc quidem duas venas, in illo autem duas arterias? Alterutrum officium (dico) eſt in cauſa. Exportandi enim officium datum eſt arteriis, quippe quæ robur habent præ venis inſigne, quo robore tolerant tantùm non violentum illum motum, qui pulſus dicitur. Importandi officium venæ habent, quæ debiliores ſunt, & ſine pulſu faciunt, quod faciunt. Vaſorum importantium vſum comprobant auriculæ, 6. *Vſ. p.* 15. *A. & B.* Comprobat in vena

cava amplitudo maior orificij, quàm sociæ arteriæ, venæ arteriosæ, *Ib.*17. *D.*3. *Fac.nat.*15.*B.* licèt eius rei causam aliã det Galenus. Comprobat etiam substantia mollior, quæ cordi trahenti morigera est. Trahit enim cor omni-
Y bus modis, *6.Vs.p.*15.*A.* Comprobat tandem valvularum robur, quod in importantibus maius est, quàm in exportantibus, *Ibid.*14.*C.* & iterum 15.*E.* Et ne de arteria venosa, quæ duas tantùm habet, dubium tibi oboriatur, superant duæ illæ tres venæ cavæ amplitudine, longitudine, & robore, pro orificiorum proportione, vt Cuneus loquitur *Apolog.f.*75. An duæ tantùm sunt, vt sanguis, qui suopte impetu deorsum fertur, citiùs illabatur in cor? Quidquid sit, Exportantium officium (vt iam innui) comprobat inprimis substantiæ firmitas & soliditas, quintuplo aut sextuplo crassior, quàm in importantibus, ad ligamenti quippe naturam accedens, *6. Vs. part.*10. *A. Ibid.*19. *6. Sent. Hipp.* 8. *ext. Fœt. form.*3. *M.* In vniversum, officium quidem im-
Z portandi comprobat situs valvularum, ab interioribus vergens ad exteriora, *6. Vs.part.*11. *C.Ibid.*14. *C. Ibid.*15. *D.* 7. *Ex. Anat.*9. *B.* exportandi autem situs contrarius.

Et huc quidem (vt interloquar quid) pervenire hactenus potui: at cur ramus venæ cavæ ascendens exportet, cùm vena sit, & dicatur? cur item solus ille non habeat valvulas? invenire nihil potui. Sed neque Galenus, neque recentiorum quisquam vel verbo meminit. Videbatur autem inprimis hoc tui officij esse, ô amicissime Riolane, qui & abundas cadaveribus, & post alios omnes, tam eximia protulisti ex divite penu ingenij tui! Proptereà monere placuit,

Naturam, RIOLANE, magis penetrare memento!

AA Tandem ex 6.*Sent. Hipp.*5. *C.* ita obiiciunt, In iis, in quibus dexter ventriculus non est, quomodo potest inde oriri vena cava? Resp. 1. ex ratione, siquidem sanguinea sunt ista animalia, vt præsupponitur: necessariò habent hepar, in quo præparatus sanguis ad cor ascendit, qualis qualis etiam sit vasis importantis conformatio. 2. Ex sensu, de quo Fallopius *de Similar.cap.*13. In piscibus quibusdam aperitur vena cava in cor, non per foramen, vt in homine, cæterisque terrestribus: sed integro ramo. Et hic (quamvis Fallopio aliter videatur) è corde egressus eò loci, vbi aliàs dexter ventriculus est, effundit sanguinem in vnum illum ventriculum, qui proportione respondet sinistro nostro.

Et ita quidem de corde res vndiquaque respondent rebus: at de hepate
BB vestro quid fit, ô boni? Memini SCHERBIVM τὸ πάνυ nobis dicere, Certus sum non posse ad hoc responderi à quoquam. De sententia Gal. fiunt partes spermaticæ omnium primæ ex ὄγκῳ seminis masculi, & sunt instar staminis quod textor seorsim applicat machinæ suæ: his affunduntur sanguineæ, non secus ac si textor addat subtegmen. Venæ, de sententia iterum Galeni, sunt partes spermaticæ, & fiunt ante hepar, quod sanguineum est. Quo igitur modo posterius quod est, ortum dat illi, quod prius est? Atque heic iterum, sed obiter, inclamo istos homines, Vbi nunc est vicina hepatis & venarum

*Vide Schegg. l. de Sanguific. instr. f.*17.*a.*

narum

narum natura, de qua *suprà?* Sed & quomodo non imaginaria est ista vnius partis tempore distincta generatio ? Cum hac ipsa (quæram iterum) quomodo convenit generatio venæ cavæ, quam tradit Galenus *6. Sent. Hipp.3. D. F.* & quomodo excusabitis ducem vestrum, quò minùs verè dici possit prævaricatum esse ? Quemadmodum, dicit, semen in terram proiectum mittit aliquid deorsum, quod radix est, aliquid sursum, quod planta est : ita Arteria magna. Quid hoc rei est, mi Galene ? Δόσις erat de vena cava : tu ἀπόδοσιν das de arteria magna ! Nimirum, plantæ ortus quoquo modo respondet arteriæ magnæ, è corde elabenti : nullo autem modo venæ cavæ, ex hepate secundùm te ortæ. CC

Hoc observavit Accorambonus *l.c.* Hoc in corde fit, inquit ille, etiam de vena cava : nullo modo in hepate. Attenditur enim tantùm parti hepatis gibbæ, & postquam ramos intromisit, pergit rectà deorsum eâdem prorsus magnitudine. Hoc si negare voles, ô Galene, dicam te oculis vti non posse. DD Hoc enim pipulo censet ille dignos alios, eiusdem *Op. cap. 6. M.* Quem ipsum locum si quis diligentiùs inspiciat, videbit prorsus ingenium Gal. φρ-ϖκὸν, quod alios pro fungis habet. Ad sensum, vult dicere, patet, omnes τοῦ χορίου venas desinere in hepar, Ergo omnes venæ sunt ex hepate. Mirifica sanè argumentatio ! Sed vt absolvamus nos ocyùs, Annon patet etiam ad sensum, alterutrum cordis vas, quodcunque tu voles, & venam esse (vel venam-arteriosam, vel arteriam-venosam) & ex corde esse ? Summa, qui semel verecundiæ fines transgressus fuerit, illum gnaviter impudentem esse oportet. Si enim vnum non sufficit mendacium, oportet assuat alia. Atque hæc talia cogit me dicere ADRASTEA, fortassis VERITATIS soror. Si quis fortè velit habere argumentum etiam catascevasticum habeat hoc, ad quod responderi non potest, Vbi ortum habet commune & primarium actionum omnium instrumentum, Calor seu spiritus, ibi etiam secundaria, seu propria. Atqui calor est ex Corde, Galeno fatente.

CAPVT XII.

De Fibris earum.

DIxi quidem suprà, quæ in genere dicenda erant : nunc autem duo addo. A Alterum, ne quis à Vesalio patiatur sibi persuaderi, vllam esse fibrarum rectitudinem, quæ venæ sectionem hanc vel illam suadeat. Nam τὸ κατ' ἴξιν, ad rectitudinem partis vel dextræ, vel sinistræ, sursum vel deorsum, antè vel retrò pertinet, vt latè explicavi *lib.1.* Alterum, ne quis Galeno frustra litem moveat de fibris, quales sint illæ, vel in externa tunica, vel in interna ? Constans est duobus locis eius doctrina *7. Ex. Anat.5. A.6. Vs. p.11. A.* internam venæ tunicam fibras habere transversas : externam rectas & obliquas. B Hoc cùm invertat *3. Fac. nat.11, A.* fas est Fallopium nos auscultare

*l. de Similar. c.*17. transposita esse duo ista vocabula, ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. Hoc quia Vallesius *in Loc. pugn.* non vidit, habet pro magno errato.

CAPVT XIII.

De Temperamento.

A DIctum est non ita pridem ex 1. *Temp. ult. L. Quamlibet partem tantum habere caloris, quantum sanguinis à corde transmissi.* Hoc si venis (eadem est arteriarum ratio) accommodantem audire voles, dicet tibi 8. *Vs. p.* 2. *C.* duabus his partibus nullam aliam calidiorem esse in toto corpore.

Heic iure dicas mutari statum controversiæ. De calore enim συμφύτῳ quærebatur, hoc est, quod elementum in mistione venarum obtinuerit, Calidum, an frigidum? At loca allata sunt de calore ἐμφύτῳ, quem ex corde scimus esse, & considerari in animalibus, non quà mista sunt: sed quà animata. Sed bene habet. Locus enim *in de Temp.*
B rectè consideratus Galenum absolvet. Ait, Venas quidem & arterias naturâ non solùm exangues esse, sed etiam frigidas: à sanguine autem contento calefieri, redigique ad medium, seu æquale temperamentum. At hoc quomodo calidissimum est, inquis? Galenus id non dicit, siquidem vltra cordis calorem, qui in homine æqualis, seu medij temperamenti est, excurrere tibi non placet. Si igitur, vel tantundem, vel in paulò inferiori gradu calere dicat venas & arterias, quo cor calet: verum dixerit. Et hoc quidem consideratis illis, vt sunt partes animantis vivæ. At si consideres vt corpora mista, reverà sunt frigidæ temperiei. Hoc enim latet sub τῷ *Natura.* Paucis, Consideratione Physicâ sunt frigidæ venæ: Medica calidæ.

CAPVT XIV.

An sanguinem faciant?

A SI frigidæ & siccæ sunt, adeóque nihil caloris habent, nisi à corde subministretur: quis ausit hac de re cogitare? Cogitavit tamen non vno loco Galenus, quin parem, ni fallor, cum hepate facultatem illis dedit 1. *Vs. p.* 16. *B.* 1. *Fac. nat.* 4. *A.* 3 *Temp.* 2. *A.* Sed rursus disertè negat 6. *Sent. Hipp.* 8. *C. D.* Credidi olim conciliationem peti posse ex 4. *Vs. p.* 17. *A.* Quemadmodum, inquit, intestinorum primarium officium est distributio chyli, secundarium perfectio eiusdem vlterior: ita venas primâ ratione didere sanguinem, secundâ perficere. Sed retraxit me per vim Vesalius 3. *Mag. Op.* 1. & 5. adegítq; ad sententiã negativã Galeni ipsius *in de Sent.* Si enim venæ καθ᾽ ἑαυτῶν φύσιν,

ex natura, seu temperamento suo sanguinem non gignunt, quòd exsangues sint, non minùs quàm nervi, ligamenta, ossa: quid reliquum esse potest pro parte affirmativa? Certè nec illud, quod Asellius ait *l. de Lact. lib. cap.* 30. Meliorescere sanguinem in venis, non secus ac vinum in doliis. Hoc enim discriminis est, Vinum fit melius, non virtute dolij, sed calore proprio: at venæ nihil caloris habent, nisi à corde subministretur. Vnde intelligitur, quid sit sentiendum de fuga, quam meditantur quidam ex 4.*V.s.p.*12.*D.* Hepar habere δυώαμιν αἱματοποιητικὴν propriam: venas ab hepate communicatam. Ratio enim Gal. *in de Sent.* disertè negat. B

Ibi hoc etiam dicitur, & vrget peculiariter Cuneus *Apol. f.* 68. contra Puteum *Apol. l.* 3. *initio*, Venæ de natura sua non possunt aliud facere, quàm succum album. Quò magis miror ingeniosissimum Scheggium *l. de primo sanguif. instr.* voluisse persuadere nobis, Nec cor, nec hepar sanguificare, sed venas & arterias! Tantò magis quòd agnoscit, virtutem hanc vasis communicari à visceribus suis! Quin dico de ipso, quod ille de Galeno, quamvis verè, *Tam infirmis & parum consentaneis vti argumentis, vt præceptorum Analyticorum nullam habuisse rationem videatur!* Quid? quòd Arist. carpit, quem nunquam intellexit. Idem dico de amicissimo Spigelio 5. *Anat.* 3. Credo autem hunc irridere nos voluisse. C

CAPVT XV.

An sentiant?

SEnsum tribuit illis Galenus 16. *V.s. part.* 2. *D.* quin dolere ait *Inæq. int.* 3. *A.* Rursus eodem 16. *V.s. part.* 12. *E.* negat dolere. Vulgaris conciliatio est, dolere iis locis, vbi habent tunicam alteram, è vicinis partibus porrectam, à peritonæo in abdomine, &c. non dolere, vbi non habent. I. Alexandrinus *Not. in post. locum de V.s. part.* vult, *Venas & arterias partis alicuius fore sensus expertes, siquidem laqueo nervos illuc euntes interceperis.* Ego video in vnum recidere, dicendúmque esse, tam venas, quàm arterias ex se & suâ naturâ insensiles esse: fieri sensiles propter tunicam sensilem, quæ id habet à vicino nervo. Hac in parte moneo & iubeo non nimis securos esse Chirurgos in sectione & vstione. Vtplurimùm enim nervus vasis adiacet, quod memini doctores Patavinos nos monere. A

CAPVT

CAPVT XVI.

De vsu illarum.

A POstquam Galenus in negotio nutritionis seiunxit hepar à corde, & illi quidem nutritionem demandavit, huic autē vitam, quamvis reverà idem sint: debuit de venis & arteriis idem facere. Et fecit: sed profectò ausu infelici. Venas enim solas præfecit nutritioni: artertas alij officio destinavit, de quorum vtroque agetur inferiùs, partim *cap.*43. quà de primo cordis vsu, partim *cap.*291. quà de sanguine, qui nutrit.

CAPVT XVII.

DE ARTERIIS, & primùm de origine illarum.

A HEic idem præmonendum est, quod ex Vesalio de venis dictum fuit. Et iam video huc tendere Spigelij 5. *Anat.* 3. rationem, dici non posse vllam partem esse ab alia, quòd omnes per se subsistant. At quod de circulo ex Hipp. ait, ἀρχαῖον est. Cùm enim in generatione partes tendant ad perfectionem, ibíque subsistant: quei circulo locus est? Ab eodem, si viveret, sciscitarer, Cur cùm Arteriæ magnæ eadem sit ratio, quæ venæ cavæ est, non proponat *lib.*6. *cap.*1. easdem dubitationes? Sed habuerit facti sui rationes. De Arteria magna res penè dubio caret, habere ex corde etiam generationis principium. Sic enim loquuntur. Dixi *Penè:* quia solus Piccolhominus 4.
B *Præl. Anat.* 7. proponit λάμβανα suum, Non habere eandem cum corde essentiam, constitutionem, consistentiam, colorem. Immò habet omnia hæc, præter colorem, qui accidens est, qua de re *suprà c.*7. De Arteria-venosa, & Vena-arteriosa, quin ex corde sint, dubitat nemo illorum, qui oculis suis fidem habent, rectè à Naturæ genio, Aristotele, è corde eductas fuisse. Atqui non novit Arist. hæc duo vasa! Iudicium Margitæ! Ostendam enim novisse corpora ipsa: nomina, quæ posteriora sunt, non novisse. Locus est 1. *Hist.*17. quem afferam ideò, quia opus habet medicina. Φέρουσι δὲ, inquit, καὶ εἰς τὸν πνεύμονα πόροι ἀπὸ τῆς καρδίας, καὶ σχίζονται τὸν αὐτὸν τρόπον, ὄνπερ ἡ ἀρτηρία (τραχεῖα) κατὰ πάντα τὸν πνεύμονα, παρακολουθοῦντες τοῖς ἀπὸ τῆς ἀρτηρίας. Ἐπάνω δὲ εἰσὶν οἱ ἀπὸ τῆς κοιλίας πόροι· οὐδεὶς δὲ ἐστι κοινὸς πόρος. ἀλλὰ διὰ τὴν σύναψιν δέχονται τὸ πνεῦμα, καὶ τῇ καρδίᾳ διαπέμπουσι. Φέρει γὰρ ὁ μὲν
C ἐπὶ τὸ δεξιὸν κοῖλον· ὁ δὲ εἰς τὸ ἀριστερόν. Vtar heic versione Ill. Scaligeri *Apoteles.*194. vel ideo, quia Gazæ orationem barbaram vocat & inscitam. *Meatus autem, qui à corde in pulmonem ferunt, iy & eodem scinduntur modo, quo arteria* (aspera,) *& arteriæ fistulas per totum comitantur pulmonem.*

Locus alius est *l. de Respir. cap.*16. ἔνθεν δὲ καὶ ἔνθεν τῆς καρδίας.

nem. Sunt autem in parte cordis ſuperiore. Neque verò vnus communis meatus eſt (ad cor:) ſed inter ſe coaptati recipiunt ſpiritum, quem ad cor tranſmittunt. Alter enim in dextrum ventriculum, (fert ſpiritum) alter in ſiniſtrum.

Heic ego quædam deſidero in viro illuſtri. Primò, Officij ipſius in Comm. erat dicere, quibus nominibus duo iſti meatus à Galeno, noſtríſque Anatomicis vocentur, Vena-arterioſa, Arteria-venoſa. Secundò, Videtur D
lapſus eſſe, cùm τὸ ἐπάνω ad cor adſtringit. Iam enim Philoſophus à corde, ſeu initio duorum vaſorum digreſſus, de itinere illorum per pulmonem loquitur, & quem ſitum cum bronchiis pulmonum habeant. Ait enim *Incumbere bronchiis*, adeóque bronchia eſſe media inter vaſis vtriuſque propagines. Ideò addit, *Accipere aërem, non per commune quoddam foramen*, magnum puta: ſed *per multa foramina parva*, quibus, vt hodie loquimur, συναναστομοῦνται) bronchiis. Et propterea ſubiungere poteſt, *Ferri aërem ab hoc quidem in dextrum ventriculum: ab illo autem in ſiniſtrum.* Tertiò, Videor mihi in helleniſmo tantùm profeciſſe, vt dicere auſim, τὸ κοῖλον τῶν πόρων alienum eſſe ab omni ratione: neque dici poſſe *Cavum ſinum*, ſeu *magnum.*
Id enim ratio oppoſitionis non admittit. Sed neque opus eſt helleniſmo, ſi E
ſequelam orationis intuearis. Ea oſtendit, τοὺς πόρους quidem eſſe *duo vaſa* in hac oratione propoſita: τὰ κοῖλα autem eſſe *ventriculum vtrumque* nobis dictum. Et quæ auris Batava fert hoc, *Meatum in meatum ferri?* Quod cùm evidentiſſimum ſit, delevi quidem duo illa verba, τῶν πόρων, & mox πόρον: in ipſa autem Scaligeri oratione, pro Ariſtarcho me geſſi. Sed hæc quidem obiter: de arteriis vmbilicalibus in Fœtu agetur, ſi DEVS volet.

CAPVT XVIII.

De fibris, temperamento, vi ſanguificâ, ſenſu & vſu arteriarum.

Fibræ tantò ſunt inconſpectiores, quò propiùs accedunt ad naturam, vel A
ligamentalem, vel cartilagineam, vel oſſeam. Quam in rem loca invenies *l. de Simil. c. 12.* Temperamentum tantò eſt frigidius, quò hæc ipſa ſunt intenſiora. A quo quia pendet vis ſanguifica, pluribus non eſt opus. Eadem ratio ſenſus eſt. De vſu hoc tantùm moneo, Rectè vtrumque dici, Eundem eſſe arteriarum & venarum vſum: non rectè dici. Idem eſt, quatenus vtrumque vas ſanguinem vehit pro nutritione, vt infrà probabitur. Diverſus eſt, quatenus arteriæ hoc peculiare habent, quòd pulſent, cuius pulſus ope non tantùm felicior fit alimenti diſtributio, ſed & ventilatur calor nativus, depoſitis in ambientem fuliginibus, quæ actio διαπνοὴ dicitur. Verùm hac de re *infrà*, ceu dixi.

CAPVT XIX.

De arteriis cutaneis.

A HEic ſcrupulus ſe ingerit moleſtiſſimus. Si enim per arterias fit διαπνοή, oportet deſinant ad cutim! In contrarium ſunt verba Galeni 3. *Ex. Anat.*8. *B.* Natura, inquit, retinet arterias in imo, nuſquam vel particulam illarum mittens ad cutim, quemadmodum de venis facit & nervis. Et hic locus de brachio eſt: de pede ſunt illa *ibid.* 13. *A.* Venæ quidem arteriis in muſculos inſertis cohærent: non tamen arteriæ cum ſuperficiariis vnà conſcendunt (ad cutim intelligo) verùm altiùs ſemper per muſculos ingrediuntur. Et mox: Venis ſuperficiariis nulla adiacet arteria.

Quibus quid apertius? Interim 8. *Sent. Hipp.*8. *B.* inquit, Arteriæ, dum B distenduntur, per oſcula, quibus cutim adeunt, exteriorem aërem in corpus attrahunt tribus de cauſis, vt refrigerent, vt ventilent, vt ſpiritum (animalem) gignant. Eædem cùm contrahuntur, excrementa fuliginoſa elidunt. Ita 5. *in 6. Epid.*5. *extr.* docet, In διαπνοῇ pulſum per contractionem quidem expellere fuliginoſum excrementum: per dilatationem autem aërem circumfluum attrahere. Et 3. *Fac. nat.*13. bis dicit, Arterias, quæ ad cutim deſinunt, trahere externum aërem. Tandem *de Vſ. pulſ.*5. *B.* Per ora, inquit, arteriarum, quæ ad cutim deſinunt, excernitur quidem excrementum halituoſum: attrahitur autem aëris non exigua portio. Mox referens ſe ad locum Hipp. 6. *in 6. Epid.*1. inquit, Attractionis decretum dubium eſſe, & apud Philoſophos, & apud Medicos. Ideò *t. ſeq. C.* expulſionis quidem meminit: attractionis autem non meminit.

C Quid heic dicendum nobis eſt? Duo. Alterum, contradictionem illam evidentem mitigandam videri eſſe illo: loqui Galenum ex aliena ſententia. Nimis enim quàm verum eſt, in inflãmationibus cutaneis ſentire nos dolorem pulſatorium. Conceſſum etiam eſt ab omnibus, poros cutis eſſe fines tam venarum, quàm arteriarum, per quos & inſenſilis fit tranſpiratio, & ſudor aliquando ſenſibiliter exit. Alterum, Verum quidem eſſe per eoſdem poros vacuari fuliginoſa habitûs excrementa: ſed attractionem aëris ſapere vetuſtum dogma de neceſſitate ſubſtantiæ aëris ad conſtitutionem ſpirituum, de quo *infrà.* Hinc adeò 10. *Meth.*8. rectè docet, aërem frigidum præcludere ſibi viam, quominus aliquid intra corpus attrahatur. Sed neque vtitur ibi effugio ſuo, Per arterias fieri attractionem. Quis enim credat, in dilatatione quidem emittere fuliginoſa excrementa: in contractione autem attrahere aërem. Quo enim modo id fit? An ore aperto captant? quod noſtri dicerent: *Schnappen ſie darnach?*

CAPVT XX.

DE NERVIS, eorumque origine.

HEic non minùs quàm in superioribus præmuniendum est, Non quæri A
heic partem, ex qua facta & perfecta exoriantur denique nervi : sed
ad quam omnes desinant, non secus ac canales omnes desinunt ad scaturi-
ginem suam. Hanc Cerebrum esse, medullámque spinalem, & quidem ab-
solutè, tam certa res est apud Galenum, vt ne conviciis quidem abstineat.
Non est necesse (venustè inquit Vetus Int. 3. *Loc. aff. 5. extr.*) vt eas ad domum
Domini ad inveniendum hoc in spiritu prophetiæ : sed oportet te esse enu-
tritum & edoctum à perfecto aliquo Anatomico. Quasi diceret, Vt constet
de vero nervorum ortu, non est opus κριτηρίῳ alio, quàm sensu.

Hanc in rem 8. *Sent. Hipp.* 1. *B.* ait, Veram quidem in hoc negotio sen- B
tentiam esse, nervorum originem ex cerebro esse : falsam autem ex corde.
Et hanc, addit, scribi quidem posse, & apud Anatomiæ ignaros iactari:
ostendi autem ad oculum non posse. Multò confidentior est 1. *eiusd.* 6. *D.*
Aristotelem dicens, Praxagorámque tam audaces esse in hac assertione, vt
videantur vel cœcutire ipsi, vel putare cum cœcis sibi rem esse. Et paulò
pòst inquit, Neque Aristotelem debuisse ἁπλῶς affirmare, cor esse originem
nervorum : neque Praxagoram cum πανουργίᾳ ἐπιβεβουλευμένῃ, *cum malitia de-
liberata*, seu *insidiosa*, vt Int. vertunt, *affectata*, vt ego. Hunc eundem in
eodem vestigio οὐ μικρὸν ψεύσασθαι ait, *non superficialiter mentiri.* Quin *c. 7. seq.* C
F. repetit. *Ibid. E.* rem ipsam τραγικὴν μεταμόρφωσιν vocat, *subitam & quasi
tragicam immutationem.*

Heic ego primùm adverto, Si cor non est principium nervorum simpli-
citer : fortassis erit respectu quodam certo. Is verò respectus est ἐπιβούλευσις
illa, ψεῦδος illud, τραγικὴ μεταμόρφωσις illa, quam Galenus crepat. Nimirùm,
certus sum Praxagoram tam crassum non fuisse, vt diceret simpliciter, Ar-
terias in nervos mutari : sed hoc illum dixisse verisimile est, quod Erasistra-
tus 2. *Fac. nat.* 6. *A.* In nervis esse venas & arterias. Tu puta, nervos nihil
aliud esse quàm fibras venarum & arteriarum, è corde quidem egressas, in
cerebro autem nervescentes, vt Tidicæus loquitur in Microcosmo, *tract.* 5.
Hoc modo cùm Praxagoram promoverimus ad tempora vsque Erasistrati, D
quem senem ait agnovisse veram nervorum originem 7. *Sent. Hipp.* 8. *ext.*
ostendésne ampliùs ferociam tuam, ô Galene? vrgebísne ampliùs illud tuum
ἁπλῶς? Profectò Galenus heic induit mores sectariorum, quos multis locis
vehementissimè accusat, quòd rapiantur affectibus suis, quòd ambitiosi
sint, quòd servi, quòd surdi & muti, & si quæ sunt alia. Ideò Erasistratum
quoque ait ἐπιτεχνᾶσθαι, quod verbi paulò minùs convicij habet, quàm omnia
illa superiora, quæ contra Praxagoram iactavit.

Videamus verò, annon Adrastéa asperserit illi tale quid, quale ille bonis
viris! Cùm 10. *Vs.p.2.A.* & alibi docet, Tunicam retiformem, quam medul-
lam nervi vocare solet, esse μεστὴν ἀρτηριῶν τε καὶ φλεβῶν: quid aliud di-
E cit, quàm id, quod & Erasistratum & Praxagoram dixisse reor? Id verò si
de vno nervo admittatur, admitti planè debet de reliquis omnibus. Sunt
enim ὁμότιμοι, *eiusdem generis & dignationis, Ibid.4.F.* Et admittit, quin diser-
tè docet *l.c.* cùm ait, ἅπασι τοῖς ἀπ' ἐγκεφάλου νεύροις συναποφύεται τις μοῖρα
τῆς χοριοειδοῦς μήνιγγος, ἐπιφερομένη ἀρτηρίαν καὶ φλέβα, *Cum omnibus è cerebro
ortis nervis procedit particula quædam secundiniformis seu tenuis cerebri
membranæ, quæ ipsa defert secum arteriam, venámque.* Heic fortassis miraris,
Cur in optico agnoscat plura vasa, in reliquis vnum tantùm! Vidítne in
Anatomiis rem ita se habere? Non puto, credóque adeò μεταπλασμὸν esse
singularis pro plurali. Vt enim certum est ex 4. *Loc.aff.2.M.* ad sensum plu-
F ra esse vasa in oculo: ita in reliquis etiam nervis plura esse secundùm men-
tem Gal. facilè docebo ex ipso Gal. 1. *Loc.aff.6.L.* loquens de curatione Pau-
saniæ sophistæ ait, *Nervi protenus ab initio multi sunt, simul concreti, & com-
munibus involucris inclusi, quæ involucra à meningibus oriuntur.* Vnde ita
infero. Si grandiores nervi in primo ipsorum initio multi sunt, & singuli
sua habent vasa: profectò singuli habebunt plures vnâ venas, arteriásque. Et
hoc apud recentiores Anatomicos tam est certum, vt nemo dubitare possit,
nisi qui parum pudens audire velit.

Vide 2. *Var. lect.* 21. 8. *Vs.p.6.* nervos ait esse ἀποβλάστησιν τοῦ ἐγκεφάλου.

Ex his progressus ita concludo, Si secundùm Gal. quoque in nervis sunt
vasa, quæ ad sensum fibræ tantùm sunt; vasa autem illa sunt è corde, mi-
G nimùm arteriæ: quæ tanta est absurditas in παραμυθίᾳ sententiæ Arist. ab
Erasistrato, Praxagoráque profectæ? Iamque pro Galeni excusatione dico.
Cùm vehementiùs loquitur, de sensu superficiario, seu de Anatomia mi-
nùs exquisitâ loquitur. Secundùm enim hanc dici possunt nervi ex cerebro
oriri. Cùm mitiùs agit, concedítque vasa è corde profecta in nervis ire, de
Anatomia exacta id est accipiendum. Hæc enim αἰσθήσει nititur ἐρρωμένῃ, quæ
ipsa est ἐπιστημονική, vt ipsemet vocat 2. *Nat.hum.6.A.*

Heic quid οἱ φιλογάληνοι sibi ipsis dicti? Nullus dubito, iram me potiùs
hac benevolentiâ meâ esse meritum, quàm gratiam. Hoc enim apud Verita-
tis hostes solenne est. Quibus vt oculi iam porrò doleant, iubebo illos
considerare, quæ Gal. 7. *Sent.Hipp.3. C.* scribit, Attentè videndum esse, quæ
H sit cerebri pars illa, vnde nervis initium est? οὐχ αἱ μήνιγγες (quod Erasistra-
tus diu crediderat) ἀλλ' ὁ ἐγκέφαλος. Quo autem modo? τὸ μέσον τοῦ νεύρου
τοῦ διὰ βάθους, ὅπερ ἀνάλογόν ἐστι τῇ τῶν δένδρων ἐντεριώνῃ, τὴν ἀρχὴν τῆς φύ-
σεως ἔχον ἐξ ἐγκεφάλου. De cuius officio agens *extr. cap.* διὰ τῆς κατὰ τὸν ἐγκέ-
φαλον ἀποφύσεως, inquit, ἥ τ' αἴσθησις πᾶσι τοῖς μέλεσι χορηγεῖται, καὶ ἡ κίνησις.
Et de meningibus statim, κἂν ἄμφω περιέλῃς, οὐδὲν βλάπτεται τὸ μόριον, εἰς
ὃ τὸ νεῦρον ἀφικνεῖται, καθάπερ οὐδ' εἰ τὸν ἐγκέφαλον αὐτὸν περιέλοιο τὰς ἔξωθεν
μήνιγγας. Hæc ego Græcè dicere volui, vt meliùs dicerem: verùm, quia
pauci præ væcordia intelligunt, paraphrasin dabo qualemcunque. *Cùm*

ambiguè

ambiguè sit dictum (ait) *Nervi oriuntur ex cerebro: dicam tibi disertè, Nervi oriuntur non è meningibus cerebri, sed ex cerebro ipso. At enim cùm triplex sit nervi substantia, quæ illarum propriè est nervus? Meditullium ipsius, quod in profundo cùm sit, proportione respondet medullæ arborum, & è cerebro originem habet. Per hoc meditullium venit partibus omnibus & sensus & motus. Quod hoc experimento confirmaveris. Si abstuleris vtramque meninga, nullatenus lædetur vel sensus, vel motus partis illius, in quam nervus fertur, non magis quàm si cerebrum ipsum nudaveris vtrâque meninge.* I

Hoc meditullium (subiiciam ego) quia non potest esse sine vasis, illis, inquam, quæ per cerebri substantiam disseminantur; quia spiritus, sensûs & motûs autor, non potest alibi esse, quàm in vasis; quia vasa illa Galenus K digito ostendit, non in oculo tantùm, sed in omnibus nervis; quia tandem vasa illa (minimùm, arteriæ) vehunt spiritum vitalem, qui est οἰκεῖα ὕλη animalis, & sunt ex corde: quid restat, ô generosissimi, quàm vt fateamini, Galeni quoque oculos perstrinxisse hoc veritatis iubar? Nimirũ fibræ illæ, quas in nervis ostendunt homines nostri, nihil aliud sunt, quàm vasa cerebri, spiritui animali viam in partes sternentes. Ego heic me absolvo: tu, si plura vis, adito Eustachium *l. de Multitudine c.32.* Eundem *Ex.oss.f.227.* Cæsalp. 2. *Quæst. Med.* 10. *f.221.* & rursus 5. *Quæst. Perip.3.f.122.* Coïterum *Obs. Chirurg. & Anat.f.107.* & iterum *Tab. oculi humani f.78.* Erast. θ.23. *de Convuls.*

CAPVT XXI.

Πόρισμα de nervorum nutritione.

SI Galenus hæc docuit, vt docuit: mireris cur de nutritione nervorum A aliorsum iverit! Si, inquam, cum vtraque meninge elabuntur venæ & arteriæ, adeóque vasa illa sunt ex cerebro: cur non ab his ipsis vasis præstatur illis nutritio? Vt ad speciem descendam, si retiformis in oculo dicta tunica nihil aliud est, quàm substantia cerebri, quæ constat & vasis & medullâ; nervi autem omnes sunt ὁμότιμοι, vt iamiam dictum est: cur non, quemadmodum in cerebro nutritionis materiam vehunt, adeóque apparent in cerebro stillæ sanguinis, vt Eustachius *loco nuper citato* loquitur, in ipsis etiam nervis vehunt eandem? Verba ipsius Galeni 4. *Loc. aff.2.M.* sunt: *Vidistis in Anatomiis, quòd venæ & arteriæ ab iis vasis, ex quibus chorioides membrana contexta est, simul cum nervis ad oculum descendunt.* Ne quid hæreas, B verba eiusdem sunt 10. *V.f.p.2.A. Nervi omnes, qui à cerebro proficiscuntur, portione quâdam meningis chorioidis vnà secum enatâ obducuntur, quæ arteriam secum fert & venam, &c. Naturâ* (addit) *alimentum providente ac præparante, non nervis modò, sed & oculorum humoribus.*

An hæc potiùs dicenda erant de retiformi? an iungere oportet vtramque?

Hæc si bene se habent, cur idem scribit 2. *Fac. nat.6.* trahere nervos alimentum ex vicina parte? Cur eiusdem operis *l.3.c.15.G.* ostendit nobis

mucum, extrinsecùs illis obhærentem? An facilis est responsio? Loquitur his locis de externa tunica tantùm. In hanc enim sensui inconspicua vascu-
C la inseri vt non nego: ita in interiora penetrare pernego. Essent enim conspicua, vt in ossibus. Iam ergo iterum quomodo interiora aluntur? Eo, quo Gal. ipse dixit, afferunt vasa secum è cerebro alimentum.

Quod vt verisimilius tibi fiat, cogita, spiritus nullibi esse solos, sed semper cum fundamento suo. Et hæc est solutio problematis, Cur, cùm in paralysi salutari partes redeunt ad naturam suam, fiat sensus aliquis quasi formicarum reptantium? Vulgò dicunt, spiritus iterum influere. Spiritus non faciunt sensum sui: alioquin in statu etiam secundùm naturam facerent. Alimentum igitur seu sanguis id facit. Idem accidit in bene valentibus, cùm ob inæqualem cruris vel brachij positum stupent, quod vulgus nostrate vo-
D cat Dormire. Et hanc fuisse Erasistrati iuxtà & Praxagoræ sententiam, locis in *sup. cap.* allatis, penè deierare ausim.

Heic quidam molestus est mihi: De sententia Gal. trahunt nervi alimentum, vt ossa, musculi, aliæ partes. Cui ego: Quæcunque trahunt, non trahunt sine instrumento, venâ & arteriâ, quæ ad intima partis se penetrant ad sensum quoque. Hoc ne quidem in maximis nervis observatum fuit, nedum in minimis. Prætereà, tractionem concedo in extima tunica: in ima substantia non concedo. Hæc enim cùm sanguinem iam in se habeat è cerebro petitum, prorsùs vt venæ & arteriæ ex hepate & corde: cur aliunde petant? Vide Commentaria nostra *in* 10. *V. s. p.*

CAPVT XXII.

Aliud de sensibili illorum cavitate.

A DIco iterum, si nervi habent insensiles cavitates, spiritui cum tantillo sanguine analogas: cur sensiles quærimus? Et poteram heic omni iure quiescere, si per communem veterũ sententiam liceret. His enim cùm persuasissimum esset nervos opticos esse sensibiliter foratos, atque adeò ob id ipsum foramen πόρους eos vocarent: secutus est illos Gal. Loca sunt *de Anat.* 2. *B.* 7. *Sent. Hipp.* 4. *C. Ibidem* 5. *F.* 8. *V. s. p.* 6. *D. F.* 10. eiusdem 12. *B.* 16. eiusdem 3. *C.* 1. *Caus. sympt.* 2. *C. Ibidem* 5. *B.* 4 *Loc. aff.* 2. *B.* Verumtamen idem in *de Sent.* monet, non esse conspicuum foramen, nisi tres observentur conditiones. Primò, Vt oculus sit animalis grandioris. Secundò, Vt subitò post mortem animalis inspiciatur. Tertiò, Vt in clara luce fiat.

B Has conditiones cùm observarint Vesalius, Columbus, Falloppius, alij, nec tamen viderint cavitatem: mireris! Interim Gemma in Cosmocrit. neglectis omnibus iis, quæ dicta sunt, in oculo elixo ostendit. Eustachius, vir minimè vanus, *Ex. oss.* 227. soluto priùs oculo in singulas membranas, foramen nervi visorij ante oculos sexcenties exposuisse se ait auditoribus suis,

ſuis, reclamantibus licèt multis. Puteus (cui aliàs parum tribuo) 4. *Apol.f.*141. in bubus ſæpiſſime ſe animadvertiſſe ait foramen, non quidem nervo per tranſverſum inciſo, vt Veſalius facit: ſed ad principium ipſius, quod eſt ſub quarto ventriculo.

Fortaſſis duce hoc vſus Spigelius noſter 7. *Anat.*2. oſtendit foramen in principio, quod eò vſque conſpicuum ſit, vbi coëunt nervi: Poſteà enim evaneſcere. Et huc ferè tendit Riolanus 4. *Anthrop.*2.*f.*394. Mei pudoris quia non eſt quenquam arguere mendacij, relinquo in medio, & quæro, ſi nervi ſunt ὁμότιμοι, vt pridem dixi; immò, ſi eiuſdem naturæ, ſubſtantiæ, ſpeciei, 2. *Ex.Anat.*11. *A.*7.*Sent.Hipp.*5.*D.*1.*Mot.muſc.*1.*D.*8. *Vſ.p.*6. *C.* cur ſoli optici ſunt perforati, reliqui omnes ἀκοίλιοι? Loca ſunt 1.*Vſ.p.*17. *A.*15.*Vſ.p.*1. *E.*1. *Sent.Hipp.*9. *B.*6. *Meth.*4.*A.*1. *in.*6.*Epid.*2.*E.* Heic Valleſ. *in Loc. pug.* facilè defungitur munere ſuo, Si nervis, inquit, denegetur cavitas, nulla eſt pugna. Intelligit enim, *Exceptis opticis.* An igitur lenire oportet aſperitatem ſententiæ dictæ? Nervi optici manifeſtum habent foramen à prima ſua origine vſque ad vnionem, quæ fit ſupra ſellam ſphenoidis: in ipſa vnione, vt & poſt illam, toto progreſſu, vſque dum in tunicas oculorum reſolvuntur, non niſi immanifeſta habent foramina, qualia ſcilicet concedunt fibræ ad ſenſum dictæ, quæ in rei veritate vaſa ſunt. Sanguinem enim continent, iudicio non ſolùm Euſtachij, ſed & Accoramboni, *Notis in* 3. *Hiſt.f.* 499. Et tales ſunt reliqui per totum corpus nervi, perforati ſcilicet, non ad ſenſum: ſed reverà, & quidem non vno, ſed pluribus foraminibus, tot ſcilicet quot habent vaſa ſinguli, plura, pauciora, pro craſſitie & tenuitate cuiuſque.

Hoc pulcerrimè declarat ſimile, quo Euſtach. vtitur in *Ex. oſſ.* comparans nervum opticum cum tenuiſſimo panno lineo, quale fortè Cameracenſis noſter. Quod enim ibi ſunt fila: heic ſunt rugæ inæquales, à vaſis per membranulam diſcurrentibus factæ. Huc facit etiam, quod Coiter ait, *Tab. de oc. hum.* Medullarem humiditatem digitis expreſſam filamenta nervoſa oſtendere. Hæc verò vaſa ſunt. Facit quinetiam Fallop. 3. *Obſ.* 15. cùm deſcriptioni Veſalij hoc tantùm addi vult, quòd nervi, de quibus agimus, mollem cerebri ſubſtantiam continent, quæ per expreſſionem in lucem venit, vti loquitur. Idem Fall. cùm conſtanter negat foramen ſenſibile in optico, tacitè iubet nos contentos eſſe foraminulis inſenſilibus. Nam, vt nuper dixi, quale eſt corpus, quod tranſire debet: talia ſunt foramina. Corpus quia in oculos non incurrit, nec foramina incurrere neceſſe eſt. Interim ſpiritus ſine ſuo ſubiecto non ſunt.

An non ſe ipſum Puteus refutat, cùm *f.*181.*b.* originẽ horum nervorum

C

cum Gal. 16. *Vſ.p.*3. *D.* petit ex anterioribus ventricul ſ? Certè Cuneus *f.* 121. inſecto digito oſtẽdit illi diſtantiã inter princi-

D

pium horũ nervorũ, & finẽ dictorũ ventriculorum. Vide hunc etiam *f.*84.

Veſ. *Ex. Obſ. Fall.f.* 96. negat.

E

CAPVT

CAPVT XXIII.

An rectè distinguantur in molles & duros?

A QVemadmodum bonæ matres dant aliquando malas filias: ita veræ hypotheses apud minùs circumspectos gignunt falsas. Vera est, sensum in animali fieri patiendo: motum agendo. Falsa, sensum fieri à nervis mollibus: motum à duris. Quæ enim soliditas & robur in motu quæritur, non pendet à nervo, qui tubus tantùm est spiritus moventis: sed à musculo, qui à spiritu per nervum influente rigefactus, vt sic dicam, vectis instar transfert partem de loco in locum. Falsissima, quæ huic superstruitur, A cerebro, quod molle est, nervos molles esse: à cerebello, quod durum est, quemadmodum & medulla spinalis (quæ inde dependere creditur) duros. Ita enim est, vt ex Cagnati sententia alibi dixi, Errorum seges vel inde est restibilior
B quod veterum sæpe levissimos nutus in amplissima commentaria redigimus.

Hoc adeò dico, vt exculpem Galenum, ostendámque παρεσφαλμένον δόξαν esse de discrimine hoc nervorum, ab ipso traditam 8. *V.s.p.6.A. Ibid.*12. *B.*1. *Sent. Hipp.*9. *B.* & alibi. Quo enim modo demonstratur? Si enim vel accuratissimo tactu iudices, eadem est & cerebri, cerebellíque, & omnium nervorum mollities & durities. Propterea SCHERBIVM, τὸν ἐν ἁγίοις, dicere memini, subtilior est hæc differentia, quàm vt capere possim. Sed & Galenus ipse cùm videret se offendere in ipso limine, cùm, inquam, è cerebro nervos duros proficisci negare non posset, v. g. secundam cerebri coniugationem, quæ oculos movet: mirabilem texit fabulam, nisi fortè & hanc à se superioribus accepit, 9. *V.s. part.* 13. *B. F.* in transitu per os sphenoides durescere.

C Heic verò iterum ad sensum tactus provoco, & dico, Tam ante ingressum in foramen suum, quàm post egressum, eiusdem planè consistentiæ esse. *Et quid?* Quâ fronte dicet, à medulla spinali ortos nervos servire motui tantùm? Summa, dogma hoc petitum est, non à sensu, vt debebat: sed à ratione, nec illa integra, vt ferè Cuneus loquitur *Apolog. f.* 185. Propterea, relictâ hac veterum προλήψει, veritatem doceo ex ipsomet Galeno. Est autem hæc, Omnes nervos vehere vtramque facultatem, sentientem, inquam, & moventem, adeóque differentiam in mollitie & duritie nullam esse. Nam 16. *V.s.p.*2.*D.* disertè ait, Omnes nervos habere vtrumque. Et 7. *Ex. Anat.* 8. item 7. *Sent. Hipp.*5.*E.* nec non *l.*9. *eiusdem* 1. *A.* iisdem verbis dicit idem.
D Fundamentum assertionis hoc est, Nervi per se, neque sentiunt, neque movent: sed sunt tubi facultatis, nî tu malis, spiritus, qui partes sensiles & mobiles in actum deducit.

Fortassis velit aliquis scire, Quæ sit ratio illa non integra, de qua Cuneus loquitur?

loquitur? Dabo illi ex *fragm.l.de Cauſ.reſp.extr.* Putârunt priſci nervos trahere habenarum inſtar. Huic opinioni cùm quoquo modo faveret verè mirabilis illa ſtructura nervorum recurrentium, à Galeno inventorum: natus illi fuit diſcurſus ille bene longus, qui legitur 7. *Vſ. p.*14. De quo quia *Com. in eum locum* dixi ſententiam Ill. D. Aquapendentis, *Verum fore, ſi neruus traheret vt funis:* nihil ampliùs heic dico. Qui vult, adeat Laurent.4. *Anat. quæſt.*7. Hinc cadit diſcrimen de differente nervorum temperamento, ſimulque cura inanis Fuchſij de emendatione *loci* 2. *Temp.* 3. de qua ego olim *Notis in eum locum.*

CAPVT XXIV.

Cur pereat ſenſus, illæſo motu, & contrà?

HAc de re quia fusè egi *in tract. de Similarib. c. de Nervis*, non auſim heic repetere, vel ideo, quia ad praxin nihil facit. Qui alios quoque velit, viſat ad dictum modò Laurent. *quæſt.ſeq.* Nec contemnas velim Cuneum *Apol. f.*85. vbi eruditè reſpondet iis, quæ vacuus ille Puteus *Apol.l.*4. *extr.* oggannit Veſalio 4.*Mag.Op.*14.*extr.* A

CAPVT XXV.

DE MVSCVLORVM & TENDINVM generatione.

SVaves hac de re Gal. nugas, quia *d.tract.c.* proprio detexi, ſermone prolixo ſine rubore non poſſum huc transferre. Tamen ne contemnere videar, dicam hæc pauca. Loca quidem Galeni ſunt 12.*Vſ.part.*3. *A.*1. *Sem.*10. *E.*5. *Ex.Anat.*6. *F.*1.*Motu muſc.*1. *C.& F. Ibid.*2. *A.*1. *Vſ.p.*18. *A.*2. *eiuſdem* 7.*B.* 1. *Sent. Hipp.*9. *A. Ibid.*10. *D.* 6. *Meth.*4. *A.* res ipſa autem dignior eſt acumine Herophiléo, adeò accuratus eſt in iis, quæ ratione quidem non videntur deſtitui, ſenſuum autem fide carent. Videtur verò generatio hæc etiam nimis ſera eſſe, poſt completam, inquam, nervorum & ligamentorum generationem, cùm veriſimile ſit, generari cùm aliis partibus, non quidem ſimul & ſemel, vt quidam ineptè ex Hipp. augurantur: ſed ſucceſſivè, vt rete fit, quemadmodum *ſuprà* ex Ariſt. locutus ſum. Hoc *in tract.pecul.* profitetur Doctor meus opt. max. Ill. D. ab Aquapendente, hoc ferè ſenſu. Tendo (ita enim vocat totum hoc, quod Galenus modò Muſculum, modò Tendinem) eſt corpus nervoſum ſui generis, quod æquè ac aliæ partes ex ſemine conſtitutum eſt, capítque carnem, modò ſtatim ab initio, modò in medio, modò in fine, modò hoc, modò alio modo, pro ratione ſcilicet finis, qui cauſa eſt cauſarum. Et hæc Naturæ vox eſt, quam qui exaudire non vult, A

Opponit ſe etiã Riolanus 5.*Anthrop.* 2. *f.*460.

B

K aut

aut stultus est, aut servitio Gal. deditus, vt ita mutem verba Thucydidis apud Gal. 3. *Vs. p.* 10. *B.* Qui ambagibus delectantur, legant Vesalium 2. *Mag. Op.* 2. Fallop. *l. de Similaribus c.* 10. Columbum 5. *Anat.* 1. Pacium *Com. in 6. Meth.* 4. Costæum 5. *Disq. Phys.* Puteum, *Apol. l.* 2. initio, Cuneum, *Apol. f.* 30. Th. à Veiga, *Com. in Artem c.* 50. Bauh. 1. *Theat.* 7. *in marg.*

CAPVT XXVI.

Musculi actio & vsus.

A HOc ago, vt & Galenum liberem à calumnia, & Riolanum expediam è difficultate maxima. Rectè Galenus vtrumque, vt *suprà* demonstravi, *Musculus est pars similaris: musculus est instrumentum.* Est pars similaris: quia vetus sapientia ita constituit, vt partes omnes vnius organi perfectam actionem edentis vocentur similares. V.g. Oculus videt: & quæcunque oculum faciunt, seorsim considerata, sunt similaria. Est instrumentum: sed primum, quod perfectam actionem non edit, sed ministram. V.g. Musculi oculorum non vident, sed dirigunt illos ad res visiles, vt comprehendere possint plura obiecta. Ita in vniversum, *Musculi actio est contractio.*
B Hæc verò ministra est ad actionem perfectam, quæ motus est. Tu verò intellige mihi actionem illam perfectam, quatenus ab organo suo fit, seorsim à corde considerato, quamvis sine corde non fiat. Sunt enim actiones quædam, quæ à multis organis, sibi invicem succedentibus fiunt, in quorum consideratione tandem venire nos oportet ad Cor, v.g. in sanguificatione, quin imò in motu, de quo agimus, vt *infrà* dicam. Et hæc quidem pro Galeno. A Riolano 5. *Anthrop.* 2. *f.* 454 discere cupio, Quid sit, quod dicit, musculum esse partem organicam dissimilarem? Quo enim modo pro diversis habere potest, quæ diversa non sunt? Nam pars organica est dissimilaris: & pars dissimilaris est organica. Sed sit error librarij, qui intermedium *Vel* omiserit: siquidem verè organica pars est, adeóque partem principem
C habet *corpus tendinosum*, ab Ill. D. ab Aquapendente dictum, *part. alt. de Musculi actione, f.* 97. quæ est actio illius: Contractio, vt rectè docetur *c.* 3. *seq. principio* At hæc non est perfecta, sed ministra tantùm actio, veluti dixi.

Quare ipse etiam musculus erit potiùs minister ad motum: quàm dux & autor motûs. Et hoc, quamvis obscuriusculè, docet *f.* 107. *seq.* D. ab Aquapend. Generalis vtilitas musculi est, vt contractione iuvet motum. Ita enim vellem loquutum esse magnum virum. Quòd autem meliùs senserit, quàm scripserit, indicat τὸ *Privatim,* quod contractioni tribuit. Hanc verò à motu, qui contractionem sequitur, distinctam esse docet idem *Privatim.* Confudisse autem nefas sit cogitatu. Quod etiam ait, *Contractione, tensionéque*, ad actuarium ipsius pertinet, qui *Tensionéve* scribere debuit. Noverat enim ex Gal.

Gal. & docet Riolanus loco posteriùs citato, Contractionem quidem per se esse: tensionem autem per accidens.

CAPVT XXVII.

Musculi pars princeps.

NIsi plus quàm par est tribueremus veteribus, summum artificium rati omnia dilatare, & honoratiora (vt putamus) facere: poteramus hoc litigium paucis componere. Ita enim est, vt dixi, Non oportet partem principem quærere in iis, quæ perfectam actionem non edunt. Ego verò etiam aliam excusationem promere possum, Egisse me satis fusè hac de re *in tract. de Similaribus*, quà de vsu musculi. Interim videtur res ipsa aliquid à me desiderare. Gal. 1.*Vs.p.*17.*E.* distinguit inter musculum & tendinem, quem tendinem non obscurè facit partem principem. Quin 12. *eiusdem Op.* 3. *D.* διαῤῥήδην ait, Tendinem esse primum motûs instrumentum: propter autem tendinem factum esse musculum. Quo loco si quæras, quid fiat de illis musculis, qui tendines non habent? Respondebit Puteus 2. *Apol.f.*59. O! loquitur Gal. de iis, qui habent. Pulcrè profectò! Th. à Veiga *Com. in* 1. *Loc. aff.*6. *f.*214. *a.* affert aliquammulta, quæ non exscribo. Videtur enim mihi κέγχρον τρυπᾶν, *milium perforare.* Sed vt ad Gal. redeam: Is 2.*Vs.p.*16. *B.* ait, τὰς σάρκας ἐν τῇ τῶν μυῶν οὐσίᾳ περιέχειν, quod intelligunt, *Carnem complere substantiam musculorum.* Idem 7. *Ex. Anat.* 8. *D.* comparans carnem cordis cum musculorum carne, vtitur τῆς οὐσίας vocabulo. Hoc clariùs docent illa 3. *Art.* 81. τὰς σάρκας εἶναι μόρια τῆς ὅλης οὐσίας τῶν μηρῶν, *Carnes in femore esse partes totius substantiæ.* Huc refero illa 1. *Fract.* 12. *extr.* quantumvis lacera, *& pro desperatis à me* habita olim *in Notis.* Ita enim nunc corrigo, καὶ αὕτη μὲν (σὰρξ ἁπλῆ) τοῦ μυός ἐστιν ἡ ἴδιος οὐσία, καὶ ἴδιον σῶμα· αἱ δὲ ἶνες τὴν ἁπλῆν περιφυομένην σάρκα ἔχουσι, *Et hæc quidem (caro simplex) est propria musculi substantia, propriúmque corpus: fibris autem circumnascitur caro illa simplex.* Quàm certum enim est, propriam substantiam, propriúmque corpus apud Galenum, esse rem eandem, & iungi, tam apud ipsum, quàm alios Græcos sæpe τὰ ἰσοδυναμοῦντα: tam certum est in vna parte non nisi vnam esse propriam substantiam, propriúmve corpus, quod cum parte principe idem est. Eadem ratio quia validissimè militat adversùs τὸ ταῦτα, quod est *de Pleth.*5. *extr.* plausibiliter (vti mihi persuadeo) in τοῦτο mutavi, *Notis* in eum locum.

[Margin: A; Vide *Com.* B *in hûc locû,* vbi etiá lis illa deciditur, An omnes musculi habeant tendines? Ibi post Interpretis deest, Sed *vtplurimû.* C]

Quidquid sit, Plerique omnes dicunt, de Galeni sententia, carnem musculi, non minùs quàm viscerum sanguineorum, exsanguiúmque, esse principem ipsius partem. Inter hos Vesal. 2.*Magn. Op.*2. cùm sit, licèt simul agnoscat vsum Platonicum: miror excellentissimum Riolanum 5.*Anthrop.*2. *f.*456. tribuere illi, quòd *carnem fibrosam* agnoverit pro parte principe! D

Quo enim modo non videt, illum hac ratione duo dicere, *Carnem & fibras?* Alij volunt, Galenum nervum habuisse pro parte principe, quod 12. *Vs.p.3. B.* item 3. *Loc. aff. 7. extr.* ἀρχὴν τ̃ κινήσεως, *principium motûs* illi tribuerit. Iam ergo triplex est Gal. cùm modò tendinem, modò carnem, modò nervum pro parte principe habet. Credo equidem Th. à Veiga (si rectè ingenium hominis cognovi) ridere illum voluisse, cùm ligamentum proponit, ne deterioris conditionis sit reliquis partibus. Ego, conciliandi mihi favoris gratiâ, hæc superaddo.

Vide Erastum 8. 12. de Convulsione.

E

De Carne, quatenus huc faciat, dictum est mihi in Vsibus ipsius. De nervo dixi *in tract. de Similar.* maximam contractionis partem efficere, quatenus ita heic conformatus est, vt influens in musculum spiritus rigidum illum faciat. Et hoc est principium illud motûs, de quo Galenus *duobus iam cit. loc.* Huic quatenus implicatum est ligamentum (loquor ex hypothesi) robur illi conciliat. Et hac ratione sensim devoluti sumus ad corpus tendinosum Aquapendentis, & Riolani.

CAPVT XXVIII.

Explicatio loci cuiusdam Galeni.

A CONstat quidem sibi Galenus, cùm plerisque omnibus locis musculum præficit soli motui, nisi quòd 1. *Vs.p.17. A.* sensum addit, necnon colligationem ossium cum ossibus. Ita enim legendum mihi esse videtur, καὶ ξυνδῶσι τὰ ὀστία τοῖς ὀστέοις. Cæterùm ita me expedio. Quod ad sensum, loquitur heic Galenus indistinctè, musculo toti tribuens, quod vel carnis est, vel nervi, vel membranæ investientis. Tot enim heic sententiæ sunt. Quod ad colligationem, accipit Gal. seorsim aliquid, quod cum motu perpetuò est, & absque quo motus non est. Et hæc est traiectio illa musculi moventis in os movendum, quæ meâ opinione est συσσάρκωσις Galeni. Tu illud cogita, Galenum, vt & alios autores, habere suam quandam libertatem, quæ æquum potiùs interpretem postulat, quàm rigidum censorem.

CAPVT XXIX.

Tendo an sentiat?

A SCribit Galenus 1. *Mot. musc. 1. E.* Nervis musculorum affectis, perire musculis sensum & motum. Hoc quia de toto dictum est, de parte etiam dici posse aiunt. Contrà, 3. *Alim. 4. fine,* dicitur, *Quosdam tendines esse sensûs expertes.* Heic magnus quidam vir excusationem reperit. *Verum,* inquit, *hoc est secundum textum Latinum, non Græcum.* Risi cùm legerem, fateor,

teor, quòd similis esset distinctio illis, quibus olim Matæologus quidam vtebatur, Hoc ita est in sensu semipleno, non pleno: in imperfecto, non perfecto: in partiali, non totali: ratione subiecti occupantis, non occupati, &c. Vt seriò agam, apud me, nec Græcus codex sine vitio est: nec Interpres fecit officium. In Græco abesse debet τὸ τρεῖς. Omnes enim tendines sunt eiusdem conditionis. Hoc habito vertere oportet, *Et præterea tendines*. Tu puta, vt constituant tertium genus nervosum. An totum hoc adscriptitium est?

CAPVT XXX.

Ad motum quot partes requirantur?

HOc in negotio partim accusandus venit Gal. partim defendendus. Accusat illum, & meritò, Averroës 2. *Coll.* 8. quòd in ordine partium moventium ad cor non pervenerit. Non quòd cor heic censeri debeat, quatenus movetur ipsum: sed quatenus calorem affert cerebro, à quo substantificè alterato fit denique motus. Et hæc est οἰκεῖα illa materia spiritus animalis, de qua toties dico. A

Hæc ipsa materia non est συναίτιον, vt quidam volunt: sed est causa principalis, quippe à qua ordiendum est illi, qui numerare velit causas huc pertinentes. Atque hic est Arabis scopus. Quem, cùm neque Costæus attingere potuerit *l.* 5. *Disq. Phys.* neque Th. à Veiga *Com. in* 1. *Loc. aff.* 6. in tenebris palpant parietes. Accusant Galenum, sed immeritò, illi, qui diversis illis de motu locutionibus tam Philosophorum, quàm Medicorum obruti, diversa proponi autumant. Ita autem res se habet. B

I. Cor est causa motûs, non quia movetur ipsum, ceu dixi: sed quia spiritui animali præstat materiam idoneam, ceu pariter dixi.

II. Cerebrum est causa motûs, quia refrigerat, vt Arist. loqueretur, sanguinem, aptúmque facit ciendis motibus ordinatis, vt explicui *in Diatriba de vsu cerebri*.

III. Nervi sunt causa motûs, non quia duri sunt, trahúntque habenarum instar: sed quia tubi sunt, non meræ facultatis, sed spirituum, qua de re Erastus videri potest *in θ. de Convulsione*. Tandem, musculi sunt causa motûs, quatenus ope spirituum, è corde missorum, musculum, vt dixi, faciunt rigidum, vt vectis modo attollere possit membrum, 1. *Sent. Hipp.* 10. *C.* C
Hanc scalam (excepto corde) legeris 3. *Loc. aff.* 6. *D.* & *in allegoria quadam fragm. de Caus. resp. extr.* Quòd autem cor quoque sit addendum, convincit οἰκεῖα illa ὕλη, de qua dixi. Nimirum, vt motus fiat, necesse est omnia & singula, quæ dicta sunt, bene se habeant: vt non fiat, satis est si vnum illorum sit læsum.

CAPVT XXXI.

Quo modo fiat motus?

A QVia Galenus *ll. cc.* digitum intendit in rem alioqui difficilem, sed scitu vtilem in praxi, explicabo fusiùs, sive is voluerit hoc, sive non voluerit. Inprimis damno opinionem veterum, cuius meminit 1. *Caus.ſymp.5. C.1.Loc.aff.6.E.* Item 7. motum fieri solâ facultatis irradiatione, absque vllo corpore. Conculcat enim opinio illa pedibus, adeóque è rerum Natura eliminat spiritus, quos (ne de Philosophis dicam) Medici omnes à primis artis incunabulis docuerunt, & in ipsis operibus ostenderunt.

Dico igitur motum fieri, Corde quidem sursum mittente spiritus suos: cerebro autem hos eosdem substantificè alteratos, (vt modò locutus sum)
B ad musculos mittente deorsum. Hi in musculis recepti faciunt illos turgidos, & (vt cum Galeno loquar) vectis instar duros, vt appensam molem (ossa) de loco in locum transferre possint. Et hoc toties fit, quoties motus editur. Huius rei argumentum certissimum est defatigatio, quæ accidit, cùm cerebrum non ampliùs suppeditat tantum spiritus, quantum opus est. Ergóne ingreditur spiritus nervos, & iterum egreditur? Egreditur, sed non regreditur. Evanescit igitur? Prorsus. Hinc enim defatigatio, de qua dixi. Atqui, inquiunt, spiritus nervis egressus non ampliùs est sub imperio animæ. Quare motum quidem inordinatum, qualis palpitatio est, faciet: ordinatum non faciet.

Nervos nō trahere habenarū instar, probat Erastus *l. c. dict.9.*

II. Imaginatione concipi non potest, quo modo spiritus ad caput musculi (de sententia Galeni) excubet, ibíque, non secus ac animal rationale, præsit motui.

C III. Ratio dari non potest cur Natura in plerorumque nervorum insertione vsa fuerit tanto artificio? V.g. in Recurrentibus Galeno dictis, in iis, qui capitis musculis inseruntur, qui diaphragmati, & aliis.

IV. Ratio pariter dari non potest, cur spiritus in musculo faciat motum: in cartilagine, osse, membrana, &c. non faciat?

V. Quin nulla prorsus ratio reddi potest, cur Natura tot nervis fabricandis insudârit, cùm per vnum, pluresve, certè non tam numerosos ac nunc sunt, efficere potuerit? V. g. in brachium, in crus. Visa sunt olim hæc incomparabili SCHERBIO alicuius esse momenti, & consensi ego diu: sed postquàm diligentiùs consideravi, cognovi lusoria esse. Quid enim? Non dico fieri motum reciprocum, cùm semel impletus fuerit nervus: sed dico
D ad singulos motus suppeditari spiritus novos. Hinc enim (cogor sæpius repetere) defatigatio est.

VI. Imaginatio facilima! Quoties anima vult movere musculum, toties illum inflat: quia toties dissipatur spiritus. Et hinc est motus ordinatus, pendens

dens ab arbitrio animæ. Ideò etiam cadit spiritûs imperium, quod crepant. Anima imperat, vsa spiritu tanquam instrumento.

VII. Quorsum iactamus illa Naturæ artificia, quorum rationem dare non possumus? In recurrentibus nervis quantoperè sudat Galenus 7. *V.s. p.*14. Frustrà, vel D. ab Aquapendentis iudicio, vt non ita pridem dixi. In vniversum, sextum nervorum cerebri par cur Natura miserit doorsum, cupio discere, vt fortassis *infrà* fusiùs. De diaphragmate eadem est difficultas.

VIII. Quàm pingue est hoc! Quia aliarum partium nulla habet hanc conformationem, quæ patitur se inflari vt musculus.

IX. Pro singulis musculis facti sunt singuli nervi, vt singuli possint seorsim moveri. Qui plura desideret, eat ad Pacium 7. *Meth.* 13. Ego enim superaddito hoc Corollario discedo. Si motus secundùm naturam fit hoc modo: fortassis motus præter naturam, seu convulsorius, κλόνος Græcis dictus, fiet non valde dissimili! Si, inquam, motus secundùm naturam fit recepto in musculum spiritu animali: fortassis motus præter naturam fiet recepto in musculum vapore quodam crasso, qui spiritum animalem quoquo modo mentiatur! Non dissimili fortassis modo convulsiones fiunt, Tetanus, Emprosthotonus, Opisthotonus, occupatis videlicet musculis à vaporibus eiusmodi crassis, qui tantâ copiâ impingantur, vt Natura ne insurgere quidem possit ad expellendum. Vidi spasmum vniversalem cum vehementissimis cruciatibus, potissimùm dorsi. Hunc curavi suppositis dorso ovium pellibus, subitò à iugulatione direptis. Erat enim lanius. E

CAPVT XXXII.

Comparatio inter Aristotelem & Galenum in doctrina de motu.

INstituit hanc Anatomicus merito suo celeberrimus, cui ideò libenter assurgo. Verumtamen quia VERITATI sacramentum dedi, nulla me sanctimonia tenebit, quò minùs dicam, quod res est. Ita enim iudicavi semper, *Temerè veteres incessere, artis non esse: defendere, vbi par est, humanitatis: deserere, vbi patrocinio locus non est, prudentiæ.* A

Is igitur primò, incipit laudare quidem Gal. qui à cerebro principium motûs duxerit: culpare autem Arist. qui, præterito cerebro (id enim orationis sequela vult) à corde initiũ illud petierit. Heic, si satis est difficultatẽ difficultate texisse, dicam, Quantum ille accrescere vult Galeno de cerebro: tantum necessariò decedere eidem in vsu cordis. Sed neque potuit Gal. omittere cor, quantumvis voluerit, vrgente, impellente, & per vim vsque trudente illum ADRASTEA ad οἰκείαν ὕλην, de qua iam toties. Sed de hoc quidem videbimus alibi: quid cerebrum apud Arist. præstet motui, scrutan- B

dum

dum nunc est. Verba Philosophi 2.*Part.*7. clara sunt, τὸν ἐγκέφαλον εὔκρατον ποιεῖν τὴν ἐν τῇ καρδίᾳ θερμότητα, *Cerebrum attemperare cordis calorem.* Huius rei causam reddens paulò pòst, Τὸ γὰρ ἐν καρδίᾳ θερμὸν, inquit, καὶ ἡ κεφαλὴ (id enim αὐτὶ τῆς ἀρχῆ volunt antecedentia) συμπαθέστατόν ἐστι, καὶ ταχεῖαν ποιεῖται τὴν αἴσθησιν, μεταβαλόντος τε καὶ πάσχοντος τοῦ περὶ τὸν ἐγκέφαλον αἵματος, *Cùm enim maxima sit* συμπάθεια *inter cor & cerebrum, postquàm*
C *sanguis cerebri alteratus est, & passus, subitò fit sensus.* Tu verò ne fortè decipi te putes, cape hæc, Primariò hoc fit propter sensum: Secundariò propter motum, quatenus scilicet sensus ab eadem parte est, à qua motus, *de Somn. & vig.*2. Hæc εὐκρασία ἢ συμπάθεια Arist. quia coincidit cum generatione spirituum Gal. vt puto me demonstrasse, tam *in Diatriba* pronuper laudata, quàm *Com.in* 8. *Vs.partium:* quivis videt, quid pro Arist. sit dicendum. Sive enim is hoc spectârit, sive non, ego non curo: modò ita sit in rei veritate.

II. Latè deducit, & ex novem Hipp. locis probat, Musculos fuisse illi cognitos. Hos cur ignorare voluerit Arist. quid causæ dicemus esse? Resp. quia Hipp. & *Carnes* vocat & *Nervos*, quid si sub alterutro nomine apud
D Arist. latent? De Carnibus clarissima sunt Galeni verba, Hipp. 1.*Art.*12. & rursus 2.*t.*68. musculos vocare carnem. Eundem 3. *Fract.*57. musculos vocare Nervos penè certus sum. Nam κοινὴ illa ξύμφυσις insinuat mihi συσσαρκώσιν Galeni, de qua alibi. Ita 3. *Art.*36. ἡ ἀποβλάστησις ἡ ἀδελφιζοῦσα τοῖς τόνοισι, musculos mihi repræsentat. Extra omnem dubitationis aleam est locus de Arte, vbi τὰ νεῦρα ἐν τῇ σαρκὶ μετέωρα, *nervos in mediis carnibus suspensos* distinguit à ligamentis. Eiusdem conditionis est alter 5.*Epid.*45. apud Vallesium in historia illius, cui cuspis sagittæ per sexennium inter nervos latuerat. Quo enim loco alio latére potuit, quàm inter musculos? Vide
E verò etiam hæc ex *l. de Locis.* Τὰ νεῦρα ait πιέζειν τὰ ἄρθρα, παραπεπταμένά τε εἶναι παρ' ὅλον τὸ σῶμα, ἰσχύειν δὲ μάλιστα ἐν ἐκείνοισι τοῦ σώματος, καὶ ἀεὶ παχύτατα εἶναι, ἐν οἷσιν αἱ σάρκες ἐλάχισταί εἰσι, *Nervos incumbere ossibus, & vnà perpetuò cum illis esse: maximè autem robustos, quippe crassissimos, esse in iis corporis partibus, quibus carnium aliquid interiectum est.*

An πλεῖσται? Præcedētia enim tale quid volũt.

Heic ego æquos rerum arbitros appello, & quæro, An laboriosissimus Foësius in νεῦρον iure hæc de ligamentis acceperit? Sunt alia apud eundem loca, quæ aliis examinanda relinquo, & venio ad rem, quam ago. Si velis dicere, Vellem adesset Arist. vt musculos illi ostendam: dicam ego, Vin' tu illi ostendere, quod in prima pueritia & vidit, & manibus palpa-
F vit? sed sub alio nomine? carnium aut nervorum? 2. *Part.*9. ait, περὶ τὰ ὀστᾶ αἱ σάρκες πεφύκασι, περιειλημμέναι λεπτοῖς καὶ ἰνώδεσι δεσμοῖς, *Circùm ossa carnes sunt productæ, tenuibus, fibrosisque vinculis interceptæ.* Quis heic non videt describi *musculos*, & à situ, & à substantialibus duabus partibus illorum? 3. *Hist.* 16. inquit, σὰρξ ἐν τοῖς ἐναίμοις πᾶσιν ἐστι μεταξὺ τοῦ δέρματος καὶ ὀστοῦ, *In omnibus sanguineis caro interiacet cutim & ossa.* Heic per *carnem* quid aliud intelligas, quàm musculos? De iisdem esse, non au-

tem de toto genere nervoſo, vt Accorambonus vult, quæ leguntur eiuſdem 3. *Hiſt.*5. certus ſum. Hi enim non procedunt ex eodem principio, vt venæ: hi in extenuatis fiunt conſpicui: hi habent fibras rectas, ſive, vt ille loquitur, fiſſiles ſecundùm longitudinem: hi ad articulos finiunt flexionis gratiâ: hi G
circa omnia oſſa ſunt, præterquam capitis: hi iungunt oſſa oſſibus: hi vehementer intendi poſſunt: hi in artubus plurimi ſunt: hi in ſanguineis tantùm ſunt, & ſi quæ alia ibi traduntur.

III. Exagitat illud, quòd Ariſt. nervos ex corde deduxerit. Dico, Niſi (immediatè) ex corde gigneret 3. *Hiſt.*5. & in corde nervorum copiam agnoſceret 3. *Part.*4. excuſari commodè poterat. Niſi 1. *Hiſt.*16. iterúmque 3. *Hiſt.*3. & 4. in duram quidem membranam concederet ire tam venas, quàm arterias; in ſubſtantiam autem cerebri, nullam prorſus: in promtu eſſet, quod dicerem. De Aorta quæ dicuntur, 3. *Hiſt.*5. quoquo modo accommodari poſſunt, licèt non diffitear premi difficultatibus illis, quæ vir magnus numerat. Cùm enim vnitas animæ, in corde Regiam habentis, poſtularet H
viam ſpiritibus è corde ad cerebrum liberam: viſum Ariſt. fuit rationabile per Aortam fieri, vel ideò, quia ipſa quoque nervoſa eſt. Et fit, vti novimus, non tantùm per huius, ſed & per venæ cavæ ramos, in ſinus hodie dictos duræ matris receptos: ſed hoc Ariſt. in maligna illa Anatomiæ luce perſpicere non potuit. At verò, quòd veros nervos planè non agnoverit Ariſt. id verò eſt quod nego ex hoc ipſo loco. Cùm enim τὰ τελευταῖα, eadémque ἄκοιλα, cavitate puto ſenſibili, finire ait ad τὰς καμπὰς, eadémque diſtinguit ἀπὸ τοῖς νεύροις, qui Muſculi ſunt, vt probavi, cum quibus ait eandem habere τάσιν: quis non videt ſermonem illi eſſe de diuerſis? de muſculis, inquam, & nervis nobis dictis? Et hæc iam alludunt ad mutationem I
arteriarum (& venarum) in nervos, ſiquidem in cerebro, vbi etiam ſint τελευταῖα illa, concedas fieri: non autem in ipſis partibus, vt argutatur Gal. 1. *Sent. Hipp.*6. Eadem ratio fuerit catenæ illius, è tribus loris contextæ, quam Gal. tam ſalsè ridet 2. *Fac. nat.*6. ceu vidimus.

IV. Aggreditur locum περὶ κοινῆς τῶν ζώων κινήσεως, mihi *c.*10. in quo duo deſiderat. Alterum, quòd Calido-nativo (Philoſophus & heic, & alibi πνεῦμα σύμφυτον vocat) tribuat vim movendi abſque muſculo. Alterum, quòd eidem tribuat contraria, vim ſcilicet & tractoriam & pulſoriam, ſive ἕλξιν καὶ ὦσιν. Muſculus enim quivis, inquit, habet vnam tantùm actionem, trahendi ſeu contrahendi. Hoc confirmat alio quodam loco, ſi Ariſt. vult dicere, tractionem ſolam poſuiſſet, & muſculum admiſiſſet, bene haberet.

Quod ad hoc poſterius, partim vera dicit, partim falſa. Verum eſt, muſ- K
culi actio non eſt alia præter contractionem, vt *ſuprà* oſtenſum fuit: falſum eſt, Ariſtotelem ignorâſſe muſculos, vt probatum eſt.

Quod ad prius, μέγα λίαν αἴτημα eſt, Ariſt. conſideraſſe Calidum-nativum abſque muſculo, & actionem Calido tribuiſſe, non muſculo.

Hoc probo, partim ex aliis locis, partim ex hoc ipſo libello. 5. *Gen. extr.* agere ait ὡς ὄργανον. Et hæc doctrina Gal. eſt, cùm alibi, tum 14. *Vſ. part.*6. vt


ſuprà dictum fuit. Penè *extr.c.7.* huius libri, cùm dixiſſet, Animalium motum eſſe talem, qualis in cylindris eſt, ſubdit, ἔχει γὰρ ὄργανα ταῦτα, τήν τε τῶν νεύρων φύσιν, καὶ τῶν ὀστῶν. Τὰ μὲν γὰρ ὡς ἐκεῖ τὰ ξύλα καὶ σίδηρος· τὰ
L δὲ νεῦρα ὡς στρέβλαι. *In animalibus ſimile quid eſt, quale in cylindris. Quod enim ibi lignum eſt, & ferramenta, quæ ligant: hoc in animalibus oſſa ſunt. Quod in cylindris funes ſunt,* (ita enim explico obſcurum alioqui vocabulum στρέβλαι:) *id in animalibus muſculi ſunt.* Nimirum, τὰ νεῦρα heic non minùs *Muſculi* ſunt, quàm locis *ſuprà* tactis. Et in his (muſculis) τὸ σύμφυτον πνεῦμα ἀναφυσᾷ) καὶ συνιζάνει, *attollit & ſubſidere facit*, vt verba Philoſophi faciam mea, ſtatim poſt illa, quæ ex *Somn. & vig.* attuli. Vide Bern. Crippæ ἐκφράσεις in hunc locum.


CAPVT XXXIII.

De loco quodam Galeni, extr. libb. de Mot. muſc.

A VErba Medici ibi ſunt: *Iure fit, vt muſculi quidem omnes, qui oſſibus incumbunt, dum contrahuntur, tantùm in profunditatem & latitudinem augeſcentes, quantùm de longitudine deperditur, eminentiorem omnem corporis molem habeant: quibus verò &c.* Hac de re cùm annis ſuperioribus quidam magni nominis Medicus theſes conſcripſiſſet, meúmque ſuper illis iudicium poſtulaſſet: indignatus ſum equidem Galeni causâ, quem videbam hac occaſione accuſari inſignis in Mathematicis (quin in Anatomicis quoque) inſcitiæ, ſed cohibui me. Cùm idipſum in familiari colloquio expoſuiſ-
B ſem CL. V. tum temporis conſalaneo meo, D. PETRO SAXONIO, Mathematico noſtro, petiit ille dari ſibi hoc negotij. Quod cùm haud gravatè conceſſiſſem illi, reſpondit is hoc modo, & miſi ego αὐτόγραφον ad autorem, vt præ ſe ferebat.

Verba Gal. inquit Saxonius, *quæ aliàs ſatis perſpicua ſunt, exemplo explico.*






Sit muſculus extenſus A. idémque, quando contrahitur, B. fiat. Dico, quòd B. tantùm augeatur in latitudinem, quantum A. in longitudinem. Idque manifeſtum eſt. Eſt enim vnus idémque muſculus. Ergò neceſſe eſt, vt, factâ contractione ſeu compreſſione, ſemper magis magiſque latitudo augeatur, quantò longitudo minuitur. In B. enim latitudini accedit, quod in A. longitudini.


C *Autor verò theſium verba ita accipit, ac ſi vellent, latitudinem & longitudinem muſculi contracti & extenſi habere ſe proportionaliter, vt deprendere licet ex demonſtratione θ. 54. adiecta, quæ tamen nec legitima eſt, nec Geometrica. Declarabo autem, & exponam ſententiam ipſius in exemplo propoſito.*

Sit




Sit vnus idémque musculus A & B, ibi extensus, heic contractus. Dico, quòd quemadmodum se habet longitudo C. D. ad longitudinem H. F: ita se habeat latitudo F. G. ad latitudinem D. E. Hoc est, si musculus extensus contrahatur, vt dimidio fiat brevior: reddetur duplo latior, seu crassior.


An autem hoc verum sit, Medicis iudicandum relinquo. Meâ sententiâ assertio hæc nequaquam locum habet, nisi supponatur, Musculos, quando contrahuntur, eandem similémque formam, sive figuram perpetuò retinere. Veluti, musculum cylindraceum in contractione manere cy- D
lindraceum, pyramidalem manere pyramidalem, & sic de cæteris, nec vnquam formam suam mutare. Ista hypothesis si à Medicis concedatur, possunt Mathematici ex Geometria demonstrare, quòd longitudines & latitudines in musculis extensis & contractis sint reciprocè proportionales. Necesse autem est, vt hoc petant ex doctrina solidorum seu corporum, cùm musculi sint corpora. Quadrat ergo huc prop.15.l.12. *Euclidis*, Τῶν ἴσων κώνων ϗ κυλίνδρων ἀντιπεπόνθασιν αἱ βάσεις τοῖς ὕψεσι.




Vt, si duo sint cylindri A B C. D E F. (quorum iste repræsentet musculum extensum: hic contractum) æquales, erit, vt altitudo A B. ad altitudinem D E: sic basis E F (quæ impropriè latitudo & profunditas dici potest) ad basin B C. Hoc E
est, si longitudo sit dupla longitudinis, fiet crassities dupla crassitiei.



Item si duo sint coni, eundem musculum referentes, G H, erit, vt altitudo coni G. ad altitudinem coni H: sic basis huius ad basin illius. Facit huc etiam prop.34. l.11. *Euclidis. Item* prop.9. l.12. *Verùm, si musculi non fuerint cylindri, aut coni, vel pyramides, vel* παραλληλεπίπεδα, *sed solida, sive corpora irregularia: non poterit locum habere vlla demonstratio, & verba Gal. solùm ita erunt accipienda & explicanda, vt ab initio monui. Autor θ. illud, quod dictum est, demonstraturus longè aberrat à scopo. Petit enim demonstrationem ex doctrina planorum, cùm musculi (qui subiecti loco heic sunt) non sint superficies, sed corpora, quod primum est absurdum. Deinde, demonstraturus affectio-* F
nem, sive τὸ ἴδιον πάθος *de musculis, tanquam de subiecto, assumit problema, quod alterum est absurdum. Affectiones enim demonstrantur per theoremata, non per problemata. Et quis non videt, quo modo nihil ad rem faciat? Dato rectilineo æquale quadratum constituere. Quasi Galenus doceret fabricare musculos, vt opus sit Euclidis problematis. Si maximè voluisset Autor ex doctrina planorum demonstrationem quærere, debuisset adducere demonstrationem ex* prop.14. l.6. *Euclidis, item* 15. eiusdem libri. *Vt, quando parallelogrammatum A. B C D. æquale est quadrato E B G F: erit, vt*




longitudo B C ad longitudinem B G, ſic latitudo F G ad latitudinem C D. κτ̄ τοῦ λόγου ἀντιπεπόνθασιν *videlicet. Tertium abſurdum eſt, quando Autor in demonſtratione ſua* ad θ. 54. *dicit, Partem ſuperficiei G D eſſe in proportione ad lineam A D. Quomodo enim inter ſuperficiem & lineam poteſt eſſe proportio ſiue* λόγος*?*
G *Ex principiis ſanè* lib. 5. *Euclidis, videlicet ex definitione quarta, item ex lemmatis Archimedis de ſpiritalibus, & quadratura paraboles, hoc notum eſt. Deinde. quid hoc eſt, quod in eadem demonſtratione inquit? Quoniam quadratum muſculi E B G F eſt æquale parallelogrammo A B C D. Sequitúrne ideò, quòd ſuperficies muſculi ſit vna? Planè non ſequitur. Poteſt enim ſuperficies muſculi in quadrato maior eſſe, vel minor ſuperficie muſculi in parallelogrammo, quam-*
H *vis quadratum æquale ſit parallelogrammo. Nam quadratum, aut parallelogrammum muſculo circumpoſitum, ſolùm determinat eius longitudinem & latitudinem: non verò ſuperficiem, cùm muſculus corpus ſit, & protuberantiam habeat. Hoc declarabo exemplo, à re notiſſima petito.*



Sint duo ova H & L, iiſque circumponantur duo parallelogramma, I K N M. & O P Q R: quis non videt, etiamſi parallelogrãmum I K N M æquale fuerit parallelogrammo O P Q R, quòd nullo modo inde ſequatur, ſuperficiem ovi H eſſe æqualem ſuperficiei ovi L? Quartò, vanum eſt, quod Autor θ. *ob vnicam illam Euclidis propoſitionem, Dato rectilineo æquale quadratum conſtituere, quam demonſtrationis ſuæ baſin eſſe volebat, tot propoſitiones & axiomata,*
I *quæ videlicet ab Euclide ibi aſſumuntur, collegerit. Miror, quòd non plura ex Euclide deſcripſerit, inprimis verò* propoſ. 47. lib. 1. *qua in demonſtratione* prop. 10. *etiam vtitur. Et potuiſſet ob hanc totum primum Euclidis librum diſputationi ſuæ inſeruiſſe. Quoties autores vſurpant propoſitionem Archimedis de ratione circumferentiæ circuli ad diametrum! Si vnà adducerent propoſitiones illas, quibus iſta innititur, innumeras paginas implerent, & oleum operámque perderent. Animadverſione etiam digna eſt* prop. 4. *Autoris, quæ ita ſonat: Linea recta in duas rectas parallelas incidens facit angulos æquales. Debuiſſet addere cum Euclide, Quínam anguli fiant inter ſe æquales? Veluti anguli* ἐναλλὰξ, *item internus & externus oppoſiti. Aliàs enim falſa erit concluſio.*

K



Nam anguli O O, quos recta E F in parallelas A B, C D incidens efficit, nequaquam ſunt inæquales, &c. Præterea falſa eſt Autoris prop. 6. *cuius hæc ſunt verba: Vbi anguli ſunt æquales, ibi & latera ſunt æqualia, & proportionalia. Nam in duobus parallelogrammis M & N. anguli*

ſunt æquales: latera tamen nec æqualia, nec proportionalia ſunt. Sed nolo omnia ad Euclidis amuſſim examinare. Propoſitiones, quæ ab Autore ſub titulo fundamentorum Architectonicorum afferuntur, Mechanicæ ſunt, & ex Mechanicis Ariſt. petendæ, non ex Vitruvij lib.10. c.8. *Vitruvius enim in exemplis ea ſolùm oſtendit in vecte, in ſtatera, in gubernaculo, in malo, &c. quæ Ariſt. ex principiis ſuis demonſtravit. Tendunt autem ad θ. 53. Sed, meâ ſententiâ, tanto apparatu opus non fuit.* Hæc Saxonius: diſpiciat autor non ἐπιδεχάδην, & de reſponſionibus cogitet. Plura cur non dicam, cauſas habeo.

DE OSSIBVS.

CAPVT XXXIV.

Iudicium de libro de Oßibus, aliiſque, qui τοῖς εἰσαγομένοις inſcribuntur.

NOn ignorant οἱ χαρίεντες noſtri latiſſimè differre demonſtrationem de corpore humano Phyſicam & Medicam. Illa eſt fuſa & accurata, omnes ſubiecti ſui apices rimans, nec vllis erroribus ignoſcens: Hæc contrà brevis, & ſimplex eſt, ſoli addicta vſui, quem quæ, vel non attingunt, vel tranſcendunt, illa pro derelicto habet, ſecura, vera an falſa ſint in Phyſicis? Rurſus, non minùs lata eſt differentia in ipſa conſideratione Medica. Qui enim perfecti ſunt Medici, & amant diſciplinam κατὰ διέξοδον dictam Gal. ex fundamentis diſcunt artem, intenti in illud Poëtæ, A

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas!

At οἱ εἰσαγόμενοι ſuperficialiter agunt, ſatis habentes ſi τὸ ὅτι ſciant vtcunque, de τοῦ διότι non magis ſoliciti, quàm ego de Pygmæis. De his quia fusè egi *lib.*1. eâ præcipuè fini, vt noſtri homines diſcant, quàm longè alia fuerit ratio Medicinæ veteris, quàm hodiernæ eſt; ſatis mihi nunc ſit digitum tantùm intendiſſe in nobilem locum 3.*Criſ.*8. vbi diſtinguit inter Medicum & Phyſicum, de Medico aſſerens, ne principia quidem Phyſica noviſſe, ideóque de Criſibus diſputaturo ſilentium imponit. Tales cùm ſint οἱ εἰσαγόμενοι, iudicent boni, ſapientéſque, rectène, an ſecus vocârim illos *Semidoctos*? His talibus cum ſcriptus ſit liber propoſitus, mireris iure, cur noſtri homines tam profundè rimentur! tam vaſta ſcribant commentaria! Et Sylvius quidem, cùm perſuadere vellet aliis, Galenum nullibi errâſſe, hoc eſt, omnia in homine conſiderâſſe ad exactam Veritatis lancem, ſæpicule mutatur in Harpocratem, cùm videt rem non habere ſucceſſum. Idem in frontiſpicio Calumniarum ſuarum indignatur Veſalio, quòd dicat ſæpicule, oſſium deſcriptiones non vſquequáque reſpondere hominis oſſibus! Atqui, ô Sylvi, tu ipſe allegas locum 3.*Art.*1. vbi Gal. dicit, Perinde eſſe, ſive in B C

homine ista considerentur, sive in simia! Tu ipse (si paulisper digredi mihi licet) *Cal.22.* concedis, Administrationes Anatomicas dictas spectare solas simias: quemadmodum *libb. de Vs. p.* solùm hominem! Sed nec hoc posterius in æternum probabis. Falloppius, qui huic tempore proximus est, profectò nimis latè se diffundit! Eidem culpæ affinis est Ingrassias, homo ad stuporem vsque diligens. Est & alij, cùm Physicum potiùs agit, quàm Medicum. Et hinc est, quòd tot numerat Gal. errores, quod numerari indignè ferunt Isti. Ego hos omnes vno pugno comprehensos dico, Non est exspectanda heic à Gal. veritas. Non enim tantùm scribit semidoctis: sed in calce libri ait, ὐκ ἀνάγκη νῦν λέγειν, intellige minutias quasdam. Cæterùm Costæus *l.5. Disq. Phys.* vtitur etiam aliâ excusatione. Liber ipse scatet mendis. Possit videri accepisse à Fuchsio, qui *in Inst.* idem conqueritur. De Riolano hoc miror, Cur post Osteologiam denuò tam latè commentatus sit in hunc librum? Hac causâ inventâ, scibimus etiam cur post explicatos musculos Myologiam seu Myotomen instituerit?

Hac ratione quia ad musculos deventum est, dico, Licèt liber Gal. de Anatomia musculorum non præferat τὺς εἰσαγομένυς: certum tamen est ex fine *cap.1.* Galenum non persequi Myotomiam humanam, vt sic loquar. Ostendit enim musculos in simia suffocata. Quò minùs audiendus fuerit Vesalius, & alij, qui per vim adigunt illum ad hominem! Hoc videris non multis tantùm locis *Magn. Op.* sed & *in Ep. ad Rolandum f.57. & seq.* item *f.94. 110. 156.* Vno verbo, Nihil est hoc totum, siquidem habitu Medico consideres. Eadem prorsus est ratio Venarum & arteriarum. Expressè enim Gal. in vestibulo eius opellæ, se scribere ait, ea quæ in simiis apparent. Idem dici debere de Nervis, quamvis non dicatur, planè certus sum. His omnibus addo, Ne in homine quidem omnia perpetuò esse Mathematicæ certitudinis, sed Naturam vti libertate suâ. Propterea irascendum non esse, si inter Anatomicos liticulæ quædam sint. Verisimile enim est scripsisse vnumquemque, quod vidit.

CAPVT XXXV.

Locus de differentia ossium examinatus.

CVm dicit Gal. *Proœm. l. de Oss.* Ossa quædam esse magna cava & medullosa; quædam contrà parva, sine cavitate & medulla: Sylvius *in Com.* & Riol. *in iisdem, lemmate, De oss.* divisione, extundere volunt tres ossium divisiones. Hoc negat Fallop. *in Com. c.11.* docens, non nisi vnicam esse, illam scilicet quæ sumitur à magnitudine & parvitate. Hac de re iudicium ferens Riol. *d. l.* ait, Accedere aliquatenus ad verba & mentem Gal. Tu verò, sodes Riolane, tolle τὸ *Aliquatenus*, & rem dixisti. Hoc stante, quomodo, ô Riolane, non contradicis tibi, cùm commentum vocas subtile,

subtile? Ego verò pluribus hoc vrgere nolo: sed dico, A Gal. in hoc libello non debet exspectari ἀκρίβεια.

CAPVT XXXVI.

De connexione ossium Galenica.

NÆ ego parum prudens & pudens sim, si cumulare velim ea, quæ Galeno in eodem prooemio obiiciuntur de connexione ossium! vel ideò, quia *l. de Simil. c.* 17. abundè id feci. Heic igitur illud moneo tantùm, In ipsis vocabulis, quibus vtimur in hoc negotio, tam non esse vllam apud Gal. & Hipp. concordiam, vt inepti sit velle certi aliquid constituere. A

Addo verò & hoc, Mendas *l. de Oss.* heic inprimis se prodere. Quibus eiiciendis licèt insudârint duo magni viri, Ingrass. *Comm.* 11. 12. & 17. & Doctor meus famigeratissimus D. FABRICIVS ab Aquapendente *l. de Oss. deart.* non videri mihi tamen rem esse confectam. Quibus ipsi libri ad manus non sunt, invenient conatus illorum *Notis nostris in d. l.* De re ipsa ita statuo, Nec Gal. *l. c.* nec Vesalij *l.* 1. *Magn. Op.* 4. & *Ex. Obs. Fall. f.* 8. nec Fallop. ipsius 1. *Obs.* 2. διαγραφὴν respondere Naturæ libro: sed Columbi *l.* 1. *c.* 4. Quamobrem hunc quidem sequendum videri: reliquos in pace dimittendos. Interim si libeat alicui Galenum defendere, possit id prævio vel Riolano *d. Com. in l. de Oss. f.* 756. editionis posterioris seu quartæ, vel Laurentio 6. *Anat. quæst.* 1. Puteus etiam aliquid molitur *l.* 1. *Apol. f.* 15. cui se opponit Cuneus *f.* 10. & *seq.* B

CAPVT XXXVII.

De substantia & vsu appendicum in ossibus.

NOn ego ingredior heic mare difficultatum, Quæ ossa habeant appendices: quæque harum degenerent in processus? Videatur Fall. 1. *Obs.* 1. & Vesal. *in Ex. f.* 4. itémque *in Ep. ad Roland. f.* 149 De re ipsa ita pronuncio, Nullum genus hominum solere mihi molestius esse illo, quod falsitatis manifestæ convictum, tamen pugnat! Tale est illud, quod vrgent ex Gal. 11. *Vs. p.* 18. *G.* appendicum substantiam esse duram & solidam. Contrarium enim cùm sensus ipse doceat, vrseritque adeò Vesal. 1. *Magn. Op.* 3. boni viri erat, huic potiùs quàm Gal. adhærere. At verò cùm Capiv. *in Meth. Anat.* transtulerit negotium ad Cartilaginem appendicibus superinductam, Riolanus *Com. in iam d. procem. de Oss.* lemmate, De ossium epiphysi, ἕρμαιον se invenisse ratus, producit denuò. A

At verò quis non videt? Primùm rem esse translatam, vt iam loquutus sum, B

ſum, ab appendice ad cartilaginem foris incruſtantem. Secundò cartilaginem in duritie tam eſſe infra os, vt ne quidem comparatio inſtitui poſſit. Fortaſſis viderat homo futilitatem, ideò addit, *Vel dic cum Piccolhomino, aliud eſſe* πυκνὸν ϗ στερρὸν : *aliud* σκληρόν. Locus eſt 5. *Præl. Anat.* 4. Miror ego vehementer, ſi vel Piccolh. inſpexit locum, vel Riolanus! Inveniſſent enim τὸ σκληρὸν æquè ac reliqua duo. Quando igitur tria hæc vocabula tam vicinæ ſunt ſignificationis, quid fruſtra tempus perdimus?

Et hæc quidem de priori: de poſteriori ſententia eſt Gal. eodem loco B.
C Appendices non eſſe, niſi in iis oſſibus, quæ cava ſunt inſigniter, & medullæ plurimum continent, & in his ſervire illas tutandæ medullæ, eſſe (inquam) operculi loco, ne medulla effluat. Heic primùm falſa eſt hypotheſis. Nam & parva oſſa, adeóque medullæ ferè expertia habent appendices. Nimirum, repellunt nos exempla, quæ Veſal. & alij opponunt. Deinde, frivola eſt excuſatio, locutum eſſe Gal. de pleriſque omnibus, quæ numerat Ingraſſ. *Com. in procem. d. l. de Oſſ. t.* 6. & Riol. *l. c.* Subitò enim animus humanus inſurgit, & ſcire vult, Quis ſit omnium appendicum vſus? quem, inquam, ſpectârit Natura, non in pleriſque, ſed in omnibus? Hunc Fall. docuit. *Com. in d. l. c.* 11. & poſt eum Columbus *l.* 1. *c.* 2. licèt hic ſibi adſcribat inventum, Ideò factas eſſe appendices, vt ex commiſſura iſta oriri poſſint ligamenta,
D quæ articulo vicino firmando ſerviant. Hunc cum Ingraſſia & Riolano ex Gal. ita deduco. 2. *Vſ. p.* 13. inquit, Appendices ſervire dearticulationibus. Sed quo modo? Indicat id magis quàm docet *c.* 15. *ſeq. G.* cùm de manus ligamentis ſcribens ait, κατὰ τὰς τῶν ἐπιφύσεων χώρας ἀνίσχειν, *oriri eâ oſſis parte, quâ* ἐπιφύσεις, *appendices ſunt.* Eſt autem hoc ita accipiendum, Vbicunque appendices ſunt, ibi quoque ligamenta oriuntur: non autem oportet convertere ſimpliciter, Vbicunque ligamenta oriuntur, ibi appendices quoque ſunt. Non enim hic ſolus ligamentorum ortus eſt. Qui vult, imò, qui aliud non habet, quod agat, legat, quæ Puteus chartæ illevit 1. *Apol. f.* 49. cui reſpondit Cuneus *f.* 27.

CAPVT XXXVIII.

An, & quatenus oſſa nutriantur medullâ?

A OSſa parva medullam non habere expreſsè dicit Gal. 11. *Vſ. p.* 18. *C.* Idem tamen eiuſdem *cap. vlt.* verbis, vt & 2. *Vſ. p.* 16. *I.* medullam vocat οἰκείαν τῶν ὀστῶν τροφὴν, *proprium & familiare oſſium alimentum.* Si hoc verum eſt, quo modo os quoddam carere poteſt ſuo alimento? Nec eſt, quòd Laurent. 5. *Anat. quæſt.* 4. obtrudat nobis diſtinctionem inter μυελὸν ϗ χυμὸν, *medullam & ſuccum.* Hunc, inquit, habent oſſa illa, quæ cava non ſunt: hanc cava. Gal. enim 3. *Fac. nat.* 15. *F.* medullam vocat omne id, quod in oſſibus continetur, ſive illa ad ſenſum cava ſint, ſive fiſtuloſa, ſpongioſáve tantùm.

tantùm. Et hoc ipſum (addit) oſſibus eſſe id, quod ſanguis eſt carnibus. Quo quid clariùs dici poteſt? Nec hilum valet diſtinctio Rorarij *Contrad. Galen.* 106. Medullam non eſſe eandem in magnis & parvis oſſibus. Quo enim dic modo? Nam τὸ *Idem* eſt ὁμώνυμον. Numero non eſſe facilè credam. At ſpecie etiam, hoc verò omnibus modis nego. Huic diſtinctioni innititur etiam illa Laurentij, Medulla alia propriè ita dicitur, alia impropriè, ſive, vt Riolanus loquitur, genericè, vel ſpecificè, aut etiã metaphoricè vel propriè. Cupio enim ſcire qua in re conſiſtat, vel proprietas illa, vel improprietas, vt ſic loquar. Diſcere hoc potuit Riolanus ex *Com. meis.* Propria locutio eſt penès Philoſophos & Medicos, qui omnem omnium oſſium ſuccum vocant Medullam: impropriam penès vulgus, quód illam tantùm, quæ in magnis, iiſdémque cavis. Iam igitur quæſtio devolvitur eò, Quid nominis? Hac igitur relictâ venio ad alteram, quam decîdi ex Ariſt. 5. *Var. lect.* 24. & *alibi*, Aluntur oſſa medullâ, quatenus medulla ſanguinem in ſe continet. Sanguis igitur potiùs nutrit: at quid medulla, quà medulla, ſeu pinguedo? quid facit? Præbet ſanguini vehiculum in denſam oſſium ſubſtantiam, quam ſimul humectat. Hoc iamprimùm docuiſſe invenio Fallop. *Com. in l. de Oſſ.* 8. qui ait, Medullam illam, quæ nutrit, eſſe ſanguineam. Imò clarè Riolanus *iiſdem Com.* lemmate, Cur oſſa ſint medulloſa? Vbi penulâ prehenſum virum interrogabo amicè, ſi oſſa alantur ſanguine puriſſimo, quo modo is ipſe dici poteſt oſſi proportionatus, adeóque melancholicus? In eiuſmodi abſurda cadere neceſſe eſt, quicunque ſimilitudinem alimenti cum parte alita quærunt ante ſubſtantificam alimenti alterationem. Hæc enim demum facit ſimilitudinem actualem, vt *infrà* dicam, ſi volet ILLE!

[Margin: B … C]

[Margin: Ingraſſ. *d. Comm. in prœm. t.* 5. *f.* 11. nutritioné quidẽ medullæ adimit: relinquit autem humectationem. Quo modo alantur, & à quo, non dicit.]

CAPVT XXXIX.

DE VNGVIVM generatione & nutritione.

QVi cautè in bonis Autoribus verſari vult, illum diſtinguere fas eſt inter communes opiniones, & ipſam rei veritatem. Sæpe enim magnis viris ſatis eſt id, quod in vulgus notum eſt, licèt aliter ſentiant. Huius rei exemplum iam do. Vngues ait generari Hipp. *l. de Nat. pu. t.* 16. ex oſſibus, venis & nervis. Plato *in Timæo* ait, Vngues eſſe cutim exſiccatam, ex cutis, nervi & oſſis complicatione. Non longè Ariſt. abit, cùm non tantùm 10. *Probl.* 65. ſed & 3. *Hiſt.* 11. vnguium originem ex cute petit. Cutis autem apud eundem *l.* περὶ πνεύματος (ſi modò ipſius eſt) *c.* 5. vt & Gal. *l. An ſanguis, c.* 4. *E.* eſt ex vaſorum extremitatibus. Ita apud Tertull. *l. de Anima*, vngues ſunt exodia nervorum. Et hæc quidem communis ſententia eſt: quam refutare volens Gal. *Com. in Timæum*, & 2. *Ex. Anat.* 11. *A.* inquit, Aliud eſſe φύεσθαι, aliud συμφύεσθαι. Quaſi hoc vellet, Vngues quidem contigui ſunt cum his omnibus: verùm non propterea ex ſubſtantia eorum trahunt originem.

[Margin: A … B]

Reverà enim & cutis & vngues in prima generatione ex ſanguine, tanquam propriâ materiâ, fiunt.

Huius conſectarium quia eſt, Ergo ex ſanguine quoque nutriuntur: in promtu eſt reſponſio Pſeudo-Galeniſtarum, Ex excremento habent alimentum. Hoc probant ex Hipp. *l. de Alim.* vbi ait, τῇ φορῇ ἔνδοθεν ἀφικνεῖσθαι, hoc eſt, vt Valleſ. explicat, *per congeſtionem excrementorum.* Gal. *in de Ex. l. c.* docet, κάτωθεν eſſe, ἢ καθ' ὑπόφυσιν, *per ſuccretionem* ſeu *ſubnaſcentiam*, ſi ita lo-
C qui licet. Et 1. *Vſ. p.* 11. *C.* ſcribit, vngues nutriri, non vt alias partes, ſecundùm trinam dimenſionem: ſed in longitudinem tantùm. Reverà eſt communis hæc quoque ſententia. Sanguine enim nutriuntur, vt reliquæ partes omnes, & quidem ſecundùm trinam dimenſionem. Nec morari quemquam debet, quòd extra cutim eunt in longitudinem. Eunt enim ſecundùm trinam ſuam dimenſionem. Et hæc eſt Veritas: illa dicimus, cùm meliora non habemus, vt Veſalius alicubi ſe excuſat.

CAPVT XL.

DE PILORVM generatione & nutritione.

A CVm de hoc negotio diligentiùs cogitare inciperem, commodùm incidit verſus facetiſſimi noſtræ memoriæ Poëtæ, de re neſcio qua ludicra,

Vidiſtin' vnquam fumos in pariete pictos?

Ego verò (ſubiunxi) non in pariete, ſed in ſcriptis magnorum virorum video fumos, & quod tu ampliùs mireris, etiam pugnaturientes! Quid enim aliud ſibi volunt illæ fuliginum, ad generationem & nutritionem pilorum concurrentium, truſiones & pulſiones, de quibus Gal. 2 *Temp.* 5. *D?* Reverà modus quidem hic fabulæ proximus eſt: materia autem ipſa ineptiſſima. Quei enim fuligo, quæ reverà talis, per rerum naturam facere tale quid
B poteſt? Imò ab operibus naturæ tam eſt remota, vt nihil ampliùs ex ea fieri poſſit. Quod quia doctè & fusè deduxit doctor olim meus, clariſſimus D. HERCVLES SAXONIA, *l. de Plica Polonica, c.* 39. nolo ego fruſtra heic laborare. Hoc ipſum quia ante Saxoniam ſcripſiſſe comperi acutiſſimum Averroëm 2. *Coll.* 8. tantò libentiùs profitebor. Sed & ideò his me iungere placet, quòd tam Ariſt. 3. *Hiſt.* 10. & 11. 5. *Gen.* 3. quàm Gal. 14. *Meth.* 18. *B.* 7. *Simp. c. de Ciſto*, materiem pilorum ἀναθυμίασιν quidem vocari ſinant: appellent autem ſubinde χυμὸν, ὑγρὸν, ὑγρότητα φυσικὴν, ἰκμάδα. Quibus verbis
Mecum eſt Sennertus 5. Pract. 3 ſ. 2. c 1. Spigelius 5. Anat. 10. cùm indicent ipſiſſimum ſanguinem alimentarium, diſcedo pariter à ſym-
C ptomatica ſeu neceſſaria (quæ per accidens fit, & ſecundariò) generatione ſimul & nutritione, ad naturalem, ſeu primariam, quæ per ſe fit, ex ſanguine, more & inſtituto Naturæ vniverſali. Nec me tenet Argenterius *Com.* 2. *in Artem c.* 9. & 13. Iam enim huic ſatisfecit præceptor Saxonia quo loco dixi.

Ergóne, inquis, nutritio pilorum fit ſecundùm trinam dimenſionem? Fit, vt in vnguibus. Et hæc eſt veritas: non autem ſecundùm longitudinem tantùm. Sed eſt differentia quædam. Vnguis eſt & dicitur, etiamſi carnem non ſupereminеat: pilus non eſt, niſi exeat è poris. Et eſt in pilo, quod in ſimilaribus, in quibus minima pars eſt maxima. Accidit igitur pilo vel ſpithamiæum eſſe, vel cubitalem. In pilis etiam altera differentia eſt, quam ex *11.Vſ. p.14.I.* depromtam rectè explicat *l.de Simil.19.* Falloppius. Alij ſunt à Conditoris providentia: alij fiunt caſu, & per conſequentiam. Hoc tetigiſſe ſatis ſit.



SECTIO IV.

De Partibvs Dissimilaribvs, ſeu Anatomia.

RATIO ORDINIS.

CORPORIS humani diviſio optima eſt in *Ventres* & *Artus*. In ventribus præcipuus eſt medius, ſeu *Thorax*, à quo etiam initium faciam, naturâ quippe priore, *6.Sent.Hipp.5. N.* Poſt hunc de imo agam, ſeu *Abdomine*, qui vel maximè thoraci ſervit. In quo quia partes ſunt duûm generum, priores heic erunt, quæ ſerviunt individuo, ſeu Nutritioni: poſteriores, quæ ſpeciei, ſeu Generationi, vbi de Fœtu etiam diſquiſitiones erunt, quamdiu is in vtero matris eſt. Poſthæc de tertio ventre ſeu *Capite* ſermo habebitur, in quo etiam ſeorſim conſiderabitur *Cerebrum*: ſeorſim *Medulla-ſpinalis*, quæ alterum reverà Cerebrum eſt. His mantiſſæ loco ſubiungentur *quinque ſenſoria* cum *Maxilla ſuperiore, inferioréque*, & maſticationis vociſque ex parte organis. Tandem *Artus* finem imponent huic labori. D

CAPVT XLI.

DE THORACE, SEV MEDIO VENTRE. De vſibus eius.

NE lucernam à tergo portare videamur, hinc ordiendum eſt. Fatetur quidem Gal. multis locis, Animam eſſe vnam, cuius etiam ſubſtantiam ſe ignorare non diffitetur: at in ambitioſiſſimo opere περὶ δογμάτων ἱπποκράτους καὶ πλάτωνος perſuadere ſe poſſe confidit, Animam non diverſas tantùm facultates habere, quod effugium eſt miſerorum, qui ſe φιλογαληνοὺς vocant: ſed diverſas etiam ſubſtantias, quæ ipſæ ſubſtantiæ locis differant. A

Quod in calce *lib. 3.* de parte fatetur: id ego rectè accipio de

Ne fingere me putent Illi', accipiant hæc loca ex laudato modò opere. *Lib.5. c. 4. A.* inquit, *Anima nostra non solùm facultates plures habet: sed etiam ex partibus diversis, GENERE NATVRAQVE discrepantibus composita est.* Non diffiteor vsum esse Interpretem suâ quadam licentiâ: in re tamen nil delirâsse illum invenio. In Græco enim codice leguntur ista, τὴν ψυχὴν σύνθετον εἶναι, τὰ μόρια αὐτῆς τοῖς τόποις κεχωρίσθαι ἀλλήλων, ταῖς οὐσίαις διαφέρειν. Et *c.7.seq.A.* non obscurè excusat Platonem, se ipsum accusat prævaricationis. Ait enim, *Quòd animæ differant substantiis, & multò magis, quòd differentibus locis sint, ex Platone probari non posse: se autem id probaturum l.6.seq.* Quo ipso libro *c.2. C.* καὶ τόποις καὶ οὐσίαις κεχωρίσθαι ait. Et iterum *c.3. C.* κάλλιον, inquit, *veriùs,* οὐσίαν ψυχῆς ὀνομάζειν, οὐ δύναμιν ἐν ἑκάστῳ τῶν τριῶν σπλάγχνων περιεχομένην.

toto, vel ideò quia *l.7* initio ad eosdē amicos ambitiosos inclinat.

B

Heic quid ego primo loco dicam? quid secundo? quid tertio? Parœmialiter aliàs dicitur, *Sapientibus pauca.* Ego verò nihil dicam, ne vel diffidere aliis videar, vel ex affectu loqui. Hoc dissimulare nec possum, nec debeo, ADRASTEAN digito nobis innuere, & significare victoriam. Si enim triplex est anima, quo modo simul vna? Eandem de triplicitate animæ tacitè insusurrare nobis in vtramque aurem,

C

Monstrum informe, ingens, Geryon sine more tricorpor!

Hic Geryon (vt ad propositum veniam) cùm in hanc Physiologiæ Hippocraticæ & Aristotelicæ partem impetum meditaretur, ἀκρόπολιν nostram primitùs est aggressus, cum spe certæ victoriæ. Et favit illi Fortuna tantoperè, vt subitò Medici plerique coniurârint in perniciem Veritatis. Quò magis opus est Hercule aliquo, qui bis duodecim laboribus suis addat hunc supernuemrarium, dométque superbiam dicam, an pertinaciam? eorum hominum, qui convicti etiam tacere nolunt, multò minùs mutare sententiam! Oportet autem Herculem hunc non aliis vti armis, quàm Arist. qui nobis heic est alter Achilles, quo duce certum est vinci posse hostem, quem favor potiùs τοῦ πολλοῦ συρφετοῦ, quàm vlla manus militaris tegit. Et quid plura? Reverà ARISTOTELES heic est HERCVLES: GALENVS autem, quod in proverbio, simia. Hoc si ὀψιμαθεῖ cuidam calamitosum videbitur, prodeat. Nil dubito

D

——— inventum Priamo narrabit Achillem.

Sed ad rem: Vsus thoracis docet Arist. *l. de Respir.* 11. vnde ego, argumento *Com. in 6. Vs.p.* Veniam autem peto, si in explicando loco obscuriusculo paulò liberior sim, & de Thorace exponam, quæ ille de Pulmonibus. Ita enim res iubet. *Duo cùm sint* (videtur mihi dicere velle Philosophus) *quorum alterum pertinet ad esse animalis, alimenti confectio; alterum ad conservationem Calidi nativi: Natura vtrumque perficit vno instrumento, Thorace.* Quid heic ausus est Galenus? Prius ademit prorsus Thoraci, vt mox probabo: alterum reliquit solum. Quo iure, quâve iniuriâ? Intelligetur id ex *seq.* quæ an ex autopsia hauserim, vt iubet me facere Riolanus, iudicet ipse.

An locus est in vitio? Quo modo enim pulmoni tribui potest sanguinis confectio? An hoc vult Arist. Quatenus conservat calorem in συμμετρίᾳ, ne nimis incādescat.

E

CAPVT

CAPVT XLII.

De THORACIS partibus Contentis, & primùm de CORDIS vsibus.

HIneutiquam possunt intelligi, nisi sciatur, quæ sit œconomia corporis animati? Describit hanc Arist. *l. de Com. an. motu, c.* 10. *mihi:* ὑπολητέον συνεστάναι τὸ ζῶον ὥσπερ πόλιν εὐνομουμένην, καὶ τὰ ἑξ. in quibus explicat mentem suam de statu Monarchico. Hunc locum qui meliùs explicârit Turrisano *Com.* 2. *in Artem, t.* 12. nondum vidi, licèt sordidiore stylo, pro sæculi illius modulo. Et quia latiùs se diffundit, quàm instituto meo convenit, pauca quædam χεύματος χάριν afferam, & quidem parumper mutato dicendi genere. Qui volet, possit addere reliqua: sunt enim reverà eximia. Cùm plures sint partes principes, (vult dicere Monachus) quæritur, Æqualíne vtantur omnes potestate? an potiùs vna illarum absolutam habeat potestatem? Dico, impossibile est illas æqualiter dominari. Sicut enim anima in quolibet animali essentia est vna, secundùm se indivisibilis, sed diversis prædita facultatibus: ita corpus est quidem vnum, sed instrumenta sunt plura. Rursus, vt omnes animæ facultates rediguntur ad vnam essentiam: ita instrumenta illa plura respiciunt vnum aliquod ex illis, cum quo etiam reliqua omnia connectuntur.

A Gal. ipse 4. *Vs. part.* 2. agnoscit κατὰ τὸ ζῶον πολιτικήν τινα διοίκησιν, & agnovisse ait priscos. Inter Medi- B cos nostros solum invenio Varoliū consentire 2. *Anat.* 1.

Hoc vnum instrumentum est sedes animæ, ex qua, tanquam ex fonte, fluunt illa omnia, quæ corpus perficiunt. Propter enim animam cuiuslibet corporis vnam essentiâ, debuit etiam pars vna esse principalis, à qua dependeant reliquæ, quæ prima generetur, quæ prima vivat, quæ vltima moriatur. Hæc pars secundùm Peripateticos longámque ex Anatomiis experientiam COR est. Hoc verum esse inde etiam constat. Omnes actiones promoventur à calore, impediuntur à frigore. At cor est fons caloris. Ergo cor est pars illa, quæ quæritur. Hæc & alia multa Ille. Huius argumenti oratiunculam legeris etiam apud Puteum *l.* 3. *Apologiæ f.* 118. quam in præsentia Vesalij, Bononiâ tum Pisas proficiscentis, habuit Lud. Buccaferrea, quam cordatis commendo. Parum enim abest, quò minùs æquet precium totius centonis. C

Horum omniū summa hæc mihi videtur esse. Quemadmodū Rex in regno suo omnia facere dicitur, licèt pleraq; omnia faciat per ministros, Cancellarium, Maiorem domus, Consulem, Prætorem, quod sine ipsius iussu & autoritate nihil ratum sit: ita Cor agit omnia, licèt quædam in hepate fiant, quædam in cerebro, quædam in testibus, quædam in hac, illáve parte, misso illò spiritu, tanquam accenso, è Corde. Ideò 3. *Part.* 7. ait Philosophus, Cor esse οἷον ἑστίαν, ἐν ᾗ κεῖται τὸ τῆς φύσεως ζώπυρον, *quasi focum, in quo servetur Naturæ fomes.* Hinc enim reliquæ partes omnes animantur. Propterea D

addit, locum cordis esse εὐφύλακτον, *bene custoditum & munitum, non secus ac arx quædam in colle sita, è qua vrbs, seu regio tota defenditur.*

Et hoc est, quod nostri Philosophi dicunt, Quod DEVS opt. max. est in Vniverso; quod in macrocosmo est Sol: id in microcosmo est Cor. Quo quemadmodum nihil splendidius dici potest ad ampliandam cordis dignitatem: ita ad deprimendam autoritatem illius, nihil despectius dici possit, quàm id, quod Galenus dicit. Cùm enim (quod SCHERBIVM, τὸ πάνυ, dicere memini) facultatem infimam, quæ cum plantis nobis communis est,
E Vegetativam seu Nutricem dictam, Hepati tribuisset; cùm duas superiores, alteram cum brutis nobis communem, Sensitivam; alteram nobis propriam, Rationalem Cerebro, quid superesse possit Cordi? Iam enim adsunt tres viventium ordines. Ne vacuum sit, dabimus illi facultatem Vitalem, & explicabimus de altero thoracis, apud Arist. *de Respir. l.c.* vsu, qui est σωτηρία τῆς καταψύξεως, *conservatio refrigerationis*, hoc est, vt ignis noster vivere possit, quandoquidem sine ventilatione nullus ignis durat. Ehódum verò, ô Galene, vnde tibi novus hic viventium ordo? annon frustra multiplicas entia? vbi est vita illa tua, si plantam, animal, hominem superâris? imò quid est, si horum trium nullum est, non nu-
F tritio, non sensus, non ratio? Equidem scio, & docui alibi, quid sit Vita apud Philosophum? Nihil aliud, quàm nutritio. Hoc disertè docet discipulus Theoph. 2. *Caus. plant.* 8. Tu verò, qui à nutritione distinguis, quid dices esse?

Consentit iterũ Varolus *l.c.* Descêdit eódẽ Roratius *Contrad. Gal.* 141. *f.* 504. & iterũ *Contrad.* 156.

Cæterùm, quia hac de re mox seorsim agetur, videamus age, antequam discedamus hinc, Siluerítne ADRASTEA ad hæc talia & tanta machinamenta? extra omnes Philosophiæ fines posita? Siluerit verò? quæ pluribus locis, & tantùm non in publicis viis, Stentoreâ voce, sæpe sæpius vociferata sit, *Cor est* οἷς ἑστία (agnoscis vocem ἐκ Πλάτωνος) *focus caloris, Cor est fons & origo caloris, Cor est principium caloris, Cor quasi flamma assiduè movetur, Cor distribuit calorem per totum corpus, Cor est partium omnium calidissimum, Sanguis tantum caloris habet, quantum à corde accipit, Cor cùm non ampliùs agit, vitæ finis est, Mors non accidit, nisi affecto corde,*
G *& infinita talia.* Mihi si non credis, adi ipsum, 1. *Temp.* 9. *L.* 2. *Temp.* 3. *D.* 4. *Vs. part.* 6. 7. eiusdem 22. *B.* 6. iterum 15. *B.* 13. eiusdem 10. *B.* 7. *Ex. Anat.* 8. *F. Vs. resp.* 5. *D. Vs. puls.* 2. *E. F.* 7. *Meth.* 13. *D.* 9. eiusdem 10. *A. Form. fœt.* 3. *L.* 1. *Sem.* 8. *A.* 2. *Fract.* 22. 4. *in* 6. *Epid.* 24. *B.* 3. *in l. de Alim.* 25. Quin 14. *Vs. part.* 6. *D.* 7. *Sent. Hipp.* 3. *G.* 3. *Loc. aff.* 7. *C.* disertè ait, *Calor seu spiritus est primum Naturæ instrumentum.*

CAPVT

CAPVT XLIII.

De primo Cordis vsu.

HVnc Philoſophus *de Reſp. l.c.* ait eſſe περὶ τὸ εἶναι τὸ ζῶον, *Vt animal ſit,* A
vt perennare poſſit. Hoc autem fit κατεργασίᾳ τῆς τροφῆς, *confectione ali-*
menti, quod *Sanguis* eſt. Hunc à corde elaborari vox & autoritas eſt ipſius
Naturæ, à Genio ipſius, Ariſt. tam diſertè vulgata, quin conſenſu tot ſecu-
lorum ita confirmata, vt non niſi petulantis ſit oppedere velle. Voluit tamen
Galenus: euincere non potuit. Quòd voluerit, certiſſimum argumentum
eſt, quòd Cordi quidem ademit omnem nutritionem: Hepati autem adſcri-
pſit ſimpliciter. Quòd non potuerit pertendere, docet, partim debilitas ar-
gumentorum, partim propria oris confeſſio, quæ ab ADRASTEA eſt. Ar-
gumenta ſunt:

I. Quæ pars præparat ſanguinem pro alendo toto corpore, illa eſt prin- B
cipium facultatis vegetatricis. At hepar præparat. Heic primò omnium in-
ſpicere oportet Maiorem, & conſiderare, An ſimpliciter ſit vera? Non eſt.
Cùm enim ſanguinis factura ſit actio publica, quæ, inquam, ſeruit toti ani-
mali, ne tu arguteris, cuius beneficio omnes partes fruuntur: ſtatim ferit
nos probabilitas quædam, vix fieri poſſe ab vna parte. Nam vel inprimis
heic verum eſt illud *6. Sent. Hipp. 6. D. Nullum magnum & memorabile*
opus fieri poſſe repente, & vnâ molitione, ſeu vnius inſtrumenti contactu. Pro-
babilitatem excipit conſideratio operum Naturæ, quæ opera ad confectio-
nem ſanguinis concurrunt. Illa ſunt, maſticatio in ore, chylificatio in ven-
triculo, diſtributio per inteſtina, vaſáque Meſaraïca in hepar & lienem, de- C
ciſio excrementorum, tranſlatio ad cor, diuiſio per venas & arterias in to-
tum corpus, & ſi quæ ſunt alia. Hinc Galenus ipſe 5. *Vſ. part.* 14. *A.* & ali-
bi, tres conſtituit ordines partium nutritioni dicatarum. Vnde βιαστικῶς, vt
cum Græcis loquar, concluditur, ſaluo pudore dici de vna parte non poſſe,
quod pluribus debetur. Reverà enim non fit ſanguis ab vna parte, ſed à plu-
ribus κατ' ἐντελέχειαν agentibus, tantum ſcilicet præſtantibus, quantum præ-
ſtare natæ ſunt, vt concurrentibus omnibus tandem ſequatur effectus, Dæ-
daleum illud opus, Sanguis.

Ex his ſubitò apparet alterum, Quid deſit Minori? Quis enim iam auſit
ſoli Hepati tribuere præparationem ſanguinis? Tertiò, hoc quoque deeſt D
argumento, Non eſt idem dictu, præparare omnem ſanguinem, & præpa-
rare ſanguinem illum, qui verè nutrit. Concedam, Hepar præparare om-
nem ſanguinem: non concedam, ſanguinem illum ſine vlteriori præpara-
tione alimoniæ aptum eſſe. Hoc iterum dicere, me conſideratio operum
Naturæ iubet. Cur enim ſanguinis in hepate confecti pars altera ad Cor
transfertur, & ibidem ampliùs perficitur? Cur idem in arteriis per totum
corpus

corpus diditur? Cur arteriæ cum venis per ἀναστομώσεις iunguntur? Imò audeo hanc audaciam, vt cum Conciliatore (qua de re *infrà*) dicam, Nutritionem non fieri absque sanguine arterioso: quin habere hunc rationem formæ, cùm venosus solius materiæ habeat.

E II. Si cor potuit præesse officio sanguificationis, hepar fuit frustra. Quod enim fieri potest per pauciora. Indignissimum Galeno! Bene enim nôrat (extra fervorem disputationis) verum esse axioma in illis, in quibus æquè bene fit aliquid per pauciora. Et quid huc trahimus Topicum illud, cùm oculis videamus, manibus palpemus Naturam non potuisse contentam esse solo hepate, solo sanguine venoso? ἡ φύσις, inquit Arist. 4.*Part*.10. ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖ τὸ βέλτιον, *Ex iis, quæ fieri possunt, optimum facit*. Quod explicans Gal. 6.*Vs.p*.4.*D*.11. eiusdem 2.*D*.13. eiusdem 2.*F*. & fortè alibi, ait, Naturam non facere, quod nostrûm aliquis imaginari sibi primo intuitu possit: sed quod præstat viribus & vtilitate.

F III. Vbi sunt excrementorum conceptacula, ibi fit sanguificatio. At circa hepar sunt. Qui intellexit superiora, videt concedi posse totum argumentum. Reverà autem opus habet explicatione. Cùm enim duplex sit sanguificatio, quarum prima & rudior fit in abdomine, seu hepate; altera, & perfectior in thorace, seu corde: ibi quidem necesse est adesse multa excrementa, pro quibus peculiaria fuisse structa conceptacula admiratione dignum non est: heic autem neutrius necessitas est. Interim excrementa etiam in corde fiunt: sed in quorum vacuatione Natura est vsa tanto artificio, vt verbis vix exprimi possit. Fuligo enim, crassum quidem reverà excrementum, sed in partes tam minutas sectum, vt insensilis sit, concedente etiam Galeno,
G partim per respirationem abit, partim per transpirationem. Huic oppositum tenue, meâ opinione, est sedimentum vrinæ dictum. Cùm enim hactenus non invenerit coctionem (nec primam, nec secundam) cui rectè tribui possit, probabile mihi iamdudum visum fuit, Cordis esse. Quidquid sit hac de re: quia vel pueris notum potest esse, in renes inseri, non venas tantùm, sed & arterias Emulgentes dictas: cogentur, ni fallor, etiam hostes Veritatis fateri, excrementa fieri in hac quoque coctione, sed quàm longissimè abducta.

IV. Valvulæ in orificio venæ cavæ collocatæ, ab interioribus ad exteriora spectantes, prohibent, quò minùs sanguis egredi possit, & in corpus dividi. Hei mihi, quis Sabinorum hoc vnquam somniavit? Nam sanguis in corde elaboratus, per arteriam magnam in corpus it, vt mox dicetur.

V. Natura non vtitur iisdem viis pro materiis crudis & elabora-
H tis. Somnium aliud! Quo enim modo eadem est via, si per arteriam magnam proficiscitur? Sed nec deest mihi tnstantia ex ipso Galeno. 3.*Fac. nat*.13. docet, Chylum per vasa Mesaraïca ascendere ad hepar, sanguinem contrà ex hepate descendere ad intestina. Quod si fit, vt fieri puto, non credo fieri diverso tempore, vt quidam nugantur: sed eodem. Sunt

enim

enim agentia naturalia, quæ nullo tempore cessant ab agendo, quamdiu bene habent, & materia superat.

VI. Cùm Galenus sibi ipsi obiecisset, Quid si hepar tanquam ministrum præparat cordi sanguinem, vt ipsum à ventriculo accipit præparatum chylum? & respondisset *6. Sent. Hipp. 4. B.* πιθανὸς λόγος· ἀλλ' οὐκ ἀληθής, *Probabilis sermo, sed falsus:* subiicit, Si ita esset, hepar daret cordi omnem à se præparatum sanguinem. Hoc enim fieri solere (ait) in aliis etiam partibus, indu- I
ctione licet probare. Hoc argumentum apud me non meretur (vt loquuntur quidam) punctum. Gal. enim vult se constituere consiliarium Naturæ. Sed & ideò non meretur, quia inductio non consistit, propter exempla, quæ in contrarium sunt. Hepar à ventriculo non accipit omnem chylum: sed pars eius ad lienem abit, vt probavi *in tract. de Vsu lienis*, ex ipsomet Gal. Dexter cordis ventriculus non præbet pulmoni totum suum sanguinem: sed multò maximam partem sinistro, indéque suspensis arteriis. Sinister ventriculus non mittit omnem spiritum vitalem ad cerebrum: sed magnam eius copiam distribuit toti corpori. Quibus habitis, fortassis dicere licet, non solùm πιθανὸν, sed & ἀληθῆ λόγον esse. Ita enim voluit Natura: quia satis erat mediam K
sanguinis partem in corde accipere formam suam, cùm alter, qui in habitu, capiat per ἀναστομώσεις cum arteriis.

VII. Eodem *6. Sent. Hipp. 6. D.* cùm obiecisset sibi, Quid si hepaticus sanguis viam affectat ad cor propterea, vt accipiat ibi, quod deest illi ad exquisitam perfectionem propriæ essentiæ? & respondisset, καὶ γὰρ καὶ λόγον ἔχει, *quod profectò ratione vacare non videtur*, vt Interp. exponit Atticismum: subdit, si ita esset, ostendi posset vas peculiare, quod exportaret sanguinem illum perfectum in corpus. At verò, ô Erasistratéi (cum his enim agit) quod dabitis mihi? siquidem Arteria magna per vos spiritum vehit, non sanguinem? Vide mihi, quisquis es, versatile hominis ingenium! Vide verò hoc etiam, solutionem hanc duntaxat πρὸς ἄνθρωπον esse, sive vim habere contra Erasistratéum, non simpliciter. Si enim vrgeam, Atqui per te, ô Galene, Ar- L
teria magna vehit sanguinē in corde generatum, quod in frontispicio capitis ipse agnoscis: quid habebis, quod dicas? Fortassis, *Sed alium ille vsum habet à venoso?* Non ego de vsu nunc loquor: sed absolutè, An sit? Ideò etiam ad interrogationem absolutè respondeo, Do tibi arteriam magnam, & concludo, Reverà non vacat ratione, quin ita est in rei veritate, Sanguis ex hepate ideò ad cor proficiscitur, vt ibi perficiatur, quæ sunt ipsa Galeni verba. Iamque adeò, ô bone, agnoscísne præstitisse me duo illa, quæ promisi? Ostendisse, & nulla esse Galeni argumenta, & concessisse Galenum in sententiam meam? Dubitas? Cùm ait & probabilem & rationabilem esse: quod maius signum dabis mihi victi τοῦ ἔσω λόγου? Cùm concedit, imò expressis verbis di- M
cit, in corde generari sanguinem: quo modo non mutat τὸν ἔξω λόγον? Et hæc est victoria, quam Veritatem à Mendacio extorquere ait alicubi Polybius.

CAPVT XLIV.

De altero vſu.

A PRoponens hunc Ariſt.*l.c.* inquit, Inſtitutum fuiſſe διὰ σωτηρίαν τῆς καταψύξεως, *vt perpetua ſit cordis refrigeratio.* Huius aſſertionis ratio eſt, Quia in corde eſt ignis quidam, animalis Platoni dictus. Omnis autem ignis indiget refrigeratione, ſeu ventilatione, ne ſub cineribus moriatur. Hæc refrigeratio duplex eſt. Aut enim ſursùm fit, per pulmones, aſperam arteriam, os & nares, & dicitur ἀναπνοὴ, *reſpiratio :* aut deorsùm, per habitum corporis, & dicitur σφυγμὸς, *pulſus*, quemadmodum ſubſequens refrigeratio, διαπνοὴ, *perſpiratio* ſeu *tranſpiratio*, ſed ferè cum adiectione ἄδηλος αἰσθήσει, *inſenſi-*
B *lis.* Vtriuſque partes ſunt duæ, Illius εἰσπνοὴ καὶ ἐκπνοὴ, *inſpiratio & exſpiratio:* huius, διαστολὴ καὶ συστολὴ, *dilatatio & contractio.*

Vtraque apud Philoſophum naturalis eſt, (ſiquidem cum Galeno loqui mihi licet,) quia fit ſanguine ebulliente, & ibi quidem pulmones, conſequenter thoracem attollente: heic autem arterias. Et hæc eſt ſimplex Veritatis oratio, ſine tergiverſatione recipienda : id quò minùs fiat, Davus facit noſter. Dirimit enim, & reſpirationem quidem facit animalem: pulſum autem vitalem. Sed cur animalem ? Quia muſculi thoracis tantillum quid conferunt ad illam. Cur vitalem ? Quia ita libuit, ceu vidimus. Heic, ſiquidem ab amore non vincatur, quis non agnoſcit πανουργίαν ἐπιβεβουλευμένην, qualem *ſuprà* audivimus Eraſiſtrato illum obiicere ? quis non miretur vnius
C vſus geminas actiones diſcerpi, & alteram quidem trahi huc, alteram illuc? Reverà tantillum eſt, vt dixi, quod reſpirationi præſtant muſculi : quia cohibere, cùm volumus, non poſſumus, vt fit in aliis motibus voluntariis, & eſt actio ipſa (id *infrà* cum DEO probabitur) miſta ex animali & naturali, ſed ita, vt naturalis præponderet, & meritò nomen dare debeat toti. Pulſus pariter eſt actio naturalis, quia fit ab eadem cauſa, à ſanguinis ebullitione. Vitalis autem dicitur à Galeno, novo & inaudito vocabulo, quin extra omnes Philoſophiæ fines poſito, vt nuper locutus ſum.

Quam ob cauſam ſæpe miror, Medicos noſtros tantùm non prono vultu
D acceptare illam, cùm reverà nihil novi habeat, ſed ſit, maneátque ἡ θρεπτική, ſed exaltata, vt dicam, vbi ad Facultates pervenero. Quid ſi Galenus primus ita locupletauit philoſophiam ? dicat aliquis. Tantùm non pudet ipſummet inuenti : ideò Hippocrati & Platoni tranſcribit. Verùm vterque tam longè ab ea abeſt, quàm qui longiſſimè : quin neuter ne ſomniavit quidem. Ὀξυθυμία enim Hipp.2. *Epid.5. t.25. apud Valleſ.* quid commune habet cum *Vita* hac ? τὸ θυμοειδὲς ἢ θυμικὸν Platonis *in Timæo,* & 4.*de Rep* quid commune habet cum *Vita* hac ? Tamen Galenus per vim huc pertrahit 6.*Sent. Hipp.* 1.2.& 9. Vide, ſi placet, *Com.*2.*de Thor.c.*3.& 4. Manet igitur hoc, Quemadmodum

modum Galenus est pater infelicis illius partûs, tergemini Geryonis: ita etiam *Vita* & *Vitalis facultatis*. Sed sit partus quàm felicissimus: quam cognationem habet cum refrigeratione, de qua agimus? Cùm per hos 30. penè annos, quibus versor in otio hoc literario, sæpe de ea cogitârim, sæpiùs cum aliis de illa collocutus sim, sæpissimè mutos meos magistros consuluerim: nunquam tamen vel ipse inveni aliquid, vel collatio quidquam profuit, vel lectio cicum suppeditavit. E

Sed sit cognatio aliqua imperscrutabilis: sanguis calidissimus (vt ad vsum Galeni descendam) qualis consensu ipsiusmet in arteriis est, quo modo refrigerare possit? Sed possit: quid fit de substantia seu fibris sanguinis huius? Et hæc duo omnibus Galeni assectis sunt inexplicabilia: mihi facilia. Substantia sanguinis arteriosi nutrit, vt probabo infrà cum Deo. Refrigeratio fit, non à sanguinis arteriosi qualitate: sed à motu seu agitatione eiusdem, pulsu, & quidem (ne hæsites) non ex se, aut facultate aliqua, sive propria, sive communicata, sed ab ipso sanguine. Is enim σφύζει, vt mox dicam. F

His argumentis cùm aliquando confudissem δοκησισόφον quendam, ausus fuit negare esse hanc Galeni sententiam! Ego cùm sentirem me pungi, quasi non legerim, aut non intellexerim Galenum, cùm alius liber ad manum non esset, *in 3. Vs.p.9.* versu vlt. ostendi illi τὸ *Refrigerari.* Quo ipso risum persolvit auditorio, quem mihi intentabat. Huic ipsi dixi, non fore vnquam finem malè feriatarum istarum litium, nisi, sepositis novis his figmentis, ebullitionem Arist. acceptemus. Hoc tantò facilius factu esse, quò verius est, Galenum agnovisse eam multoties, tam in respiratione, quàm in pulsu, vti demonstravi *eodem 2. de Thor. cap.17. & 18.* Hoc ipso adversarij testimonio licèt ebullitio multò solidior sit futura: non exscribo tamen, ne nimiùm amare videar χρηστομαθείας meas. Dicetur tamen hac de re infrà quoque. G

Cap.46. Vide Instit. l.2.c.149.

CAPVT XLV.

Vnde sit Calor & Motus cordis?

OMnibus, credo, sæculis dubitatum fuit, Vndénam cor habeat hæc duo peculiaria præ aliis partibus omnibus? Et actum quidem mihi est ea de re satis fusè *2. Thor. 16.* imò, qui velit, possit ex autoribus laudatis integrum conficere librum: ego verò nunc hoc tantùm ago, vt Galenum Aristoteli ὁμόψηφον faciam. Arist. non *semen* tantùm *masculum* vocat *2. Gen. 4.* ὡς ἀποικισθὲν τέκνον, *quasi filium, qui propriam familiam instituit*: sed cor etiam *3. Part. 4. Com. an. motu, vlt.* ὡς ζῶόν τι, *quasi animal abiunctum.* Sed quo respectu? Quatenus semen quidem à patre separatum incipit sibi struere domum, qualis erat illa, è qua egressum fuerat: Cor autem exstructam domum gubernat, & suo tempore novas colonias ducit. Nimirùm, vt Bo- A B

Atqui in victimis visũ fuit abesse? Poparum fraude. Casaub. in Pertinacem Capitolini.

namicus explicat, ſemen non niſi χέσει differt à Calido-nativo, quod in corde hoſpitans, & calorem ſuum originalem explicat, & mediante motu diſtribuit.

Quo autem modo? inquis. Semen in vterum (ovi fœcundi incubati eadem eſt ratio) receptum, primò omnium conſtituit cor, hoc eſt, ex attracto ſanguine materno (& tum κύημα dicitur) fingit ſibi regiam, cuius veſtigium in ovo per triduum à gallina fotum præbet punctum quoddam ſaliens, vt Plinius vocat. Fingit autem, vt explicat ſe Philoſophus, cùm in vapores (ita appellem partes minimas) diſſolutum, eo ſe modo inſinuat in materiam ſuam, quo coagulum in caſeos è lacte factos, aut fermentum in maſſam farinaceam, è qua panes fiunt. Quo facto, non iam ampliùs ſemen eſt, ſed
C Calidum-nativum.

Et hæc eſt χέσις Bonamici. Hanc obſcuriuſculè dicit Galenus, cùm 1. *Aph.* 14. *D.* Calidum-nativum ſubſtantiam vocat aëriam & aqueam, non minùs ac ſemen. Niſi enim ſemen habuiſſet pro cauſa materiali Calidi, nunquam ita locutus eſſet. Ita cùm 1. *San. tu.* 2. *A.* 2. *Fac. nat.* 3. *E.* ſemen agnoſcit pro cauſa efficiente, quòd, inquam, in naturalibus ſit id, quod in artificialibus Phidias aut Praxiteles: de generatione idem ſtatuit, quod Philoſophus. Cùm 1. *Aph.* 15. *H.* 3. *in* 6. *Epid.* 18. *I.* Calidum vocat ſubſtantiam facultatum, quæ ſubſtantia in corde ſedem ſuam habeat, animálque inde gubernet: de generato conſentit eidem.

D Idem vult, cùm Calidum dicit inſtrumentum eſſe omnium naturalium actionum, 14. *Vſ. p.* 6. *D. F.* 5. *in* 6. *Epid.* 24. *B.* 2. *Fac. nat.* 9. *D.* Idem, cùm Cor nominat principium, fontem, originem, focum Calidi. Explicare enim fas eſt, quatenus Cor eſt ſtabulum Calidi, quod αὐτοκίνητον καὶ ἀεικίνητον οὐσίαν ἢ ἀρχὴν, *per ſe: & ſemper-mobilem ſubſtantiam, principiúmve* vocat *de Trem. & Palp.* 6. *M. S.* 1. *Sem.* 8. *A.* quæ ſit cauſa perpetui illius motus, 2. *Cauſ. ſympt.* 5. *S.*

Fortaſſis cupiat quis vlteriorem explicationem cauſæ huius motûs? In Philoſophia Peripatetica, quia Sol & homo generant hominem, dubium non eſt, motum illum à Sole pendere. Non quidem, quòd ſubſtantiale quid
E è ſuperioribus corporibus defluat, & ſemini ſe miſceat, vt Stoïci olim docuerunt: ſed quòd motu & lumine præparent σῶμα illud θειότερον τῶν ςοιχείων, *corpus divinius elementis*, quod ἀνάλογον vocat τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ, *proportionatum ſiderum elemento*, 2. *Gen.* 2. Corpus hoc, in corde hoſpitans, κατὰ μίμησιν τοῦ ἀεικινήτου πυρὸς, *ad imitationem perpetuò mobilis Ignis*, hoc eſt, Solis, vt alicubi Gregorius Nyſſenus loquitur, movetur perpetuò, motúque illo ciet actiones reliquarum partium.

In Sacris noſtris eódem tendit benedictio divina, & ſpeciatim in homine ſpiraculum vitæ, quod nihil aliud eſt quàm perfectio Naturæ, quâ generare ſibi ſimile poteſt, deciſo ſemine ab anima ſimul & corpore, vt oſtendi in *Diſcurſu de form. orig.* De calore generante pulcra quædam legeris in Valleſij *Sacra Philoſophia* c. 1. f. 37. *mihi.*

CAPVT

CAPVT XLVI.

Causa efficiens refrigerationis huius.

QVandoquidem figmentum de facultate vitali ita inolevit animis nostrorum hominum, vt aures obturent ad ebullitionem Aristotelicam: demendæ admirationis gratiâ dicendum heic fuerit aliquid, licèt res ipsa ad Facultates pertineat. Ζέσιν, *ebullitionem*, causam esse tam Respirationis, quàm Pulsûs disertè ait Philosophus *de Respir.* 20. & 21. mihi, aut veluti in aliis codicibus, *de Vita*, 2. Explicat autem per ὄγκωσιν καὶ αὔξησιν τοῦ θερμοῦ, *cùm calidum nativum attollit sanguinem in maiorem molem, itáque auget, aut certè augere videtur, vt maius spacium occupet.* Hinc ἀναθυμίασιν, *evaporationem* vocat, nomine etiam Galeno accepto *6. Vs. p. 17. D.* Hanc pulcrè explicat cætera Turrisanus *Com. in Artem*, quo loco dixi, nisi quòd in eo hæret, Quomodo accedere possit aër externus? Ego verò libero hominem hoc metu, & dico, Non est opus substantiâ aëris: sed sufficit sola qualitas frigida, vt infrà explicabo, si volet ILLE. A B

Noster, cùm tributum id vellet facultati suæ vitali, *l. An sanguis*, c. 8. *B.* experimentum parat, quo ostendit, Nudatâ arteriâ & immissâ fistulâ, antequam liges, pulsare arteriam vltra etiam fistulam: cùm ligaveris, non pulsare ampliùs. Cuius rei quæ causa esse possit alia, inquit, quàm quòd tunicis arteriarum influit à corde vis pulsifica? Vt dicam, quod sentio, ab experimento hoc statim resilit animus, quòd monitus ab aliis sciam, vtplurimùm fallere talia. Vesalius quidem *in calce Magni Operis* meminit eius rei: verùm manus se adhibuisse non audet dicere. Sed agamus cominùs. Concedam esse à facultate: non propterea est à commentitia illa, sed à *Nutrice* Arist. quam ipse vocat *Naturalem*, alij *Vegetatricem exaltatam*, vt *infrà* dicetur. Interim, si intima animi mei sensa velis, dicam, Ebullitio hæc est ipse actus animæ, ad quem nisi tandem perveniatur, vbi pedem figemus? Facultas enim seu potentia omnino præsupponit actum. Sunt enim τῶν πρός τι. Et vbi sit actus animæ, si heic non sit? in Corde, inquam? C

Quin evertit seipsũ. Cùm enim concedat, per arterias distribui calorem in corpus: quomodo id fit sine spiritu? sine ebullitione Aristotelica?

Sed quid ad experimentum? Scio, quid scripserim 2. *de Thor.* 15. nunc ita me explico, dato, sed non concesso motu ipsarum arteriarum, Vbicunque est motus successivus, desinit ibi, vbi vitiatum est instrumentum. Hoc videmus in αὐτομάτοις, qualia sunt horologia nostra. In his cùm multæ sint rotæ, quarum prior trudit alteram, altera tertiam, & sic consequenter: quæcunque illarum læditur, in ea motus sistitur. Ita, quia arteriæ pars vna movetur post alteram, non secùs ac dum fluctus marinus trudit fluctum: fieri aliter non potest, quàm vt sistatur motus ibi, vbi interrumpitur. D

Vnde intelligitur nullam adeò necessitatem esse facultatis, diversæ scilicet à Naturali, si quis prorsùs ita velit. Hinc erudiri etiam possunt illi, qui ne-

gant ex ebullitione causam dari posse ordinis, qui est in pulsu. Non enim nimis oportet extendere similitudinem Ignis huius cum igne culinario. Hic perpetuum quidem habet motum, sed inæqualem, ob materiæ vstibilis in-
E æqualitatem: ille æqualem habet, quia est sub imperio Naturæ, quæ non plus surrogat materiæ, quàm oportet. Ideò in palpitationibus, aliisque præter naturam cordis affectibus videmus, quàm valde vacillet ordo! Quamdiu Natura bene se habet, constantissimus est: quia Natura nihil aliud est, quàm ordo. Et hoc est, quod Galenus, An sanguis, 6. E non obscurè concedit, ordinem in pulsu esse posse, licèt ab ebullitione sit. *Vide c. 139.*

CAPVT XLVII.

Motus arteriarum an incidat in idem tempus cum motu cordis?

A EBullitionis sequela vult contrarium, tu puta, in dilatatione cordis contrahi arterias: in contractione dilatari arterias. Et hanc fuisse Erasistrati & Erasistratéorum doctrinam ipsissimam scimus indicio ipsius Galeni 4. *Diff. puls.* 2. *E. Ibid.* 17. *B.* de hac loquens 7. *Ex. Anat.* 4. *B.* pulsum ait voluisse illos fieri, οὐ τῇ τοῦ σώματος ἀρτηριῶν ἐνεργείᾳ· ἀλλὰ τῇ πληρώσει τοῦ διαῤῥέοντος πνεύματος, *non operantibus arteriis ipsis: sed quia spiritus fluens per illas impleat.* Et 2. *Caus. puls.* 8. *A.* ῥέοντος μὲν ἀκωλύτως δι' αὐτῶν, ἤτοι πνεύματος, ἢ ὑγροῦ, *fluente per ipsas sine impedimento, aut spiritu, aut humore*: verùm addit, Erasistratum καταψεύδεσθαι τοῦ φαινομένου, *contra sensum loqui*, si gravius quid vis, *mentiri contra rerum evidentiam.*

B Quæ verò illa est? Sive (ita colligunt quidam ex eodem 7. *Ex. Anat.* 15. *B.* 3. *Præs. puls.* 3. *B.*) in vivis Anatomiis animadvertere velis, sive etiam alteram manum cordi applicare, alteram carpo: videbis cor & arterias vniversi corporis simul pulsare, sive, incidere vtrumque motum in eundem temporis articulum. Ego verò hactenus apud Galenum non vidi assertionem tam manifestam. *In de Præsag.* certè longè aliò it. Agens enim de inæquali cordis & arteriarum intemperie, pulsum ait in ea fieri similem naturali. Id verò quid huc facit? Et licèt dicat, *Principia motuum* (hunc enim sensum faciunt Græca) *videbuntur tibi simul fieri*: non est ea tamen assertio pura.
C τὸ φαίνεσθαι enim aliò tendit. Sed sit: explicationem petere oportet ex altero loco, vbi alternativè loquitur, *Iam manifestiùs videbis*, inquit, ἤτοι ἐναλλὰξ ἢ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον τε καὶ ῥυθμὸν, *vtrùm contrà pulsent cor & arteriæ, an servent idem tempus, eundémque rythmum?* Sed sit hoc quoque, & voluerit Gal. dicere, *Rem esse non adeò difficilem, imò sensibus obviam, pulsum fieri, non alternativè, sed vno, eodémque tempore*: profectò res est confusior, quàm vt sub sensum infallibilem cadat. Feci ego periculum non semel in me; exoravi alios, vt idem observarent: sed neque ego, neque illi certò

certò affirmare potuerunt, incidere motum vtrumque in idem exactè tempus.

Hac in re consensum habeo magni Vesalij, cuius *in Ep. ad Nicolum f.63.* hæc sunt verba: Omnibus Medicis verissimum theorema, cor & arterias eodem pulsus modo pulsare, tacitè in dubium vocavi. Nam mihi nonnullis argumentis planè pugnans, contrariúsque apparebat. Cùm enim cor contrahitur, spiritum (ita ille loquitur) in arteriam magnam, & sanguinem in arteriam venosam (ita iterum ille) diffundit, quæ systole est: cùm dilatatur, ex cava assumit, quæ diastole est. Rursus, arteriis dilatatis vitalem spiritum corpori eas communicare certum est: constrictis, excrementa pellere. Quare contrarios & pugnantes motus cordis & arteriarum esse relinquitur. Hæc ille: quibus hoc superadditum volo. Quod subiicit in vestigio de Anatomia viva, esse id, quod in calce *Magni Op.* ait, Rythmum pulsus cordis & arteriarum observari posse. Est enim oratio planè gemina cum illa Gal. de qua modò. Neuter se explicat, cui parti se iungat: at Vesal. *in Ep.* planè Parmeno est.

D

An *venam arteriosam* scribere voluit?

E

Cum hoc consentit Ill. Scaliger *Exerc. contra Card. 296.* Manifestum est, inquit, dilatationem arteriarum fieri ex constrictione cordis, ob impulsum spirituum: subsidere eas ex dilatatione cordis. Quo ferè modo cùm loquatur Fernelius 1. *Phys.* 8. idem sentire illum dubium non est. Fortassis idemmet cupit Columbus, cùm *l.* 7. Anatomiæ ait, pulsum arteriarum fieri, non per se, sed propter spiritum. Crediderim assertionem hanc his viris, natam esse, non ex sensu, sed ex ratione, quam 2. *de Thor.* 15. in medium attuli.

Consensus est sanguinem in arteriis contentum esse ex sinistro cordis ventriculo. Sanguis is quia corpus est, quo modo non est priùs in principio arteriæ magnæ, posteriùs in locis distantioribus, & quidem tantò longiùs, pòst, quò longiùs abest arteria? Hoc si ita est, vt est, non potest non esse motus successivus, adeóque non qualem se exhibet fluvius semper labens: sed qualem aqua stagnans à ventis mota. Vt iam dicendum sit, Arterias, dilatari, quia implentur, non secus ac sacci, cùm tritico aut farina implentur: non autem quia dilatantur, ideò impleri, quod in follibus fit. Hoc posterius valde probant ea, quæ Galenus dicit contra Archigenem *l. de Vs. puls.* 4. *A.*

F

Nostri homines ideò tam prolixè falluntur, quòd imaginantur sibi Rhenum aut Danubium aliquem, in quo perpetuus aquæ lapsus. Si enim hoc ita esset, oporteret arterias depleri ad singulas pulsationes. Quò autem ferretur tanta copia? & vnde suppeteret sanguis? Non plus depletur, vt Th. à Veiga me docuit *Com. in Artem, c.* 31. quàm partim membris alendis aspergitur, partim in venas contiguas per ἀναστομώσεις transsumitur. Vtrumque per se quidem est tantillum: fit autem satis multum ob perpetuitatem motus. Is verò motus (vt dixi) principaliter non est arteriæ, sed sanguinis in arteriis contenti. Propterea commoventur potius, quàm moventur.

G

F. 56. B.

Et

Et hoc eſt, quod nuper dixi,& inveni his diebus in Ill.Scaligeri *Com.in Hiſt.apoteleſ.*211.vbi Philoſophus ait τὸ αἷμα σφύζειν, *ſanguinem fluctuare*, ſeu *agitari*, non autem τὰς φλέβας. Tibi ſi fortaſſis moram iniicit, quod Galenus
H Eraſiſtratum tam audacter mendacij arguit, quaſi planè ἀμετάπτωτος fuerit in hoc negotio: revoca tibi in memoriam, quæ *ſuprà* de latitudine venæ cavæ circa hepar dicta ſunt, & cogita, quod non ita pridem dixi, Non ſemper Evangelia eſſe, quæ Galenus de ſuis experimentis, ſive argumentis ex ſenſu captis iactat. Quæ cauſa eſt, cur confidenter dicam, Cauſa quidem refrigerationis huius eſt, vel facultas naturalis, vel potiùs actus ipſe animæ: arteriæ autem, nec accipiunt à corde vllam facultatem, nec vllam habent inſitam, nec moventur per ſe.

Huc pervenire cùm non poſſent Ariſtotelis contemtores, vitali (in pulſu) inædificarunt Pulſatoriam, & huic iterum duas alias, Dilatatoriam & Conſtrictoriam. Tam fœcundus eſt error! Et in reſpiratione cur non pariter faciunt Reſpiratoriam, Inſpiratoriam, Exſpiratoriam?

CAPVT XLVIII.

Digreſſio in circulationem ſanguinis nuper in Anglia natam.

A QVæ dicta ſunt iam de motu ſanguinis in arteriis, quia revocârunt mihi in mentem novum & ab omnibus ſeculis inauditum dogma, quod VVilhelmus Harvéus, Medicus Londinenſis, anno 1628. ſparſit ſcriptâ Exercitatione, vti vocat, Anatomicâ: libuit heic obiter examinare illud. Vult probare, Sanguinem ex corde in arterias tranſlatum, & per eaſdem in habitum corporis diditum, aſſumi ex eodem in venas, & remetiri in iis eandem viam vſque ad cor, vbi denuò coquatur, & per arterias in totum corpus feratur, vbi iterum in venas recipiatur &c. Subriſi, cùm legerem, fateor, miratúſque adeò ſum, vnam falſam hypotheſin perſuadere potuiſſe tantum ne-
B fas! Huic cùm reſpondiſſet biennio pòſt Iacobus Primiroſius, Londinenſis & ipſe, qui *in Epiſt. præliminari* in os Harvéo dicit, non maioris momenti eſſe, quàm vel Statica Sanctorij, vel Lacteæ venæ Aſellij: ὁμόψηφον me inveniſſe ratus, contemſi negotium totum.

Verùm cùm poſteà intelligerem quoſdam è Medicis noſtris ſcenicis applaudere Harvéo, cœpi relegere cum cura vtrumque libellum, & in chartam coniicere, quæ Euripo iſti (cætera enim aliis commendo) rectè obiici poſſunt. Hæc nunc in publicum do eo fine, vt adoleſcentes diſcant fugere portenta talia, & adhærere vni Veritati, cuius autor & fundator eſt DEVS, qui etiam diligit τὶς φιλαλήθεις, & bonis multis cumulat. Contrà qui Mendacio, quod à Diabolo eſt, patrocinantur, ſemper miſeri ſunt.

C Vt igitur quàm ocyſſimè me abſolvam, Hypotheſis, cuius memini, eſt, Plus ſanguinis mediante pulſu è corde in arterias pelli, quàm vel reſtitui

poſſit

possit ab assumtis cibis, vel à partibus absumi. Pauca verba: sed ponderosa! Sed quomodo probabis, mi Harvée? Videris enim Naturam accusare stultitiæ, quæ tantoperè errârit in opere penè primario, qualis est confectio & distributio alimenti! quo semel admisso, quid non sequetur confusionis in aliis operibus omnibus? præsertim in capite, sensibúsque tam externis, quàm internis! Videris re ipsâ damnare, quod verbo laudas, ab omnibus acceptum Naturæ elogium, neque deficere illam in necessariis, neque verò abundare in superfluis! Videris Naturæ dare personam artificis ignavissimi & stolidissimi, qui opus à se factum & perfectum pessundet, vt ne otietur porrò! Sanguinem enim omnibus numeris suis absolutum recrudescere, iterúmque coqui, quid aliud est? Neque verò à recrudescentiâ abhorrere potes, qui cramben recoctam tam studiosè ornas, laudas, commendas! D

Sed auferamus τὸ *Videri*: siquidem, ô Harvée, Anatomiam exerces, non apud senatorculos, patriciolos, fœneratores, barbitonsores, imperitúmque vulgus, quod hianti ore adstans miracula videre gestit; sed apud viros Anatomicos, qui ipsi præceptores habuerunt ἀνατομικωτάτες: quo modo consulis honori tuo? Quid officij tui sit, nôsti absque me, agere scilicet cum spectatoribus more veteri δεικτικῶς, Hoc est hoc: videte! Hoc ita fit: considerate! Huius rei nec volam video, nec vestigium: quin tu, relicto habitu Anatomico, Logistæ induis subitò. Negas? Certè, non vteris, aut vti iubes oculis: sed ratione & calculo, solicitis computans articulis, quot libras sanguinis, quot vncias, quot drachmas necesse sit per semihorulæ spacium ex corde in arterias transferri. E

Reverà, Harvée, persequeris πρᾶγμα ἀνεξερεύνητον, *rem inexputabilem, inexplicabilem, imperscrutabilem.* Quod dico tantò maiori cum confidentia, quòd fatearis ipse non semel, quàm difficile sit negotium & intricatum systoles & diastoles cordis, arteriarúmque: & possit certum, definitúmque quid statui à quoquam? Ratiocinari in infinitum licet vnicuique: sensu (qui planissimè heic requiritur) rationes comprobare tam facile non est. Et quorsum talia, vbi fundamentum nullum est? vbi, inquam, τὸ ὅτι non constat? vbi in alto Naturæ puteo absconditum est? vbi lucidissimæ rationes in contrarium sunt? F

Et quid (dicat aliquis) Primirosius ad hæc? Primò, negat multum sanguinis heic esse: imò, disertè asserit parum esse, sed videri multum ob intumescentiam, sive, vt ego loquerer, ebullitionem.

Secundò, amplexus Logisticam adversarij ab vnciis & drachmis ad grana venit. Frustra in æternum! Deceptio, vt *superiori cap.* dixi, inde est, quòd vterque sibi imaginatur Tamesin aliquem, in quo quemadmodum vnda trudit vndam, quæ semper labitur deorsum, vsque dum perveniat ad mare, in quod se exonerat: ita putant in arteriis fieri: Eius rei exitum invenit quidem Harvéus, introductâ fictitiâ illâ circulatione: at Primirosius nihil invenire potuit, nisi si non opus habet, & consistunt grana ipsius in eo, quod ex Th. à Veiga dixi. Ideò repetere oportet illud: Motus hic comparari de- G

bet, non cum fluvio, in quo ipſa elementi gravitas facit lapſum deorſum: ſed cum mari, aut ſtagno aliquo, in quo ventus ciet fluctus. In hoc vt veriſimile eſt ſemper abſorberi aliquid aquæ in littore, licèt nemo id metiri poſſit: ita heic ſemper abſumitur aliquid, quantum ſcilicet Veiga dicit, quod ipſum reſtitutione opus habet.

Huc ſine violentia trahi poteſt, quod *infrà* de chylo arterioſo ex Hipp.
H *l. de Corde* dicetur, τὸ σιτίον ἐν τῇ ἀρτηρίῃ ἐν ζάλῃ ἐϊ). ἡ ζάλη autem tam Cornario, quàm Foëſio *fluctuatio* eſt. Eadem ζάλη, meâ opinione, nihil aliud eſt, quàm *Pulſu*, quem vetuſtas tribuere ſolebat non arteriis, ſed ſanguini in arteriis eunti, vt ex Ariſt. dixi pronuper.

Et hæc quidem de primâ Harvéi hypotheſi, altera eſt, Quemadmodum plus ſanguinis, quàm partibus opus eſt, in arteriis it: ita partes ipſæ ſupra neceſſitatem habent. Heic Primiroſius duo vrget. Alterum, eſſe hoc contra Naturæ providentiam, quæ per attractricem non trahit plus, quàm oportet. Alterum, hac ratione fiet, vt partes laborent perpetuis inflammationibus. His accenſere licet ea incommoda, quæ ego *ſuprà*.

I Iam has hypotheſes excipit theſis Harvéi, Hoc ipſum ſuperfluum, tam in arteriis, quàm in partibus nutriendis, regreditur in venas, & per eaſdem in cor, vbi iterum coquitur, &c. Heic ego cupio diſcere abs Harvéo, per quas vias ex arteriis in venas eat? Per fines earum non dicet. Non enim ſe contingunt: imò in cutim deſinunt, poróſque conſtituunt, per quos excrementa tertiæ coctionis eunt, & aliquando ſudor. Fit, inquit, vel mediatè per poroſitates carnis: vel immediatè per ἀναςόμωσιν! Vt fatear ſtuporem meum, neutrum intelligo. Non mediatam illam viam: quia ſanguis, qui vaſis ſuis excidit, & iam actu nutrit, non regreditur. Sed nec regredi poteſt. Non immediatam hanc: quia in partibus nutriendis ipſis nunquam quiſquam ſomniavit ἀναςομώσεις. Sunt enim in maioribus vaſis, licèt Harvéus non obſcurè repudiet.

K Sed dentur viæ quædam cœcæ, & à tot retrò ſæculis ignoratæ, quas primus aperuerit hic Anglus: à qua facultate fit regreſſus iſte? A cordis, inquit homo. Cor ego ſcio apud Gal. *6. Vſ. p. 15. A.* trahere omnibus modis: ſed eò vſque extendere vim ſuam, ad partes, inquam, nutriendas, hoc verò novum eſt, inauditúmque. Nimirum, modi illi trahendi pertinent ad ſanguinem, quem in ſe conficit: at vbi confecit, & à ſe ablegavit, imò expulit mediante pulſu; quo vllo modo revocare poteſt? maximè, quia obluctatur vis partium tam attractrix, quàm retentrix?

Nec eſt, quod dicas, ablegari quidem per arterias, redire autem per venas. Illud enim verè fit, & eſt opus Naturæ: hoc verò tuum commentum eſt, ô
L Harvée. Quin per venas, non minùs quàm per arterias, ablegatur: quomodo igitur per eaſdem redire poteſt? Sed fiat, ad magnum tuum beneplacitum, vt quidam loquuntur, quo fine id fit? Vt iterum coquatur. Coquatur? Ergóne recrudeſcit? Niſi enim id fiat, quo modo non bilis potiùs generatur, quàm ſanguis? Nam ſanguinem vlteriori aſſatione faceſſere in bilem, modò

dò flavam, modò atram, consensus est omnium Medicorum. Sed sit ita: coquítne Natura, vt coquat? & postquàm secundò coxit, repetit tertiò, quartò, & ita in infinitum? Quo fine? dico iterum. Hic enim est causa causarum, quâ absente frustra dicitur, quidquid dicitur. Tu verò, ô generose, quia ne attingis quidem hoc vlcus, sed silentio obvolvis, satiùs est ego quoque.

Conticeam tandem, factòque heic fine quiescam.

CAPVT XLIX.

De substantia & fibris cordis.

HVius rei mentionem non eram facturus, nisi fatuitas Putei eò me detulisset. Cùm enim Vesalius toto *libro 6.* multa desideret in Galeno: egregius Apologista hoc solùm vellicat, & quidem dicato illi rei libro peculiari, quòd dixerit, Cordis substantiam tam solidè compactam esse ex fibris, ne in violentioribus motibus occurset sterno. Atqui, ô pulchelle, sunt hæc ipsius Galeni verba *6.Vs.p.7.B.* vt Cuneus illi respondet *Apolog. f.117.* Et quorsum sunt illa Græca, quæ ex *c.8.seq.* affert? Vt omnibus constet, quàm parum iudicij sit in hoc ovium magistro! A

Interim dissentio heic & à Galeno & à Vesalio, & dico, Quia, vt Galenus ipsemet scribit *7.Ex.Anat.8.A.* cordis caro non est simplex, vt hepatis, lienis, &c. sed fibris intertexta, adeóque peculiaris, cui similem nullam in toto corpore videris: factum id esse propter motûs tam violentiam, quàm continuitatem. Et quei possit incursare sterno, cùm membranæ intersepientes (ne de aliis dicam) prorsus non permittant? Et alioquin, vt *suprà* innui, istæ partium in se arietationes valde mihi odiosæ sunt. B

CAPVT L.

An Cor sit musculus?

SVbstantia iam dicta planè refutat: debet tamen eius rei mentio fieri propter autoritatem Hipp. *l. de Corde.* Fortassis ideò etiam, quia Galenus tanquam rem magni momenti sæpiculè inculcat, vt *7.Ex.Anat.8.B.1. Mot. musc.3.A. 6.Vs.p.8.A. de Cibis, 2.H.4.Diff.puls.8.* Sed bene habet. Nam neque liber ille Hipp. est, neque simpliciter dicit autor musculum. οὐ τῷ νεύρῳ, inquit, ἀλλὰ πιλήματι τῆς σαρκός. Quasi diceret, Fibris quidem eius caro est intertexta, prorsùs vt in musculis; quin adeò constipata, vt musculo κάρτα ἰσχυρῷ, *valde forti* sit similis: musculus tamen non est, quia fibræ ipsius non sunt rectæ, vt in plerisque musculis sunt. A

O 2 E

Et respicit hic modus loquendi veterem morem, qui musculum vocabat νεῦρον, vt non ita pridem dictum fuit. Iam ergo hoc scuto vti non possunt ij, qui cor à sextæ coniugationis nervulis moveri volunt. Imò totum hoc apud me est γελοῖον.

CAPVT LI.

De magnitudine cordis.

VEra est sententia Gal.4.*in 6.Epid.24.* In quibus, inquit, in prima conformatione calor magnus est, in iis fit cor amplum: cor amplum desiderat amplum pulmonem, amplúmque thoracem, vt cordi refrigerando sufficere possint. At inanis est Philosophia eiusdem 13.*Vs.p.3 C.* vbi velle videtur, Asperam arteriam esse viscus illud, cuius magnitudinem sequatur, non pulmo tantùm & thorax: sed ipsum etiam Cor. Et hæc res est.

CAPVT LII.

De numero ventriculorum Cordis.

A CQntroversiam esse non magni momenti, ait maximus nostræ ætatis Philosophus *Dict.* 22. Quid audio? In qua laborârunt tot egregij viri, vt consulerent honori Arist. sit illa exigui momenti? Inter hos (quod fortassis non credent quidam) primum locum Galenus habet. Is enim *de Anat. ven.9.A.* scribit, tertium Aristotelis ventriculum esse partem dextri Anatomicis dicti. Meliùs, nisi fallor Riolanus ὁ θεῖος, qui 3. *Anthrop.12. ex duob. Arist. locis*, 1. *Hist.* 17. 3.*Hist.*3. docet, sinistri potiùs esse. Vt venerim in has cogitationes, loco Galeni allegato pro δεξιᾶς legendum esse ἀριστερᾶς.

Interim hæremus in iisdem difficultatibus. Si enim cupiam mihi demonstrari ab homine tertium illum ventriculum (debet enim constare τὸ ὅτι, vt
B posteà dicam) alternativè respondebit, Aut collocandus est in principio Aortæ, aut in septo cordis. Quod cùm nihil dictum esse intelligeret, ex 3. *Part.*4. concludit, In septo esse. Quod ipsum cùm tam longè absit à verbis Arist. quàm longè ego absum Venetiis, silebo potiùs quàm temerè perdam verba.

Cæsalpinus 5.*Perip.quæst.*4. ostendit eundem ventriculum in avibus. Quod cùm sit contra mentem Philosophi, qui multò aliter describit; & verò ἐν τοῖς μεγάλοις, ἢ μεγίστοις ζώοις ostendit: ne inquisitione quidem dignum esse iudicavi. Accoramb. *Not.in 3. Hist.3.* vrget quidem magna animalia, elephante nominato, ceto & rhinocerote; Bisciola etiam *in Hor.subseciv.* peculiariter

mariter id monet: at quia Gal. 7. *Ex. Anat.* 10. *B.* vidit in elephanti corde non nisi duos ventriculos, fortassis securi esse possumus de reliquis. Tamen, vt de camelo etiam certi esse possimus, scripsi ad amicos Patavinos, mandatum huius rei dent Medicis, qui cum Consule Veneto singulis quinquenniis Cairum eunt: verùm illi tacuerunt hactenus, fortassis quia causâ ceciderunt. C

De cetaceo genere idem molitus sum per amicos in Belgio, qui id rescisce-re poterant per eos, qui singulis annis versùs Borealem plagam exeunt ad capturam beluarum, pinguedinis referendæ gratiâ: sed tacent illi quoque. Diffidebat, credo, Noster causæ suæ. Ideò ex eodem 3. *Part.* (poterat afferre etiam 3. *Hist.* 2. & 3.) texit miseram illam excusationem, Esse quidem tres ventriculos in maioribus animalibus: sed δυσθεωρήτους, διὰ τὸ συμπίπτειν εὐθὺς ἐξιόντος αἵματος. *disparere statim effluente sanguine.* D

At verò, cùm, vt Gal. scribit in eodem 7. *Ex. Anat.* 11. *A.* eadem sit ventriculorum ratio in elephante & alauda; ego etiam in alauda, aliísque aviculis sæpissime spectârim vtrumque ventriculum satis distinctè: frustrà heic quoque est magnus vir. Et quid? quia in vastis istis animalibus omnia sunt vasta: quis credat isti assertioni? Eiusdem dignationis est, quod ait, In omnibus quidem animalibus tres esse: sed apparere non nisi vnum, &c. Vidi ego sexcenties in minimis aviculis, & plus credo oculis meis, quàm ϖρολήψει ipsius.

Credo equidem agnovisse Illum causæ malitiam: ideò parat alia fulcra. Primò, Rhetorum modo in invidiam inducere volens, non Gal. tantùm, sed & artem Anatomicam, quatuor integris Dictatis, 12. 13. 14. 15. saxum hoc volvit. Quod ad Gal. quem premere vult, & Arist. quem supra cœlos omnes efferre: res apud me in æquilibrio est. E

Verus vterque placet: falsus vterque iacet.

Interim hoc quoque additum volo, Galenum multis parasangis antecedere Arist. in Anatomicis, propter temporum diversitatem. Quod ad Anatomiam, licèt cautè loquatur Ille: tamen in effectu videtur mihi idem sentire, quod Alexander Damascenus apud Galenum *de Præcogn.* 5. *E.* sensibus credendum non esse. Quamvis etiam non repudiet Averrois illud, Experimentum verorum sermonum est, vt concordent sensatis: in hoc tamen negotio tam non fidit sensibus suis, vt penè pro ἀγροικοπυῤῥωνείῳ habeam. Quem enim tertium ventriculum nemo hominum in vllo animali vidit vnquam: illum ex nudis Arist. verbis (si modò Aristotelis sunt) magnificè exstruit, & per vim nobis obtrudit. Vbi non constat τὸ ὅτι, quid aliud est, quàm arces ædificare in aëre? Turpe est, inquit *in Frag. Apodict.* immortalis SCHERBIVS, imò ὀξύμωρον, τὸ διότι quærere, & quomodo τὸ ὅτι habeat, neque experientiâ, neque lectione cognovisse! In quo genere (addit) venatores & piscatores sæpe in ruborem dant tales è schola sapientes. F

Quid igitur tandem? Accedens *Dict.* 22. ad apologiam, lacessit Medicos (intelligens Gal.) & dicit, Consentire quidem illos in duos ventriculos:

ſed medium Ariſt. nihil aliud eſſe, quàm viam quandam, per quam ſanguis
G tranſeat de ventriculo in ventriculum. Verumenimverò (vult dicere) tranſitus ille ſervit etiam elaborationi, quam probat ex 3.*Part*.4. Quis verò ſit ille tranſitus ſi quæras: nihil quidem ille definiet, ſed definitionis loco arguet eos, qui omnia ſepti foramina pro tertio ventriculo habent.

Si ampliùs quæras, Quæ ſit differentiæ ratio, cur in magnis animalibus tres ſint ventriculi, in mediocribus duo, in parvis (quæ non reſpirant, addam ego) non niſi vnus? Quia, dicet, in magnis eſt multiplex vita. Sunt enim prædita animâ perfectiori, quæ continet omnes gradus vivendi, &c. Miror equidem non ſiluiſſe potiùs! Ex hac enim ratione deducam, ſoli homini hoc competere, adeóque hominem eſſe animalium maxi-
H mum. Quod quia pueris etiam ridiculum eſt, quid dicam? Quin Accoramb. & Spigel. 9. *Anat*. 7. *ex* 4. *Gen*. docent, hominem eſſe in cenſu parvorum animalium.

His duobus ſi nos ſociemus, recto talo ſtabimus, & dicemus abſque vllo contradictionis metu, In homine etiam eſſe non niſi duos ventriculos. At Ille tres facit. Hoc verò non eſt deſcribere hominem Peripateticum, quem promiſerat. Heic ego ſcire velim, cur *Dict*. 23. deſcendat in nervorum originem, de qua ego *ſuprà* multò veriùs, & ex Naturæ libro? cur item interiiciat *Dict*.24. ventriculorum nobilitatem, de qua mox? Sed habuerit facti ſui rationes: cùm *Dict*.25. incipit exponere locum 3.*Part*.4. vide, ſodes, annon eat in caſtra noſtra? Philoſophum obſervaſſe dicit duas eſſe venas principales, quarum initia diſtincta eſſe pro diſtincto ſanguine melius fuerit, puta, pro numero duorum ventriculorum duo quoque fuiſſe concepta-
I cula. Potuiſſe autem id fieri in magnis animalibus.

Hoc cùm ab Ariſt. ſit, ipſomet doctore: quo modo ſimul alterum eſſe poteſt, in magnis tres eſſe ventriculos? vel ideò, quia nec in Europa, nec in Aſia, nec in Africa viſum fuit hactenus vllum animal quantumvis grande, quod plures duobus habeat ventriculos? Sed pergit ille. Cùm Philoſophus nihil ſoleat dicere ſine ratione, heic quoque id facit, inquiens: *Sed melius eſt tres eſſe ventriculos*. Si dixit hoc, voluit ſe conſtituere Naturæ conſiliarium.

Non credo autem dixiſſe, quia & pugnantia dixiſſet cum antecedentibus, & in Philoſophiam intuliſſet ſubtilitates (niſi ſi futilitates) Pythagoricas. Tales certè ſunt, quæ Noſter de vnitate & trinitate, de paritate, & impari-
K tate, de aliis in medium affert. Eiuſdem ordinis ſunt, quæ de ſanguine triplici, triplicíque eius elaboratione, quæ de tranſlatione eiuſdem de ventriculo in ventriculum, & alia permulta, quæ ego ab hoc ingenio nunquam exſpectâſſem. Sed ita fit, cùm magni viri nimis ſibi indulgent, alios pro fungis habentes!

Mihi video iam neceſſitatem incumbere exculpandi, ſi quà pote, Ariſtotelis. Primum omnium rem ſuſpectam mihi facit, quòd Vir hic ſuo merito maximus, ante omnia non diſtinguit heic, vt alibi, animalia, quæ non

reſpirant,

respirant, & vnum tantùm ventriculum habent: ab iis quæ respirant, & duos habent. Nôrat enim quædam pulmones habere, quædam non habere, 2. *Hist.*15. *Respir.*1. ideò novisse potuit hoc quoque. Eandem distinctionem desidero in Nostro Philosopho. Suspectiorem rem facit, quòd Arist. L
modò agnoscit binarium, modò ternarium. Vt venerim aliquando in has cogitationes, coaluisse tres ventriculos ex diversis illis animalium generibus, quorum alia vnum habent, alia duos, veluti dixi.

Quòd Arist. aliquando duos agnoscat, inprimis manifestum est ex 3. *Part.*7. vbi cor ait esse διμερὲς (non simpliciter, sed) ταῖς κοιλίαις. Hunc locum solum vrgeo 1. *Thor.*8. Est enim Aiacis scutum, quod inviolabile est omnibus telis, etiam ab Achille vibratis. Nunc addo alterum ex 1. *Hist.* 17. vbi est τὸ δεξιὸν καὶ τὸ ἀριστερὸν κοῖλον. Licèt enim alioqui vitium ceperit locus ille, vt indicavi suprà *c.* 17. integer tamen mansit *vterque ventriculus*. Tertius esse possit 3. *Hist.*3. & si aliubi eius rei meminit, quod non nisi duas venas (vt loquitur) agnoscit vtrinque ex duobus ventriculis.

Hæc quàm validè asserunt numerum binarium: tam disertè accusant ternarium. Quem ab Arist. non esse, vt planè mihi persuadeo: ita ab inficeto interpolatore ortum habere non dubito. Quis ille verò? Nominatim reum ago Apellicontem Teium φιλόβιβλον magis, quàm φιλόσοφον, vt Strabo illum describit, *Geogr. l.*13. Is, cùm magno precio emisset libros Arist. in loco quodam subterraneo diu habitos, ideóque tineis & humiditate corruptos, ex ingenio locos defectos supplevit, erroresque seminavit. Sed & absque hoc si sit, quid non labefactat Tempus? Vbi illud addo, In Apellicontis huius possessione fuisse libros Arist. & Theophrasti scribit Athenæus quoque, *Dipnosoph.*5. & Plutarchus, *in Sylla*: verùm neuter onerat illum, quod fecit Strabo. Plutarchus verò etiam disertè scribit, Tyrannionem Grammaticum, cùm Sylla, direptis Athenis, libros illos Romam transportâsset, ἐνεσκευάσθαι, *hoc est, corrupisse*. Alioqui apud Galenum frequens est τὸ διασκευάζω, nec non τὰ διεσκευασμένα.

Nimirùm huc devenio ex consilio Gal. de quo ego alibi, Si quid sit in bono 6. Aph. 34.
aliquo autore intolerabile: id referre par est ad παραδιορθωτάς. Et quoties N
Gal. apud Hipp. queritur τὰ διεσκευασμένα, vt Græci vocant? Errores autem, (vt idem sæpe) in bonis autoribus semel admissi, posteà manent. Hanc meam sententiam confirmabit, spero, quòd numero heic vitioso ferè accreverint alij errores. Et quid frequentius in scriptoribus, sive MS. sint illi, sive iam typis impressi, vt post alios conqueritur Ill. Casaubonus in Athen. & ego *Notis in Gal.* meis sæpiculè, quàm numerorum corruptio? Initium facio ab illo 3. *Part.*4. quem ita concipio, κοιλίας δ' ἔχουσιν αἱ μὲν τῶν μεγάλων ζώων, δύο· αἱ δὲ τῶν ἐλασσόνων, μίαν.

Heic subitò se pandit alia depravatio. Quid enim illud est, μίαν δὲ πᾶσαι? Turpiculum certè. Imò quid est illud Gazæ, longè turpius, *Vnum ad postremum?* Quid verò Accoramboni alterum non valde melius, *Vnum verò omnia?* Deleo igitur. Tum verò pulcrè quadrant, quæ sequuntur, διὰ τὸ τὰς O

ἀρχηγοὺς

ἀρχηγοὺς φλέβας δύο εἶναι, καὶ τὰ ἑξ. vſque ad τὸ μεγάλοις. At quæ ibi porrò, ἔτι δὲ βέλτιον τρεῖς εἶναι κοιλίας, ὅπως ᾖ μία ἀρχὴ κοινή. Τὸ δὲ μέσον καὶ περιττὸν ἀρχή. ὥστε μεγέθους δεῖ μείζονος αὐταῖς ἀεί. διόπερ αἱ μέγισται τρεῖς ἔχουσι μόνας, obelo transfigo. Nam neque cum anterioribus, neque cum posterioribus conſentiunt, & ſunt alioquin illa, quæ Noſtrum ad numeros Pythagoricos compulére.

His abactis cohærentia denique fit cum ſeq. quæ ita muto. Τούτων δὲ πλεῖστον μὲν αἷμα καὶ θερμότατον ἔχουσιν αἱ δεξιαί· (διὸ καὶ τῶν μερῶν θερμότερα τὰ δεξιά) ἐλάχιστον δὲ αἱ ἀριστεραὶ τῷ πλήθει καὶ θερμότητι, καθαρώτερον δέ. δεῖ γὰρ, καὶ τὰ ἑφ. Vt enim hoc tantùm dicam, Ariſtotelem ſcripſiſſe ſanguinem in corde frigidiſſimum (& quidem ſecundùm naturam) contineri, credat Iu-
P dæus apella, non ego. Quæ denique ſequuntur de articulationibus cordis, tam profundè obſcura ſunt, imò à tota rerum natura aliena, vt corrigendis illis ſola litura ſufficiat mihi, ſecuro quid alij dicant. Nil dubito fuiſſe olim marginaria, quæ poſtea in contextum irruperunt. Et hæc quidem de primo loco: alter eſt 1. *Hiſt*. 17. De quo (vt & ſeq.) cùm conſulerem Ill. Scaligerum *in Com.* inveni quidem correctiones aliquot quà Græci, quà Latini ſermonis: de re ipſa autem nihil.

Lego igitur in ipſo ſtatim limine δύο pro τρεῖς. Mox eâdem cenſurâ vſus, deleo illa, μέσην δὲ τὴν μεγέθει τῶν ἐν τοῖς ἀνὰ μέσον. Seq. ita corrigo, ἀμφοτέρας δ' ἔχει τὰς δύο εἰς τὸν πνεύμονα τετρημένας, (tu puta, mediante venâ arterioſâ & arteria venoſâ) κατάδηλον δὲ κατ' ἀμφοτέραν κοιλίαν, κατὰ μὲν
P τὴν μεγίστην ἐξηρτημένη τῇ μεγάλῃ φλεβί, πρὸς ἣν καὶ μεσεντέριόν ἐστι· κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν τῇ ἀορτῇ.

Tertius locus eſt eiuſdem *Op. l. 3. c. 3.* vbi de venis ita loqui facio Ariſt. δύο φλέβες εἰσὶν ἐν τῷ θώρακι, ἡ μὲν μείζων ἐν τοῖς δεξιοῖς μᾶλλον· ἡ δὲ ἐλάττων ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. Huic emendationi occaſionem præbet abſurditas. Quo modo enim ſimul in anterioribus & poſterioribus eſſe poſſunt, ſimúlque in dextris & ſiniſtris? Quæ de ſitu ibid. paulò pòſt ſunt, ὥστε ἄνω μὲν &c. tanquam manifeſtè falſaria, aſpello. Dico enim iterùm, ſi à dextris & ſiniſtris oriuntur, quo modo ſimul à ſuperioribus & inferioribus, ne de altera &, reprobata iam loci differentia dicam?

De ventriculis quæ ſubiunguntur, videntùr hoc modo eſſe legenda. ἔχουσι δὲ πᾶσαι μὲν καρδίαι κοιλίας ἐν αὐταῖς, καὶ αἱ μὲν τὸν πνεύμονα μὴ
Q ἐχόντων, μίαν· αἱ δὲ ἐχόντων καὶ τὴν ἑτέραν. Τὰ δὲ μέγιστα vſque ad τὸ μεγίστης induco, cùm fruſtra repetita ſint. An venatores, aliíque veteratores, quos Alexander Magnus adiunxerat illi, deceperunt hominem, quòd ipſe inſpectionem averſaretur? Solent enim magni viri, circa τὸ διότι occupati, negligere τὸ ὅτι, dicebat SCHERBIVS. An Noſtro contigére hæc, quia nimis amat Ariſtotelem?

CAPVT

CAPVT LIII.

Vter sit præstantior?

SInistrum esse nobiliorem, *l. de Corde, apud Hipp.* scribitur. Ait enim, τὴν γνώμην (accipio de tota anima, & rursus de instrumento potiùs animæ, Calido-nativo) esse ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ, *Animam hospitari in sinistro ventriculo,* cui dexter ὥσπερ ἔξωθεν προσεῤῥαμμένος, *quasi forinsecùs adsutus* sit. Et est hoc inprimis verum de avibus: aliquo modo de homine & reliquis animalibus. Hinc adeò scribunt Anatomici, abscisso toto illo, quod dextrum parietem constituit, manere tamen figuram cordis pyramidalem. A

Hinc etiam Spigelius noster ait, *Sinistrum ventriculum constituere totum cor, adeóque exsculptum esse exactè in medio corde, dextrúmque appendicem tantùm esse.* Vbi autem pervello viro olim coniunctissimo, Cùm sinister tantæ sit amplitudinis, vt ad mucronem vsque pertingat: quo modo dexter quoque eò pervenit? Dicit enim expresse. Imò verò non pervenire, αὐτοψία docet, nec non figura semicircularis. Docuit verò olim quoque autor libri de Corde. Sed ita homines sumus! Incidisse in eundem errorem Vesalium quoque 7. *Magn. Op.* 11. memini dicere nobis DD. BAVHINVM, intendítque digitum eodem 2. *Theat.* 21. *in marg.* Hæc structura vt validè pugnat pro sinistro contra dextrum: ita favet eidem sinistro Galenus. Si enim dexter est factus propter pulmones tantùm: relinquitur sinistrum obire cordis munia per totum corpus. Et est ita, licèt dexter sit alio fine institutus, sanguini scilicet arterioso primum perfectionis gradum tribuendi, & ad refrigerationem in pulmonibus obeundam ablegandi. Quâ ratione si toti corpori illum quoque servire voles dicere, non pugnabo. Interim desinit heic vsus illius: at sinister reverà ancillatur toti corpori.

9. Anat. 8. — B — *Cap. 7 prec.*

Hoc loco intercedit Philosophus *suprà* productus, & pro dextro vtitur his argumentis. C

I. Ex Arist. 3. *Part.* 4. dicit, Dextrum esse calidissimum, sinistrum contrà frigidissimum. Atque vt Medicos ducat in invidiam, Galenum ait dicere, tam calere sinistrum, vt, si quis digitum in viva Anatomia intromittat, vratur. *Dict. 24.*

II. Ex eodem dicit, Cùm homo sit bifidus, dextrum latus esse fortius: id verò aliunde non esse, quàm à calore intensiori. *Dict. seq.*

III. Affert experimentum Medicorum, (est Galeni 7. *Ex. Anat.* 15. *B.*) In viva Anatomia dextrum ventriculum diutiùs pulsare quàm sinistrum.

IV. Observant etiam (Medici) inquit, aliquam pulmonis partem factam fuisse quasi culcitram, ad tutamen cordis: quin ad defensionem dextri ventriculi, in dextra quippe parte.

D V. Observant iidem, ait, in morituris pulsum in dextra parte esse notabiliter magnum, in sinistra oblanguescere.

VI. Ex confessione eorundem dexter ventriculus est amplior sinistro. Hoc verò à calore dilatante est. Ipsemet etiam Galenus docet, Hepatis calidi indicium esse latitudinem venarum.

In Arte.

VII. Ex confessione eorundem, sangnis hepaticus est valde crudus, permistus multis fuliginibus. Ideò indiget valido calore.

His superaddo VIII. Ex Laurentio 3. *Anat. quaest.* 18. In strangulatis & suffocatis animalibus, venæ habent sanguinem: arteriæ non habent.

Vt respondeam ad singula ordine.

I. Miror vehementer, hominem acutissimum non vidisse, πρᾶγμα esse ἀσύγκλωστον, *stare hæc simul non posse*, vt est apud Ciceronem ad Atticum! in corde, viscere calidissimo, sanguinem esse frigidissimum! Sed scripsit E Aristoteles! Non scripsisse, ausim iurare. Sed neque hoc verum est, sanguinem dextri ventriculi esse calidiorem sanguine sinistri, licèt non negem abundare fuliginibus præ altero. Loquimur enim de sanguine secundùm naturam, eóque perfecto, cùm comparamus sanguinem cum sanguine. At verò sanguis dextri ventriculi nondum est perfectus, adeóque dici potest habere aliquid præter naturam. Reverà autem calidissimus est in sinistro ventriculo, depositis quidem fuliginibus, ammisto autem spiritu multo, ob quem ebullit. Quo igitur respectu dici possit frigidus? nedum frigidissimus? Nec hilum valet, quod ait, Non est simpliciter frigidus, sed qui sit possibile esse, stante principio, in quo est.

Non est possibile, inquam ego, duo extrema esse in eodem subiecto, etiam in diversis subiecti partibus, ne arguteris. Prætereà, quia sensus docet, nec ipse negat, sanguinem sinistri ventriculi esse calidissimum, quo modo inF veniri potest respectus vllus, qui ad contrarium me ducat? Sensus hic cùm pueris etiam obvius sit, non opus mihi fuit *sup. cap.* longâ deliberatione, Intelligámne? sed immedicabile vulnus ense recidi. Nec pœnitet facti: quia hoc demum modo totius loci sententia fit concinnior, Naturæque acceptior. Nec dubito Gazæ quoque suboluisse scelus, à malè feriato quodam admissum, cùm τὸ μέσον, quod sequitur, delevit. Sed nec excellentissimus Riolanus pœnitentiam mihi persuaserit, Non per se, sed ex accidenti, propter affluxum aëris inspirati. Nam neque aër in substantia accedit: nec inalteratus, sed in pulmonibus præcoctus, vt Galenus vult. Sed & hoc deest Riolano, quòd sensus impugnat hanc παραμυθίαν. Quod falsum est, falsum dici debet, nec quærendum frustra est velum, quo detineantur, & quasi irretiantur adolescentes.

6. Aph. 34.

Qua ipsa de causa non possum heic silere iniuriam, quam Galeno infert G Philosophus. Dicit Galenum voluisse, sinistrum ventriculum tam calidum esse, vt non possit digitus imponi in animali vivente, quin vreretur. Ignosce vir maxime, πῦ κεῖται? *vbi Gal. id dixit?* Nam alioqui pulcrum est dicere, se nolle probare, cùm non possis. An tantoperè fidebat Laurentio *quaest.* 14.

lib.

lib. cit. vt inquisitione opus esse non putaret? Sed reverà mentitur ille in vniversum. Nam 2.*Temp.*3.*D.* cùm dixisset Galenus, cor esse calidius reliquis partibus, de sinistro ventriculo ait, In viva Anatomia οὐκ ὀλίγῳ τινι, quod vertam ego *Evidenter*, calidiorem esse. Ita *de Form. fœt.*3.*extr.* Cor dicitur quasi focus quidam ignis. 1.*Sem.*8.*A.* comparatur cum flamma, non ratione caloris, sed motûs. Vbi igitur heic est *Vstio?* Fortassis aliis locis id scribit? Cùm non semel perlegerim Galenum, testor meâ fide nihil tale me offendisse. At quæ *l. de Inæq. int.* 5. *A.* est σφοδροτάτη θερμασία, *maximus calor*, H
licèt de sinistro ventriculo sit, non potest huc trahi. Non potest etiam, quod de toto corde, 1.*Temp. vlt. extr.* φύσει θερμότατον *Natura calidiss.* esse. Nihil enim hæc aliud volunt (nisi fortè respuis omnem æquitatem) quàm quod tantùm non infinities dicitur, Cor esse ἀρχὴν, οἷον πηγὴν, ἢ ἑστίαν τῆς ἐμφύτου θερμασίας, *principium, quasi fontem, quasi focum caloris nativi.* ἀλλ᾽ ἅλις σπουδῆς.

II. Cur dextrum latus sinistro sit fortius, apud me valde obscurum est. Video enim in plerisque omnibus hominibus, & in me ipso, tam manum, quàm pedem dextrum mole maiorem esse. Quidam id referunt ad exercitium. Ego verò video in amico, à prima adolescentia mihi noto, id ipsum quidem esse: qui tamen sinistrâ pro recta vtitur. Quin vulgare dicterium est, nescio an vniversale, Sinistros (ita loquimur) esse robustiores dextris. Et quid de ambidextris sit? Ille certè apud Hipponactem robur prædicat I
non mediocre.

Ἀμφιδέξιός εἰμι, καὶ οὐχ ἁμαρτάνω κόπτων, Ita enim ex Erotiano ego.
Quem tango, sentit: ambidexter namque sum.

In vniversum autem quis ignorat, nisi prohiberemur à matribus & nutricibus, plerosque nostrûm futuros sinistros? Quò magis commentitia est causa à Massa allata, vt Riolanus habet. Quidquid sit, quod dextrum latus calidius sit, non debet vir magnus contemnere hepar. Cùm enim calor ibi recipiatur à materia densa, terrestríque, non potest non maior esse. Et videmus in iis, quibus φλογώσει laborat, quàm illi sint papulosi! quàm ferè siticulosi! Et hi ex refrigerantium vsu diuturniori levamen sentiunt. Hoc autem est magnum Hipp. argumentum, vt Massaria vocat.

III. Experimenti huius causam Galenus quidem inquirere iubet: in- K
venit autem Th. à Veiga *Com. in* 5. *Loc. aff.* 1. placuítque Laurentio quoque. Sed nihil facit huc, licèt velit Adversarius fine *Dict.* 27.

IV. Heic hominem se fuisse fateatur oportet Idem. ὑποστόρεσμα enim illud tribuit Gal. 6. *Vs. p.* 4. *C.* quinto pulmonis lobo, qui factus sit, non propter cor, sed propter venam cavam. Verùm, quia in homine non est, cadit totum.

V. Non credo vniversaliter verum esse. Sed sit: potest esse ab alia causa.

VI. Scio plerosque Anatomicos id dicere: sed conferenti mihi non semel, dubium visum fuit. Latior quidem est dexter, idque ob figuram semi-

circularem: sed ad mucronem non descendit, vt dixi. Sinister autem quia eò descendit, atque ita accedit ei in longitudine, quod dexter habet in latitudi-
L ne: certare iam invicem possunt de amplitudine.

VII. Concedo totum. In principio quidem suo calor est validior; sed est animalis, hoc est, benignus, seu temperatus, aut omnino calidus & humidus, quò inclinat Philosophus *Dict.*21.

VIII. Hoc modo propositum negotium fit lusorium. In strangulatis enim & suffocatis (vtroque vocabulo vtitur Laur.) nulla fit sanguinis profusio: quomodo ergo vacuæ sunt arteriæ? Sed etsi fiat cum sanguinis profusione, non minùs deplebuntur venæ, quàm arteriæ, idque vi demonstrationis Gal. 3. *Fac. nat.*15. *B.* Locus Hipp. est *l. de Corde, extr.* vnde capiat vnusquisque, quod vult. Sed nondum est satis litium. Philosophus enim *Dict.*27. vult solvere etiam argumenta Medicorum. Quando dicunt, inquit, sinister est fons vitæ: respondete vos, Est, quatenus ministrat dextro.

M Hui! inquam ego. Putabam dextrum ministrare sinistro, vel ideò, quia tu ipse dicis, sanguinem dextri ventriculi indigere aliâ in sinistro elaboratione! Verùm quia intrudit Ille huc quoque tertium, seu medium ventriculum, qui in rerum natura non est, licet illi per me ingenioso esse.

Deinde ait, Cùm arterias dicunt illi nobiliores esse, advertant, hoc esse ratione sitûs, seu contenti, non autem substantiæ. Resp. Arteriæ & sanguis arteriosus sunt relata, & tollunt se mutuò in vivo corpore. Quæ alia cumulat vir magnus, partim pugnantia sunt, partim falsa.

Tertiò addit, Cùm apostema sinistri citiùs interficere dicunt, quàm dextri, pro nobis sunt. Sinister enim est debilior dextro. Ego opus non habeo alio, quàm quod dicit Ipsus, Sinistri ventriculi apostema ideo citiùs interficit, quòd impediatur transmissio vitæ in corpus.

CAPVT LIV.

An, & quomodo sanguis dextri ventriculi differat à sanguine sinistri?

A GAl. cùm 6. *Sent. Hipp.* 4. *F.* dixisset, sanguinem in dextro cordis ventriculo nihil peculiare habere præ illo, qui ex hepate influit in cor: sanguinem sinistri ventriculi ait esse tenuiorem, flaviorem, calidiorem. Et hoc constanter docet, quoties de differentia sanguinis venosi & arteriosi loquitur. Quod verò mireris, hoc est. Refert se in vsu venæ arteriosæ, & sanguinis in ea contenti, ad 6. *Vs. p.*10. vbi planè contrarium dicit. Ait enim *G.* pulmonem nutriri sanguine in corde exquisitè elaborato & attenuato, eóque puro & spirituoso. Nimirum, quòd heic ἀτμῶδες αἷμα est: id 4. *Vs. p.*15. *D.* est πνευματῶδες. Agens enim obiter de pulmonum nutritione ait, Sanguinem

nem pulmoni per venam arterioſam tranſmiſſum habere πλεονεκτήματα τινά, *prærogativas quaſdam*, puta, præ ſanguine hepatico ſeu venoſo, quòd ſit ex- B
quiſitè purus, flavus, tenuis, ſpirituoſus. Et mox *E.* addit, Sanguinem hunc eſſe exquiſitè elaboratum, flavum, tenuem, purum & ſpirituoſum.

Vbi quæro, Si ſanguis venoſus à dextro ventriculo habet hoc, vt ſimilis ſit ſanguini arterioſo : vnde habet, niſi à nova elaboratione, vti loquitur, quæ ipſa nihil aliud eſt, quàm coctio? Si hoc, non in ſiniſtro tantùm ventriculo fit ſanguis arterioſus, ſed & in dextro. Et fit vel ideò, quia meminit excrementorum λιγνυωδῶν, *fuliginoſorum*.

An hæc ita mitiganda ſunt? Sanguis in dextro ventriculo accipit quidem primum perfectionis gradum, vt pridem locutus ſum : ſed ad perfectionem, quam in ſiniſtro acquirit, non adſpirat. At, quomodo ſanguis hic ſimul ha- C
beat πλεονεκτήματα illa, de quibus in *de Vſ. p.* ſimul οὐδὲν ἐξαίρετον, *nihil eximium, ſeu peculiare*, vt in *de Sent.* loquitur : non video. Dic tu ergo, Quintiliane, colorem! Eiuſdem conditionis eſt, quod dicitur, Pulmonem nutriri ſanguine venoſo, & propterea vas dextri ventriculi exportans Venam dici debere, non Arteriam. Si enim ſanguis tam craſſus eſt, vti dicitur, qui non ire poteſt in vaſe ſimplici, qualis eſt Vena?

CAPVT LV.

Per quas vias ſanguis è dextro Ventriculo in ſiniſtrum proficiſcatur?

DVæ ſunt viæ penè æquè obſcuræ. Altera eſt per ſeptum cordis cui fa- A
vere videtur Gal. *6. Vſ. p. 17. D. F. 3. Fac. nat. 15. B.* Altera per circuitum bene longum, qui eſt, E dextro ventriculo aſcendit in venam arterioſam; ex hac per mutuas ἀναστομώσεις in arteriam venoſam, deſcendit in ſiniſtrum ventriculum. Cui viæ pariter favet Gal. *eodem 6. Vſ. 16. D.* & rurſus *21. B.* Priori itineri duo inprimis obſtant. Primò, quòd viæ ad oculum oſtendi non poſſint. Secundò, quòd non poſſit dari ratio, quo modo ſanguis refrigeretur? Vide *Com. noſtra in 6. Vſ. p. 11.* Poſteriori contrà conſentiunt omnia, & inprimis inſigne illud artificium, cuius aliàs ratio dari non poteſt, quòd bronchia pulmonum collocavit media inter ramos venæ-arterioſæ, de conſenſu omnium exportantis : & arteriæ venoſæ, de omnium iterum B
conſenſu importantis. Vide de iiſdem *Com. c. 10.*

Huic ipſi itineri obſtat pariter, quòd vix ad oculum demonſtrari poſſit. Ita de induſtria loquor : quia ſi diligentiam adhibeas, videbis duplices ἀναστομώσεις, alteras per vaſorum ipſorum ramificationes, crucis in modum ſe interſecantes : alteras per eorundem extrema. Sed etſi hoc ad oculum probari non poſſit, non propterea falſum eſt. Vbi enim ſenſus deficit, ratio ſup-

plet defectum. Ratio est, quam dixi: non potest aliàs dari ratio refrigerationis sanguinis. Hanc viam inter recentiores, quod sciam, primus ostendit Columbus *l.7. Anat.* sed inprimis *l.11. c.2.* Huic consentit Spigelius 9. *Anat.8.* Cæterùm, quia res intricatissima est, altiùs ordiri oportet, hinc dato initio.

CAPVT LVI.

De vsu vasorum cordis, præcipuè Venæ-arteriosæ, & Arteriæ-venosæ.

A QVatuor cùm sint numero, in vtroque ventriculo bina, partim constat de vsu, partim non constat. Venam-cavam dextri ventriculi inferre sanguinem ex hepate, certæ veritatis est. Arteriam-magnam sinistri efferre sanguinem ex corde, eiusdem certitudinis est. De reliquis duobus quid inferant vel efferant, & cui bono? lites sunt contaminatissimæ, quas incertum est Galenúsne seminaverit primus, an à veteribus acceptas (& hoc apud me verisimilius est) amplificârit?

Inprimis hoc intolerabile est, Cur, postquam ab Anatomicis post Hipp. & Arist. constitutum fuit, hoc tale vas, quod constat tunicâ simplici, vocetur Vena; hoc tale, quod duplici, eâque validâ, & ligamentosâ, Arteria: aliud quid heic sanctum fuerit? Hoc inquam. Vasa, dextri ventriculi sint
B Venæ: sinistri Arteriæ. Cur vas, quod vena est substantiâ, debeo appellare arteriam? & contrà, vas, quod arteria est substantiâ, debeo appellare venam? Nec hilum valet, quod distinctionis gratiâ adiicere voluerunt, Vena-arteriosa, Arteria-venosa. Multò minùs locum habet permutatio. Cùm enim Natura ibi collocârit venam, vbi vena esse debuit; arteriam ibi, vbi arteria: quid frustra turbamus? Reverà permutatio est imaginaria, profecta ab illo, qui institutum hoc suum volebat commendare aliis, tanquam rem admiratione dignam.

Hac in re mecum est Ill. Riolanus, cùm scribit 3. *Anthrop.12. f.368.* Vasa cordis habuisse hunc situm, ne quid mutetur in instituto Naturæ iungendi venas cum arteriis. Sed pareamus age hac in parte præcepto Platonis &
C Galeni, facilésque simus in nominibus. Concedamus etiam Platoni, satis aliquando esse, si in Naturæ obscuritate ad áliqualem probabilitatem perventum sit: sed dicamus cum Galeno *l. de Comate*, 1, *D.* Non esse hoc satis, oportere etiam sufficienter demonstrare. Demonstrationis initium hoc esto.

I. Ad Calidi-nativi in corde sedem habentis refrigerium facta est mirabilis illa pulmonum, vasorúmque intertextorum structura. Et est quidem in re ipsa inter Arist. & Gal. consensus: in modo autem dissensus maximus.

II. Calidum

II. Calidum hoc ſedem habet in toto corde: non autem in ſiniſtro ventriculo tantùm. Et hoc probabitur mox, ne videar pugnare in ea, quæ de præſtantia ſiniſtri dicta ſunt nuper.

III. Calidum hoc indiget ad ſui refrigerium, non ſubſtantiâ aëris frigidi: ſed ſolâ qualitate. Hoc quidem probabitur *infrà*, quà de Spiritibus: tamen heic quoque leviter attingetur.

IV. Refrigerium hoc præſtatur, non ipſi Calido, ſed ſanguini, qui perenni quaſi fluvio per pulmones diffunditur eo modo, quo dictum eſt. D

V. Dextri ventriculi vſus eſt, quem bis iam attigi, elaborare aliquatenus ſanguinem: ſiniſtri, vltimam manum illi imponere.

VI. Et venæ-arterioſæ, & arteriæ-venoſæ, primarius quidem vſus eſt hic, deferendi ſanguinem per æquor illud pulmonum: ſecundarius autem nutriendi pulmones.

His reſpondent, quæ in NATVRÆ libro obſervamus.

I. Dexter ventriculus æquè calet ac ſiniſter. Huius rei fidem ex ſenſu peto.

II. Inter vas vtrumque in pulmones diſperſum mediæ collocatæ ſunt propagines aſperæ arteriæ, bronchia dictæ. Nec poteſt huius ſitûs alia cauſa afferri, quàm refrigeratio ſanguinis.

III. Vtrumque vas tam vaſtum eſt, vt copiæ ſanguinis reſpondeat. Arteria etiam venoſa ideò habet auriculam. E

IV. Vtrumque vas valvulas habet, ſtructurâ ſuâ ſervientes exportationi & importationi.

V. Orificia vaſorum importantium ſunt multò ampliora quàm exportantium. Vt in ſpecie aliquid dicam, Venæ-cavæ orificium, collatum cum ſui lateris vaſe, venâ arterioſâ, eſt longè amplius: cum arteriæ magnæ, eſt duplo, imò triplo latius, tantùm abeſt, vt arteriæ magnæ orificium ſit omnibus omnium vaſorum orificiis maximum.

Huic rei teſtimonium perhibebit Veſalius 6. *Magn. Op.* 12. & iterum *in Ep. ad Roland. f.* 144. Arteriæ venoſæ orificium eſt maius arteriæ magnæ, licèt contrà ire videatur Galenus. Huic rei fidem præſtabit D. Bauhinus 2. *Theat.* 21. Spigelius 9. *Anat.* 7.

VI. Vena-arterioſa eſt ſubſtantiâ arteria. Et debuit eſſe, quia & pulſat, & cum violentia exportat, non minùs quàm Arteria-magna. F

VII. Arteria-venoſa eſt vena ſubſtantiâ. Et potuit eſſe, quia ſanguis in vena-arterioſa iam aliquo modo refrigeratus minùs tumet, deſcendítque in ſiniſtrum ventriculum naturali potiùs gravitate ſua, quàm pulſu, vt in vena arterioſa. Quin debuit eſſe, vt & refrigeratio ſit facilior, & fuliginum expurgatio felicior.

VIII. Carnis pulmonum vſus hic ſolus eſt, eſſe vaſis *δίκην σοίβης, tomenti inſtar*, vt in hepate. Quid GALENVS? *χάλκεα ἀντὶ χρυσείων.*

I. Calidum-nativum eſſe in ſiniſtro ventriculo tantùm. Hoc ex *l. de Corde* eſſe iam dixi, & pro communi ſententia, ſeu errore admiſi.

II. Idem

II. Idem ait opus habere ſubſtantiâ aëris frigidi, quæ ſubſtantia ipſum cor contingat. Hoc quoque Hipp. eſſe concedo, ſed reverà eiuſdem dignationis. Quei enim hoc credam, cùm aër in bronchiis reciprocum perpetuò motum habeat, nec vllibi vlla ſit illi via ad cor? Quei non potiùs credam, tantum ſemper aëris per exſpirationem abire, quantum per inſpirationem ingreditur? Hoc perſuadet æqualitas inſpirationis & exſpirationis. Quei non ſubverear, aërem hunc frigidum cordi inimicum fore?

G

III. Niſi fallor, vt evitaret hæc incommoda, dixit excidere aërem è bronchiis in carnem pulmonis, & ibi coqui. Quidni ego dicam? Incidit in Scyllam. Si coquitur & alteratur, ſine dubio incaleſcit: quomodo ergo refrigerat? Sed & hoc mali ſubeſt, Cogemur cum Columbo dicere, ſpiritus gigni, non in corde, ſed in pulmonibus. Venerit & hoc alicui in mentem, Si excidit aër in pulmones, & ibi diffunditur, quis illum colligit iterum, & in vaſa compellit?

H IV. Aërem hunc à ſola arteria venoſa hauriri, & in ſiniſtrum ventriculum ferri. Non equidem indignor, miror magis, quâ fronte dicere poſſit aërem ab eo vaſe accipi, à cuius ſubſtãtia tenui quam-maximè abhorret! cur non potiùs ab eo (venâ-arterioſâ) cuius ſubſtantiæ proportionatus eſt? Tantò magis, quòd venæ arterioſæ rami tam ſunt vicini, imò non minùs adhærent bronchiis, quàm arteriæ-venoſæ. Hinc apparet (vt obiter hoc dicam) quàm periculoſum ſit falſis hypotheſibus vti! Ideò Ariſt. 1. *Hiſt.* 17. aërem ingredi vtrumque ventriculum ſcribit, ſive ex propria, ſive ex aliena ſententia. Idem ex *l. de Corde* apud Hipp. exſculpſeris. Si enim auriculæ cordis rapiunt aërem, vtique in dextro fiet idem, quod in ſiniſtro, licèt auricula dextra non ſit in vena arterioſa.

I Rurſus, cùm arteria venoſa latiſſimè pateat in cor, non, inquam, duos tantùm in corde humano excipiens digitos, ſed quatuor, vt Arantius habet *Obſ. Anat.* 33. quæ veriſimilitudo eſt, pro aëre factum eſſe vas tam capax? cui etiam auricula ſit appoſita, quæ amplitudinem auget? Eadem vena cùm ſanguinem contineat, quem ex vena-arterioſa per duûm generum (vt iam innui) ἀναστομώσεις accepit: neceſſe eſt duplicem habeat tractionem, aliam, quâ ſanguinem ſeorſim trahit; aliam, quâ aërem ſeorſim. At quis vel alterutram, vel vtramque imaginari ſibi poteſt? Fiet enim vt vnus-actu motus fiat duplex-actu, dilatatio, inquam. Nam de contractione non puto eos cogitare. Obſtat hoc etiam, quo modo cor pulſans accipere poſſit aërem per reſpirationem attractum, cùm non ſit idem rythmus reſpirationis & pulſûs? Quid multa? Ne pulſat quidem hoc vas, vt ex Galeno demonſtrat ὁ πολυμαθέστατος Riol. 6. *Anthrop.* 8.

K V. Venam arterioſam, adeóque ventriculum dextrum totum factum eſſe propter pulmones. Quia, inquit, ſimul ſunt & ſimul pereunt. Dico, ſimul ſunt, in quibus opus eſt multo, eóque elaborato ſanguine, qualia ſunt animalia, quæ reſpirant: non ſunt, in quibus parcior eſt ſanguis, iſque minùs curioſè confectus. Nimirum, in dextro ventriculo accipit ſanguis πλεονεκτήματα

μάτα illa, de quibus non ita pridem egi: in sinistro accedit, quod deest ad perfectionem. Iam quia hoc cecidit, quis non videt repugnare sapientiæ Naturæ, si pro nutritione vnius pulmonis condidisset vas tam grande, quod duos digitos in homine admittit, & tantum sanguinis vehit, quantum toti corpori satis est, vt ferè Arantius loquitur? Sed & hoc cogitet quis, cur substantiam tam validam præ arteria venosa acceperit, siquidem pro pulmonis nutritione tantùm est facta? Dico ego, quia exportat, & quidem cum pulsu. L
Hunc nos non animadvertimus, quia in pulmonibus invisibilis fit. Si crassitiem ideò institutam fuisse dicent, vt alimentum ibi moram trahat: scire ego aveam, quid fiat de arteria venosa? Si ruptionis periculum oggesserit mihi aliquis: quæram iterum, annon idem sit metuendum in arteria-venosa? Sed & vanus est metus in animali secundùm naturam habente.

VI. Sanguinem è dextro in sinistrum ferri per septum cordis, quamvis non satis constanter, vti vidimus. Hæc res apud Riolanum 3. *Anthrop.* 12. extra dubium est. In corde enim elixato foraminula manifestè patent, inquit. Vtrumque quâ conscientiâ, quâ fronte dicitur? Extra dubium quo modo est, de quo dubitationes suas proposuit Arantius, vt loquitur ipse? Manifestáne sunt foramina, de quibus ante Hofmannum tam latè dubitârunt Vesalius, Columbus, Spigelius, alij? Contra quæ foramina manifestissima ratio militat, Fore vt sanguis remeet? quibus admissis ratio refrigerationis dari non potest? Nec locum heic habet vel providentia divina, vel Naturæ nomen. Reverà enim, non minùs atque occulta qualitas, perfugia sunt miserorum. Multò minùs locum habet Galeni ratio, fore vt foveæ in septo frustra sint. Dico enim cum Logicis, μὴ ἀπὸ τῶτο. Factæ sunt, vt sanguis ibi moram trahens meliùs coquatur. Eius rei signum est, quòd foveæ non in septo tantùm sunt, sed & in parietibus. Multò minimè facit aliquid elixatio. Nam à statu præter naturam non licet argumentari ad statum secundùm naturam. Sed faciat aliquid: debent foramina ista apparere in corde etiam bubulo elixato. Sed non apparere evincit Hofmannus multis testibus, *Com. in de Vſ. p.* Quæ quia sciebat Riolanus, cur non opponit experientiam contrariam? cur ita Rhetoricè transilit totum? cur non dicit, quid desit sensui illi? Ita enim ferè contra Erasistratum agit Gal. 1. *Fac. nat.* 16. *B.* Quare dico iterum, M N

Naturam, RIOLANE, magis penetrare memento!

Coronidis loco pro Cl. Bauhino (quem vellem mitiùs tractâsset!) hoc addo, Si hoc quoque inventum sibi tribuit Riolanus, & putat causam mutatæ à Bauhino sententiæ esse autoritatem suam: nimis facilis est. Manent enim difficultates, à me motæ, quas non repeto. Contra Bauhinum hoc quoque dico, Non placere mihi stimulum, quem in Philosophantes, hoc est, veritatem defendentes, iactat. Si enim putabat se bonam causam fovere, cur non deduxit?

CAPVT LVII.

De eorundem vnione in fœtu,

A ADmiratione dignum eſt, quòd cùm Gal. *6.Vſ.p.20.& 21.* vt & 15. *eiuſdem 6.* tam diſtinctè hoc docuerit, plerique Noſtrorum cœcutiant! Veſal. 5.*Magn.Op.vlt.* non obſcurè fatetur ignorantiam ſuam, cùm alios facere iubet quod ipſius erat officij. Columbus toto *lib.12.* tacet tanquam conductus. At *l.7.* hoc ſolùm dicit, Venam cavam cum vena arterioſa eſſe continuam, quamdiu fœtus eſt in vtero. Hoc falſum eſſe rectè ait Bauh.2. *Theat.24. in marg.* Fallop. 3.*Obſ.9.* cœpit agnôſſe alteram tantùm ἀναςόμωσιν, illam, quæ eſt inter Arteriam-magnam & Venam-arterioſam, & fit per tubum ſeu canalem. Ab hoc monitus Veſal.*in Ex.f.91.* vtramque agnovit qui-
B dem: ſed vtramque voluit fieri per mutuum foramen. Arantius in prima editione *l. de Fœtu hum.* contrario abreptus errore, vtramque fieri voluit per canalem. At in poſt. anni 1595. veritatem docuit ex Gal. vt fatetur *Obſ.14.* Ea eſt: Vena-cava, vas dextri ventriculi, iungitur cum Arteria-venoſa, vaſe ſiniſtri ventriculi, vena cum vena, per ἀναςόμωσιν ſeu foramen ſatis magnum. Arteria magna, vas ſiniſtri ventriculi, iungitur cum Vena-arterioſa, vaſe dextri ventriculi, arteria cum arteria per canalem. Vtraque poſt aliquot dierum ſpacium ſigillatur, vt loquuntur, Tubus ita occluditur, vt non ampliùs ſit peruius: foramen ita tegitur, vt vix ſuperſit veſtigium. Hoc ſæpe ſæpius demonſtravi diſcipulis meis.

CAPVT LVIII.

De auriculis cordis.

TEmerè fuiſſe ita appellatas ait Gal. *6.Vſ.p.15. C.* Qui tamen paulò pòſt, *E.* vt & 7.*Ex.Anat.9. A.* docet, nomen accepiſſe à ſimilitudine quadam cum auriculis capiti adiacentibus. Ego in conſiderationem vocato loco illo *in de Vſ.p.* concluſi, delenda eſſe illa, μάτλω δ' ὠνόμαςαι. Abſque enim his ſenſus eſt integer. Contrà à vitio abſolvo locum *in de Ex. An.* Vbi enim de auriculis dicitur, δύο ῥ ταῦτα, Caius putat deeſſe aliquid, quòd ſermo ad orificia vaſorum potiùs pertineat, quàm ad auriculas. Ego verò, nec credo aliquid deeſſe, nec vllo modo ad orificia vaſorum trahi poſſe.

CAPVT LIX.

De vsu earundem.

VEtustissimus autor *lib. de Corde*, ait esse ὄργανα, τοῖσιν ἡ φύσις ἀρπάζει A
τὸν ἠέρα, *instrumenta, quibus Natura trahit aërem.* Hanc sententiam
revocavit inter Nostros Varolius in elegantissimi opusculi Anatomici *l.*2.
*c.*1. cui assensum præbui *Com. in d.l. de Vs. p.* Verùm cognovi posteriùs, fal-
sum fuisse & me, & duces meos. Quei enim dextra auricula possit huc face-
re, cùm nullam habeat communionem cum aëre? Quantò prudentior Gal.
iam d. l. cùm ait esse καθάπερ ταμιεῖον τῆς τροφῆς, *quasi penuarium alimenti.* Et
videtur mihi dicere, Dextra quidem auricula sanguinem recondit: sinistra
autem spiritum. Hæ enim sunt ὗλαι, *materiæ illæ*, quarum bis meminit. His
licèt non prorsus consentiam, vt ex superioribus liquet: tamen nunc ita si-
no, & dico, Videri mihi penuaria esse, non quatenus attractioni, quæ in B
systole fit, famulantur: sed quatenus retentioni seu moræ, ne subitò diffluat,
quæ in diastole. Et hoc modo fuerint, οἷον κοιλίαι τινὲς περὶ τὴν καρδίας ἐργα-
σάμεναι, *quasi ventres quidam cordi præstructi*, vt loquitur *in de Ex. l.c.* An
hoc ipsò insinuare voluit vsum à Vesalio 6. *Magn. Op.*15. allatum, servire ela-
borationi vlteriori sanguinis? Certè præter conformationem, & substantia
cordi similis, & foveæ id persuadent? Hanc ipsam elaborationem quia me-
ritò habemus pro novo, & Galeno incognito vsu, quei dicere potest Riola-
nus 3. *Anthrop.* 12. Vesalium risisse vsus Galenicos, nec meliores attulisse.
Risûs quidem vestigium ego nullum video, sed diligentem sensus Galeni in-
terpretationem: huic autem addidit propriam sententiam. Et videtur mihi C
Riolanus paria cum illo facere, Proponere, inquam, primò mentem Galeni:
deinde suam. Neque enim credo voluisse illum diverticulum suum ex Ga-
no extundere. Nisi fallor, est planè id, quod ego facere auriculas aio in
diastole. Cæterùm, ruptionis metum nullum heic agnosco, vel à san-
guine, vel ab aëre.

CAPVT LX.

De valvulis venæ-cavæ.

PRuritûs carpendi Vesalij in Puteo insigne exemplum do heic. Nam quæ A
dicit ille *Libri cit. c.*13. transfert hic ad omnes omnium cordis vasorum
valvulas. Locus est *l.*5. *Apol. f.*157. Et quomodo, ô Putee, ammiscere audes,
tam venam-arteriosam, quàm arteriam-magnam, cùm in illis sint σιγμοει-
δεῖς? Tu verò, ô Cunée, in opposita *Apol. f.*104. cur non excusas venam-

arterioſam? Quidquid id eſt, pertinet ad venam-cavam, in qua cuſpides valvularum non minùs ad dextri ventriculi parietem eunt, quàm arteriæ-venoſæ ad ſiniſtri. Illud quia non erat in individuo, quod Puteus tractabat, quid admirandi? Variant enim iſta in natura, viditque Puteus, quod Galenus (iam enim ita ſino) vidit: Veſalius & Cuneus, quod plerique omnes videmus.

CAPVT LXI.

De valvulis arteriæ-venoſæ.

HAs poſſe ulli rei aſſimilari negat Galenus 6.*Vſ.p.*14.*B. At* 7.*Ex. Anat.*9.*B.* τριγλωχῖνας vocat. An heic de qualicunque ſimilitudine loquitur: ibi de exacta? An ſeorſim acceptæ poſſunt: coniunctim non poſſunt?

CAPVT LXII.

De vaſis cordis coronariis.

A CAuto opus habet lectore Gal. in pleriſque. Quid enim illud eſt, quod ait 7. *Ex. Anat.*10.*A.* Venam coronariam ὁρμᾶσθαι ἐκ κοιλότητος ταύτης, *ex dextro ventriculo?* Quid etiam, quod & ibid. & 6.*Vſ p.*14.*B.* Arterias coronarias oriri ἐκ τῶν ἀριστερῶν μερῶν τῆς καρδίας ἔξω, ἢ ἐξωτέρω τῶν ὑμένων, *ex ſiniſtris cordis partibus extra membranas?* Utrumque valde indiſtinctum eſt, ſive dicas oriri ex corde, ſive ex dextris, ſiniſtriſve partibus! Obſcurum etiam eſt, quæ ſint illæ membranæ! Ego ex αὐτοψίᾳ didici iuvenis, Venam quidem coronariam eſſe ex vena cava, antequàm (ſi cum Galeno loqui velimus) in dextrum ventriculum inſeratur: arteriam autem (licèt ferè duæ ſint) poſtquàm arteria magna in duos truncos diviſa deſcendere incipit. Sed,
B intráne, an extra pericardium? Quidam prorſus tacent. Ex quibuſdam vix vi malignâ expreſſeris, intra pericardium fieri. Solus Spigelius *l.*9. *c.*6. de arteria expreſſit, *Antequam pericardio excidat.* Et ratio id planè perſuadet. Ego, niſus fundamentis Ariſt. de vena dicam idem. Heic non immeritò dubitet aliquis, Annon Gal. contrarium docuerit? Quid enim eſt illud ἔξω τῶν ὑμένων? Tacent quidem omnes, etiam illi, qui aliàs ſputa Gal. lingunt: ſolus Cuneus *Apol.f.*105. videtur tangere ulcus, cùm ait, *Oriri (arterias) extra arteriæ magnæ orificium, adeóque poſt illius membranas.* Sed quid hoc eſt dictu? Eſtne arteria diſtincta à ſuis membranis, è quibus conſtat? Sed loquatur de valvulis: éſtne idem *Ex & Poſt?* Tum verò hoc etiam mali accedet, augebitur rei obſcuritas. Non longè abiero: Accipio Galeni verba de
C pericardio. Quod quia falſum eſt, deleo totum, ἔξω τῶν ὑμένων. Hæc medicina,

cina, ſi tibi violentior videbitur, mutabo in ἔσω, ἢ ἐσωτέρω. Neque enim vno loco apud Galenum alternant hæc duo vocabula. Iam igitur hæc veritas eſt de ortu vaſorum coronariorum : à qua ſi quid diverſum vidit Puteus in duce ſuo mônſtroſo, *Apol.l* 5. *c.*157. dicat nobis. Quid autem dicit? Oriri ex corde, vt Galenus ſcripſit. Riſum teneatis amici! Eodem peccato quia tenetur Puteus *l.c. de ortu pericardij*, (præfert, inquam, indiſtinctam Galeni locutionem diſtinctæ eiuſdem, quæ væſania eſt hominis maledicentiſſimi!) habeat ſibi porrò res ſuas. Vide, ſi placet, Riolanum, 3. *Anthrop*.7.

CAPVT LXIII.

De vena, quæ ἄζυγος dicitur.

QVòd Galenus ſcribat *de Anat. ven.*2.*B, Ibid.*10.*B.* 7.*Ex. Anat.*9.*C.* 6. A
*Vſ.p.*14.*A.* 16. eiuſdem 14.*D.* 6. *Sent. Hipp.*9. *E.* 2. *Acut.*10.*C.* 5.*Loc. aff.*3. *M. Com.in Tima.*5. ex Eraſiſtrato, oriri ex vena-cava, antequam cor contingit, & quidem in ſiniſtro latere : Veſalius 3. *Magn.Operis*,7. & iterum in *Ep. ad Roland. f.*71. *& ſeq.* iterúmque *in Ep. ad Nicolum f.*27. dicam illi ſcribit bene longam. Quam cùm Euſtachius *l.ſing. de hac vena*, diligentiſſimè, & ad ſuperſtitionem vſque excuſſerit : poſſunt ſe eò conferre, quibus fama Galeni potior eſt Veritate. Si quis paucis poſſit eſſe contentus, eat ad Bauh. 2.*Theat.*18.*in marg.* Ego qui Galeno non minùs (fortè magis) faveo,
quàm iſti : duo afferam pro illo. Alterum, quod Riolanus 3. *Anthrop*.8. pro B
argumento Achilléo habet. Galenus non vno loco dicit, ἄζυγον nutrire octo intercoſtalia inferiora; ea autem cùm ſupra cor ſe extendant : non poteſt dicere, ortum τῆς ἀζύγου eſſe infra cor. Huius conſectarium eſt, & pendet ex illo nuper quoque producto 6. *Aph*.34. In pleriſque Galeni locis eſſe corruptiones manifeſtas, quas videre eſt apud dictum Euſtach. in Antigrammatis contra Veſalium, & qui pleraſque exſcribit, Bauhinum *l.c.* Si DEVS volet lucem videre Notas meas in Galenum, legi poterunt *ibi* quoque ſuis locis. Alterum, quod iam *ſuprà* tetigi *cap.* 34. & peculiariter *Notis in l.de*
Anat: ven. Non conſiſtere heic Naturam in puncto Mathematico, ſed va- C
riare quædam, tam ſecundùm ſpecies, quàm ſecundùm individua animalium. Quare ſuſpenſo opus eſt iudicio, ne pro perpetuo vendites, quod ſemel atque iterum videris. Quod ipſum, quia fatetur Sylvius in *Depulſ. Cal.*17. miror ſaltum voluiſſe facere tam inſignem! In noſtris, inquit, hominibus, ex corrupta ſterni longitudine, prior quoque τῆς ἀζύγου origo, ſtatione relictâ, nunc cor ipſum tranſſiliit. Eſt hæc quidem non obſcura veritatis confeſſio : ſed reverà factum ipſum non eſt diſſimile Tragicorum illi, cùm mentiendo vlteriùs progredi non poſſunt, introducunt θεόν τινα ἀπὸ μηχανῆς. Interim cum Riolano dico, ex *l. Quod Opt. Med.* Nihil eſt mutatum in
Natura, idem eſt cœlum, iidem ſunt homines &c. Hac de re legeris etiam D

 quædam

quædam apud Henerum, Sylvij antagonistam. Imò, si otium tibi molestum est, apud Puteum quoque *Apol. l.3. ext.* vt & Cuneum *Antapol. f.78.* Dabit quin etiam non prorsùs contemnenda Dunus *l.2. de Revulſ. & deriv. c.4.* quà contra Altimarum. Tu verò habe tibi quoque hoc ἐπείσαγμα, *Vt plurimum*, est ἄζυγος. Vide Iasolinum *quæst.2.f.23.b.*

CAPVT LXIV.

An valvulas habeat?

A AMatus (aliàs Ioan. Rodericus de Castello albo,) 1. *Cent. Cur.* 51. refert illas in autorem Cananum, qui viderit in duodecim cadaveribus humanis, totidémque brutorum. At Fallop. 3. *Obſ.* 3. ait, Falsas quidem esse illas: Cananum autem studiosè imposuisse Amato. Sed quei vel potuit, vel voluit in tot cadaveribus? Quin Vesal. in *Ex. f.* 83. affirmat, Cananum Ratisbonæ seriò id sibi dixisse. Idem, referendo se ad 3. *Magn. Op.* 4. *ext.* deceptionem inde ortam fuisse ait, quòd, vbicunque divisio venarum est, corpus venæ sit crassius, ídque roboris gratiâ. Cui quò minùs acquiescam, Riolanus facit 3. *Anthrop.* 8. vbi vidisse se ait. Verumtamen idem negat deforis intrò spectare, vt Amatus describit: sed ex interioribus ad exteriora. Interim Eustachius, homo ad stuporem vsque diligens, *Antigr.* 11. magno cum risu excipit. An in quibusdam sunt, in quibusdam non sunt, vt pleraque alia? Eius rei argumentum sit, quòd idem Riol. modò tres vidit, modò duas, modò vnam. Imò ipsa ἄζυγος modò gemina est, modò prorsùs abest.

CAPVT LXV.

An desinat in Emulgentes?

FAllop. *l. c.* ait. Vesal. *in Ex. f.* 85. negat. Falloppio iungit se Eustach. *l. de Renum ſtruct.* 16. & addit, Aliquando in venam cavam, quà Emulgentes sunt, inseri. Hoc ipsum Riol. testatur *loco iam citato.* An heic iterum dici debet, neque in omnibus esse, neque eodem modo? Natura enim ludit. Paravij quidam meo tempore vulnus in thoracis capacitatem acceperat: sed evasit beneficio vacuationis sanguineæ per vrinas. In hoc esse ἀναστόμωσιν hanc iudicabant Præceptores. Vide etiam Bauh. 2. *Theat.* 18. Iasolinum, *l. c.*

CAPVT

CAPVT LXVI.

Diuisio venæ-cavæ in summo pectore.

SÆpe miratus sum nostrorum hominum in hoc negotio mutuas criminationes, cùm Galenus ipse dicat *de Anat. ven.6. A.* non eodem semper modo dividi! Vesal. etiam *in Ex. Obs. f.*87. agnoscit lusus Naturæ. Licèt igitur verum sit, quod Fallop. scribit 3.*Obs.*4. In homine, & iis animalibus, quæ claviculas habent, humerariam oriri ab axillari seu subclavia, & non à iugulari externa; in iis, quæ claviculas non habent, non ab axillari, sed à iugulari externa: tamen non est hoc adeò perpetuæ veritatis, quò minùs in homine quoque aliquando sit à iugulari externa. A

In tale igitur cadaver qui inciderunt, ita determinârunt nobis venas in cubito secandas, vt in capitis quidem affectibus secetur humeraria externa, quam Cephalicam dixerunt: in hepatis autem, interna quam Hepaticam seu Basilicam. Postquàm autem innotuit frequentius esse illud, Vesal. 3. *Magn. Op.*15. proposuit vtrumque, & imitatus est Bauh. 2. *Theat. tab.*6. Apud eundem veritas est *tab.*7. ex Valverda *l.*6. *tab.*5 *fig.*10. Hoc memini nos docere prolixâ oratione, δεικτικῶς, advocatis eam in rem etiam Chirurgis vrbis, præfatum D. Bauh. in publica anni 1605. anatomia. B

Verumenimverò quia fieri potest, ceu dixi, vt in homine quoque sit à iugulari externa, Cephalica dicta; imò quia Vesal. *in Ex. l. c.* vidit ex iugulari descendere ramum peculiarem in humerariam: nihil prohibet, imò satius est in affectibus capitis semper secare Cephalicam. Hoc ipsum non semel audivi de Ill. D. ab Aquapendente. Et hæc de humeraria: in iugularibus idem est lusus, & est modò exterior maior interiore, modò contrà: modò alterutra gemina est, &c. In progressu modò hoc est, modò illud. Ita Cervicalis modò in ipsum cerebrum ascendit, quod Vesal. vidit: modò non ascendit, quod Fall. & alij.

CAPVT LXVII.

De Arteriæ magnæ principio monitum, vbi de osse cordis.

CVm proximum sit principium hoc principio venæ arteriosæ, adeóque duo hæc vasa sint ita invicem implicita, vt quasi coalescant: mirum non est hanc cordis partem in quibusdam animalibus ita occallescere, vt vel cartilago fiat, vel os. Quare qui os cordis quærunt, hac cordis sede indagent. Quæritur, An in homine quoque sit os hoc? In quibusdam est, vt vel ex solo Riolano constare potest. An verò Galenus etiam tribuerit homini, A

mini, incertum esse potest. Vesal. 1. *Magn.Op.*20. & in *Ep. ad Roland,f.*53. id dicit. Sed profectò, si vllibi iniuriam Galeno fecit ille, heic fecit. Equidem non sine cura legi, quæ scribuntur 7. *Ex. Anat.* 10. *extr.* sed inveni orationem vniversalem, quam capere est de iis animalibus, in quibus vtplurimùm, vt in cervo.

CAPVT LXVIII.

Venam-cavam cum Arteria-magna in progressu iungi.

A Sive sursum eas, sive deorsum, videbis, truncos quidem vtriusque vasis, quamprimùm possunt, se coniungere: propagines autem parvas semper se iungere, vt in coronariis iam dictis, in intercostalibus, in phrenicis, aliquando in ἀζύγῳ ipsa, argumento certissimo, vnius nutritionis gratiâ conditum esse vas vtrumque. Non, inquiunt οἱ φιλογάλωοι. Vena cava nutritionem præstat: arteria magna vitam. Hei mihi quàm non volunt intelligere semidoctuli isti, hanc orationem esse similem illi, Da mihi gladium: da mihi ensem! Reverà enim non magis diversa sunt Nutritio & Vita, quàm Gladius & Ensis. Hoc probo ex Arist. qui ait *de Respir.*18. ἡ ζωὴ ἐστὶ μονὴ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς, quod explicabo ego, *Quamdiu durat anima nutritiva, tamdiu durat vita.*

B Hoc Ill. Scaliger diceret, *Vita est continuatio essendi.* Cùm enim cum florente nutritione floreat sensus, & motus; cum decrescente decrescant omnia animalis officia: quis non videt ab vna nutritione pendere ista omnia? Vos autem cùm distinguitis, quæstionem verbalem facitis realem: ne quis vestrûm hæreat, Vnam rem, duobus nominibus appellatam, discerpitis in duas, cùm hac persuasione, propter eà res esse diversas, quia nomina sunt diversa. Quin ergo sapitis vel tandem, nec ampliùs ridiculos vos facitis pueris in σκιπάτῳ versantibus!

CAPVT LXIX.

De nervis Cordis.

A Quos nervos Gal. 6.*Vs.p.* 18. & alibi, è sexto cerebri pari ad cor deducit, agnoscunt omnes, & fatentur simul, perinde se habere, vt in aliis visceribus omnibus, quibus satis est in extimam tantùm superficiem, seu potiùs in membranam viscus tegentem, non in ipsam substantiam sanguineam inseri, vt sola illa membrana sentiat. Qui autem heic peculiare quid tribuunt nervo, vt motum etiam cordi conciliet, delirant, nec opus habent aliâ refutatione.

Sed

Sed quid dicemus facere totum nervorum plexum, ex quinque propaginibus dicti sexti paris natum, quem Fallop. 4. *Obs.* 15. offendit inter Arteriam-magnam, & venam-arteriosam, quà vasa ista duo per tubum iunguntur? Hunc post illum nemo vidit, fortassis quia diligentia illis defuit! Tibi verò, ὦ χαριέστατε καὶ πολυμαθέστατε Riolane, vel inprimis hoc oneris incumbit, quia cadavera non desunt tibi! Sic, vbi τὸ ὅτι habuerimus, τὸ διότι inquiremus.

CAPVT LXX.

DE PERICARDIO, & primùm de origine ipsius.

INdistinctè quidem Gal. 6. *Vs. p.* 16. *B.* docet, Oriri à capite (quod basin aliàs appellat) cordis: at distinctè 7. *Ex. Anat.* 6. *B.* non oriri ex ipso cordis corpore, sed ex vasis. Hoc est, quod Vesalius ait 6. *Magn. Op.* 8. à communi vasorum tunica esse. Piccollom. 4. *Præl. Anat.* 2. his non contentus, Mediastinum advocat. Cui se iungens Riol. 3. *Anthrop.* 7. Sylvium 3. *Isag. Anat.* 17. autorem facit: Duplex cùm sit, inquit, interior membrana à tunica vasorum est: exterior à mediastino. Sunt subtilitates inanes.

A
* Locus est *de Fletu, c. vlt.* Hoc qui acceptant, addunt tamen partē potius illam, quæ per asperā arteriā destillat: & περίεργοι sunt, & deficiunt in ostendenda via. Vt de hoc dicam

CAPVT LXXI.

De humore contento.

IMprudenter illi, qui aiunt Galenum non meminisse eius. Non meminit in Anatomicis: at meminit 5. *Loc. aff.* 2. *B.* Et quei ignorare potuit, quod Hipp. noverat *l. de Corde?* Vide Claudinum 1. *Epist.* 39. Nodum in scirpo quærunt (inter hos est Th. à Veiga, *Com. in d. l. Gal.*) qui negant in viventibus esse. Excitârunt hi quosdam è nostris, qui in vivis Anatomiis viderunt.* Generationem eius iam alibi ex Iossio petij, qui ait, Esse partem seri illius, quod cum sanguine ad cor iit. Qua de re Riolanus etiam *l. c.*

A
priore loco, Ex asperâ arteriâ quæ via est in pericardiū? Sed & Arteria-venosa in sinistrū ventriculū cordis abit. Περιεργία consistit in eo, quòd, deserto certo, inquirūt incertum. Hoc multò verius dixeris de iis, qui faciunt partē spermaticam.

Hoc miror, obiicere illum populari Laurentio, non imperitiam tantùm, sed & impietatem, quòd scripserit, Aquam, quæ ex perfosso Servatoris latere effluxit, fuisse hanc ipsam! Memini enim Ill. D. ab Aquapendente dicere id ipsum pro lectione, sed cum protestatione, *Nisi aliud statuat Ecclesia.* Sed quis eius vsus? Humectare cor, dicunt penè omnes. Sed quomodo? Argutè heic Iasolinus, Principaliter, inquit, huic vsui dicatus est *Adeps* (non *Pinguedo*) qui circa basin cordis est: minùs principaliter humor hic, quatenus insinuat se adipi, & facit, vt minùs dissipabilis sit. Hoc probat hoc φαινομένῳ, Adeps hic, cùm ad ignem liquatur, crepat: ex alia corporis parte sumtus, non crepat. Locus est, *quæst.* 2. *s.* 24. *a.* & iterum, *quæst.* 3. *c.* 3. *extr.* Mihi placet, quia alludit ad sententiam meam, *fine Com. de Thor.*

CAPVT LXXII.

De PVLMONVM vsu.

A PVlmones cùm dico, intelligo totum hoc, Carnem, inquam, laxam & ſpongioſam cum intertextis vaſis triplicibus, quorum duo ex corde aſcendunt, Vena-arterioſa, & Arteria-venoſa; tertium ex palato per collum deſcendit, Aſpera-arteria cum Larynge, capite ipſius. Horum vſu svt rectè accipiatur, oportet ex ſuperioribus repetere quædam. Ignis animalis, vt Calidum nativum vocare Platonem dixi, vult & debet refrigerari. Refrigeratio hæc fit dupliciter, per ἀναπνοὴν καὶ διαπνοὴν. Διαπνοὴ per Arterias fit totius corporis, quarum actio *Pulſus* dicitur. Hæc actio merè eſt naturalis, quatenus apud Gal. quoque Cordis actio eſt naturalis, *6.Vſ.p.18.B.* & ſæpe alibi. *Reſpiratio* etiam naturalis actio eſt, quatenus iterum apud Gal. Cor eſt
B inſtrumentum reſpirationis, eodem *6.Vſ.p.2. E. Form.fœt.5. G.* at verò, quatenus Thorax etiam confert aliquid, animalis.

Atque heic interfari oportet, cùm Ariſt. Gal. alij ita loquuntur, intelligendi ſunt de vſu pulmonum primario, qui ſimpliciter ita dicitur, & competit omnibus animalibus, etiam piſcibus illis, qui pulmonem non habent, ſed analogum quid tamen, branchias dictas: at verò, præter hunc vſum primarium, alium habent pulmones (cum áſpera arteria conſiderati: hæc enim duo viſcera ſimul ſunt, & non ſunt, *8.Vſ.p.1.C.*) eúmque ſecundarium, ad vocem tam inarticulatam, quàm articulatam, quæ ſermo ſeu oratio eſt, Græcis διάλεκτος. Niſi fallor (tacent enim heic omnes) reſpiratio non potuit eſſe merè naturalis propter ſermonem, ſed iniecit DEVS opt. max. Naturæ quaſi frenum quoddam, cuius beneficio poſſit vox & ſermo intendi & re-
C mitti. Et eátenus accipio ſimilitudinem, quâ Gal. vtitur extremo fragmenti *de Cauſ.reſp.* Voluntatem in reſpiratione habere rationem equitis. Simpliciter enim accipi non poteſt, vt demonſtrabitur *infrà*, cùm de reſpiratione agetur. Sed neque nervi cum habenis comparari poſſunt, vt dixi: neque muſculi cum equis.

Cæterùm, ſi Gal. conſtans fuiſſet in ſententia, reliquiſſet (dico) Cordi maieſtatem ſuam, & præcipuè heic, ſiviſſet reſpirationem penes cor: minùs laboraremus. Poſtquàm autem pleriſque locis aliis, quæ inſpiciemus ibi, vbi dixi, reſpirationem iuſſit eſſe animalem, adeóque confidens fuit eâ in aſſertione, vt demonſtrationem iactaret *3.Loc.aff.7. GG.* multa turbavit. Huius rei initium ſtatuam heic, facto novo exordio.

CAPVT LXXIII.

De eorundem motu.

EX hoc negotio nemo hominum se extricaverit, nisi hoc præhabito: Qualis actio, talis motus. Si enim hypothesi Arist. inniti voluerimus, vt par est, pulmonum motus prorsus naturalis erit. Sed quo modo? Cùm, vt non ita pridem locutus sum, anima heic sit in ipso actu, ideóque Calidum, sedes ipsius, perpetuò ebulliat, postquàm tribus aut quatuor ictibus pulmonis venæ (loquor cum vulgo Medicorum) repletæ fuerint, & in eum tumorem elatæ, vt neque capere ampliùs quid possint, neque in maiorem tumorem efferri: cogitur thorax se dilatare, & emittere calidas illas fuligines. Tum verò ratione vacui, quod Natura ferre non potest, cuius violentiâ nulla maior reperitur in tota rerum natura, vt loquitur alicubi Aquapendens meus, constringitur iterum, aërémque admittit. Et hoc fit alternatim, quamdiu animal vivit. A

Hinc intelligitur ordo, quem Natura servat. Cor est primum agens, adeóque est Natura quædam, vt semen, à qua tota actio meritò habet nomen. Secundum est pulmo, qui necessariò sequitur motum Cordis. Tertium est thorax, qui non minùs violenter movetur ac pulmo, quatenus, inquam, respirationem nemo cohibere potest, vt Galenus loquitur 3. *Off. Med.*36. *E.* Iam ergo, si comparare libet, Pulmo dilatatur, quia impletur, non secus ac saccus, aut vter aliquis: idem concidit in se ipsum, quia depletur, iterum vt saccus aut vter aliquis. B 3.*Aph.*23.

Et ita apud Arist. se habet res: apud Gal. contrà. Motûs enim initium à thorace est, qui elevat & dilatat pulmonem, vt coactus admittat aërem: & vicissim idem thorax deprimit pulmonem, vt eundem aërem reddat. Quamobrem iam hic ordo erit, per simile explicandus. Thorax proportione respondet manui fabri, quâ faber dilatat seu aperit follem, cui folli proportione respondet pulmo, vt aër ingrediatur. Et iam pulmo impletur, quia dilatatur, contrario prorsùs modo ac ibi. Hoc legere poteris *l. de Vocal. instrum.*8. *l. de Præcogn.*5. *ext.* Iam vter modus motûs est melior? Prior omninò. Ex illo enim causa peti potest refrigerij cordis: ex hoc ne attingitur quidem. C

Hinc Gal. 7.*Vs.p.*9. *E.* vnius huius motûs cogitur facere duo principia, quorum aliud à natura sit, aliud ab anima. Et 5.*Loc.aff.*1.*C.* respirationis causam non à corde tantùm petit, sed & à cerebro. Vbi ego, Si vnius huius motûs duo sunt principia, quidni mistus potiùs est motus quàm simplex, veluti excrementorum alvi & vesicæ depositio, 2.*Mot.musc.*8. *A?* Tu verò, qui tamen adhærere vis Galeno, si non heic agnoscis claram Adrastéas vocem, surdaster es. Si ne ambages quidem, quibus vtitur cliens tuus 2. *Mot.* D

musc. 6. E. 2. Aph. 42. τὸ πάθημα τοῦ σώματος causatus, nec non χρείαν τῆς ἀναπνοῆς : iam etiam malè audis apud me. Vide *infrà cap.* 324. & 28.

CAPVT LXXIV.

Excusatio Aristotelis.

MAgnus quidam vir cùm sententiam Philosophi elicit ex 3. *Part.* 6. ibi, τοῦ δὲ ἀναπνεῖν, &c. & concludit his verbis, *Itaque pulmo sequitur motum cordis; thorax verò motum pulmonis:* rectè facit. Rectè etiam cùm eandem stabilit autoritate Aretæi, 2. *Acut.* 1. At verò cùm tanquam diversam proponit illam, quæ est *de Resp.* 7. αἴροντες γὰρ τὸν τόπον, καθάπερ τὰς φύσας ἐν τοῖς χαλκείοις : minùs rectè. Neque enim in Gal. opinionem concessit: sed simpliciter dixit, comparatione cum follibus factá, Quemadmodum folles emittunt aërem, cùm post elevationem concidunt: ita thorax facit respirationem.

CAPVT LXXV.

De lobis pulmonum.

VT paucis me absolvam, Omnes damnant Galenum, qui 7. *Vs. p.* 2. 4. 10. & alibi, diviserit pulmonem humanum in quinque lobos, & præcipuè de quinto quòd scripserit, fuisse factum propter tutelam venæ cavæ ascendentis. Solus ad latus illi adsistens misellus Achates, Puteus *Apol. l.* 5. *f.* 153. *b.* visum sibi ait quintum illum lobum in Carolo IX. Sabaudo. Dicere enim oportet, non minùs monstrosum hoc fuisse, quàm hepar in quatuor lobos divisum.

Imò Iasolinus, *Quæst.* 2. *f.* 23. *b.* in pulmone vidit septē lobos, & in hepate quatuor.

CAPVT LXXVI.

Quo sanguine alantur?

OMnes partes nutriri vtroque sanguine, venoso & arterioso, scripsi *suprà*: nec muto quidquam. Hoc repeto tantùm ex *Com. in* 6. *Vs. p.* 15. sanguinem, quo pulmo nutritur, nec ampliùs venosum esse: nec tamen rectè dici arteriosum. Venosum non esse indicant πλεονεκτήματα illa, de quibus *cap.* 54. Arteriosum esse nemo dixerit, cùm arteriam magnam non attigerit. Est igitur mediæ naturæ. Huius meæ opinionis socium cùm repererim his diebus amicissimum olim virum, D. SPIGELIVM 9. *Anat.* 8. volui heic

vnguem

vnguem inprimere, & monere, Licere, sempérque licuisse proponere in medium, quid sentias.

CAPVT LXXVII.

An sentiant?

QVod de cordis sensu dixi pronuper, dicendum heic quoque fuerit. Cùm enim huc quoque nervuli ex sexta cerebri coniugatione veniant perexigui, & quidem in ambientem tunicam duntaxat: aut non sentiunt, aut parùm. Si vis apud Gal. legere, vise ad 7.*Vs.p.*2. 3.*Progn.*30.*B.* 1.*Diffic.resp.*12. *A.*2. *Loc.aff.*3.*C.* 4.eiusdem 8.*A.H. de Pleth.*4.*D.* Si placet, Rorarium adde *Contrad. Gal.*116.

CAPVT LXXVIII.

De ASPERA-ARTERIA.

CVr cartilagines superiores, quà indivisa est, & œsophago incubat, sint σιγμοειδεῖς, veram causam dixisse puto Gal. 7.*Vs.p.*4. At ῥομβοειδεῖς ferè cur sint, quæ in ipsa pulmonum substantia, etiam postquàm compertum hoc fuit, nemo dicere aggressus est, solo excepto Ill. Riolano, qui 3.*Anthrop.*11. propter faciliorem motum id factum esse venustâ oratione comprobat. Huic videor mihi credere.

CAPVT LXXIX.

De LARYNGE, & primùm de substantia ipsius.

IMmota & inconcussa debet esse veterum sententia, Cartilagineam esse. Licèt enim dari possit Columbo *l.*2. *c.*5. ossescere in quibusdam in ætate provectiore: non tamen ob id ossea dici debet. Et Fallop. quidem 1. *Obs.*16. distinctè docet, quibus in cartilaginibus præcipuè id fiat: at Vesal. in *Ex. f.* 34. valde indignatur. Vide D. Bauh. 3. *Theat.*92. *in marg.*

CAPVT LXXX.

De numero Cartilaginum.

TRes ſunt reverà apud Gal. quoque 7.*Vſ.p.*11.*A.*& alibi. Primò, θυρεοειδὴς (non θυροειδὴς,) *ſcutiformis.* Secundò, κρικοειδὴς, *anularis.* Quibuſdam *Innominata.* Tertiò, ἀρυταινοειδὴς, *gutturniformis.* At quidam faciunt quatuor? Primam ſeu ſcutiformem ſecant in duas, vt etiam ſunt. Sed abſque hoc vnde ſunt quinque, cùm tribus additur Glottis, & Epiglottis? Dicam, quod ſentio, Ex ambitione. Cùm enim, quod ipſimet fatentur, Glottis ſit proceſſus tantùm tertiæ, ſeu gutturniformis: quei poteſt haberi pro peculiari cartilagine? Maior ratio eſt in Epiglottide. Sed tamen quia fatentur ipſimet, proceſſum eſſe primæ, ſeu ſcutiformis, moneri hoc debebat tantùm, non autem fruſtra creandæ diſcentibus moleſtiæ.

At Gal. *l. de Voc. inſtr.* 4. ſeparat à cartilaginibus laryngis?

CAPVT LXXXI.

De muſculis.

COlumbus *l.*5.*c.*14. ſuper his accuſat & Galenum & Veſalium. Fallop. 2. *Obſ.*11. vt & Veſalius *in Ex. f.*55. defendunt Gal. Idem facit Bauh. 3. *Theat.*93. An variat aliquando Natura, vt in aliis quoque? Planè puto. Nam & vox mirificè variat. Accedit exilitas, quæ Lyncea etiam fugerit.

CAPVT LXXXII.

De nervis recurrentibus.

VAlde operoſus eſt Gal. 7.*Vſ.p.*14.*&* 15. in deſcribendo hoc ſuo invento: ſed in afferenda cauſa friget. Hoc iudicium eſt, non meum, ſed Ill. D. ab Aquapendente, *part.*3. *cap.* 10. *de Voce.* Inquit enim, Comparatio cum Gloſſocomio valde propria, exactáque eſſet, ſi nervi vt funes moverentur: ſed cùm in motu immobiles ſint, rivi videlicet duntaxat, muſculis vim motoriam deferentes &c. Dic tu ergo cauſam, inquis. NON LIQVET, quemadmodum de toto illo negotio, Cur in vtrumque ventrem inferiorem ex cerebro tam longè diſtante nervi veniant, cùm ex vicina medulla ſpinali commodiùs ferri potuerint? Vide ampliùs *cap.*209.

CAPVT LXXXIII.

De vsu laryngis.

VOcis instrumentum esse, idque primum, proprium & principalissimum, A
vera & constans est Gal. sententia 7.*Vs.p.*7.*C.* & *ibid.*11.*B.*8.eiusdem 1.*C.*13 eiusdem 6. *C.* 16. eiusdem 4.*A.*2. *Sent. Hipp.*4. *F.L.* 6.*San.tu.*9.*B.* & fortè *alibi*. Nec obstat, quòd 7.*Vs.p.*13.*A.*1. *Loc.aff.*6.*C.* tribuit id τῇ γλωττίδι. Nimirum, ita legendum esse loco τῇ ἐπιγλωττίδι, post Rondeletium monuit Riolanus noster 4.*Anthrop.*11. Insolens enim non est apud primæ notæ Anatomicos, vt actio, quæ totius instrumenti est, tribuatur parti principi. Ita, oculus videt: imò humor crystallinus videt! Vide *Notas in de Loc. aff.*

Quid igitur in mentem venit eidem Riolano, cùm ait *l.c.* Γλωττὶς, non edendæ vocis, vt Galenus voluit: sed potiùs modulandæ instrumentum est? Quin vtrumque facit. Edit vocem, quatenus princeps est: modulatur, quatenus mobilis est. Sed vnde est motus? Reliqui omnes indistinctè, A musculis: solus Riolanus noster distinctè & rectè, A Thyrearytænoide, qui musculus non tantùm circumiicitur illi: sed & partem constitutionis præbet, membranam dico illam densam, semper uvidam, subministrantibus tonsillis liquoris aliquid, ne in perpetuo motu exarescat. B

CAPVT LXXXIV.

De Glottide Galeni locus expenditur.

SCribit Gal. 7.*Vs.p.*13.*ext.* penè, τὴν γλωττίδα εἶναι σῶμα ὑμενῶδες, ὑγρὸν δὲ, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ σὺν τῷ γλίσχρον τέ πως εἶναι, καὶ λιπαρὸν, *esse corpus membranosum & humidum, sed humidum non simpliciter, verùm viscidum quodammodo & pingue.* Hæc laudans celeberrimus quidam Anatomicus, Galenum ait vocâsse corpus membranosum, adiposum, glandulosum. Et de priori quidem, vt ego colloco, bene habet: at vbi reliqua duo inveniemus? Nam τὸ γλίσχρόν πως, καὶ τὸ λιπαρόν πως de humiditate externa dicuntur, non de corpore. Sed neque quod *aliquo modo pingue* est, subitò est *adiposum*. Explicat enim se per τὸ γλίσχρον πως, *quoquo modo viscidum*. Prætereà expressè ad τὸ ὑγρὸν pertinet, non ad τὸ σῶμα, vt dixi. *Glandulosum* autem vbi est? An decepit illum Interpretum aliquis? Nam Græca, neque in codice Aldino sunt, nec in Basileensi. Iam igitur non opus est defensione, vera hæc esse de glottide porcina: vt neque alterâ, *fine cap.* quam non intelligo. A A.1.V.2. B

CAPVT

CAPVT LXXXV.

De Epiglottide, eiusdem alius locus.

NOn nego Galenum *7.Vs.p.16.B.* dicere, quod dicit idem vir magnus: sed quòd musculorum actionem omnem excluserit, hoc verò nego. Quod enim omnes homines in se ipsis experiuntur; quod in aliis deglutientibus & vident, & palpant, laryngem videlicet descendere: ídne ignorârit Galenus? Descensum autem illum laryngis esse aliunde, quàm à musculis, quis Corœbus negabit? Sive autem proprios habeat musculos, quod ait vir magnus; sive fiat motus à musculis laryngis, consequenter secum deprimentibus epiglottida: id magni momenti non est. Cæterùm, musculos proprios habere inficiari non possum, propter autoritatem & venerationem eorum, qui viderunt.

Propter easdem causas dico, non in brutis tantùm esse, sed & in hominibus. Quò magis miror alium quendam magni nominis Anatomicum dicere, Nullos in epiglottide invenies musculos! Tantò magis quòd interiectis aliquammultis philuris distinguit, Epiglottis in homine nullos habet musculos, vt in brutis! Tantò iterum magis, quòd in eodem vestigio inquit, Galenus, cæteris Anatomicis accuratior, epiglottidis motum naturalem esse iudicavit. Vbi locorum, mi homo, est illud Gal. iudicium? Et si in homine naturalis est: cur in brutis est animalis?

B — F 443. & 483.

Qui legis hæc, etiam (dic mecum) Heroës aberrant!

CAPVT LXXXVI.

De THORACIS partibus Continentibus, & primùm de PLEVRA.

COnsensum præbeo eruditissimo Riolano 3. *Anthrop.5.* ineptum esse quærere, vnde nascatur? Fit in prima conformatione, & continuatur cum aliis. Vnde rectè idem ex Theophilo, omnes omnium ventrium tunicas esse continuas. Interim concedi potest Galeno, inquit, vt deducat è vertebris dorsi. Pariter ineptum esse dico ego, disputare, Vnáne & simplex, an duplex, triplex? Simplex est, vbi costis insternitur: duplex fit, propagatâ vnâ ab altera, vbi Mediastinum dictum constituit. Sicubi triplex esse videtur, est periostium costarum, si ita loqui licet, ortum à musculis intercostalibus. Hoc propter Columbum dico, qui 11. *Anat.3.* valde insultat Vesalio.

CAPVT LXXXVII.

De STERNO.

NVmerum ossium sterni variare, non tantùm ratione diversorum animalium: sed & in singulis individuis pro ratione ætatis, sufficiat mihi monuisse solùm, cui propositum non est examinare istas minutias, quas sensus diiudicat. Si quis tamen velit, Vesalium adeat 1. *Magn. Op.* 19. & iterum *in Ep. ad Roland. f.* 52. Columb. *l.* 1. *c.* 20. *Fallop.* 1. *Obs.* 23. & harum *Ex. f.* 39. Eustach. *in Ex. oss. f.* 197. 200. 201. *&* 202. Sylvium & Henerum *Cal.* 7. Riol. *Com. in l. d. Oss.* 19. Ingrassiam, & quid plures commemorem?

CAPVT LXXXVIII.

De COSTARVM numero.

REctissimè scribitur 8. *Ex. Anat.* 1. *B.* τὸ λεῖπον σπανιώτερον τοῦ πλειστεύειν. *Vtplurimùm* (vult dicere) *costæ sunt* 12. *rariùs* 13. *rarissimè* 11. Quo igitur modo, cùm numerus vertebrarum respondeat numero costarum, *l. de Oss.* 9. *A.* dici potest contrarium? Rectissimè iterum tres Ill. viri, Costæus, Ingrassias & Riolanus vitium agnoscunt in *l. de Oss.* legúntque, τὸ λεῖπον τοῦ πλειστεύειν σπανιώτερον. Eadem correctio *in l. de Oss.* à me edito iam est: & esse debet 1. *Thor.* 2. licèt ab inepto scriba præterita. Vide Fallop. 1. *Obs.* 19. *&* 22.

CAPVT LXXXIX.

De articulatione illarum ad vertebras.

QVid variet in homine & simia, persequitur Vesal. *loco iam cit.* & *in Ep. ad Rolandum f.* 49. Hoc satis mihi sit indicâsse. De appendicibus costarum, vide *infrà cap.* 219.

CAPVT XC.

De MVSCVLORVM intercostalium dictorum substantia & vsu.

MVsculi quò minùs appellentur, non prohibeo: sed vsu etiam esse, hoc verò nego. Quin credo Arantio *Obs. Anat.* 34. *extr.* membranas

esse ligamentales, ad connexionem costarum & robur factas, non autem ad motum voluntarium, vti loquitur. Huius sententiæ etiam est Fallop. 2. *Obs.* 17. qui addit, Per accidens servire dilatationi. Cuius contrarium (servire scilicet contractioni) cùm doceat Vesal. 2. *Magn. Op.* 35. pertendátque *in Ex. dict. Obs. f.* 67. vt & *in Ep. ad Roland. f.* 161. vide, sodes, quæ sit mentis humanæ volubilitas! etiam in iis, quæ ad sensum pertinent! Vterque enim ad hunc provocat, & in demonstrationibus Anatomicis vrget. Quin cùm Gal. 2. *Mot. musc.* 6. *B.* assignet illis vtrumque officium: sunt ex nostris hominibus, qui id ipsum velint ad oculum monstrare! Hoc ideò præcipuè dico, vt adolescentibus persuadeam modestiam, quam ὄκνον Thucydides vocat.

Est etiam Riolanus 3. *Anthrop.* 1. & Bauh. *ex p.* 2. *Theat.* 11. *extr.* Cum Vesalio Rorarius est, *Cõtrad. Gal.* 98. Inter hos D Fabricius ab Aquap. *l. de Respir.* 10.

CAPVT XCI.

De fibris eorundem.

DVplices cùm sint, interni & externi, Gal. *de Mot. musc. l. c.* item *de Anat. musc.* 23. illis quidem tribuit exspirationem: his autem inspirationem. At *in Fragm. de caus. resp. C.* contrarium dicitur. Est quidem fragmentum illud non magnæ rei; sed nec Gal. est: tamen cum doctis mihi credere libet, vitium esse ibi actuarij, permutantis duo illa vocabula, ἐκτὸς, καὶ ἐντὸς, vt scripsi *Not. in eum locum.* Hac excusatione licèt honestissimâ cùm nollet vti Puteus 2. *Apol. f.* 86. ait, Ratione diversarum partium, & internos dici posse externos, & externos internos. Quarum tandem partium, ô putidissime? Sed parco operæ, & iubeo lectorem ex hoc vngue leonem. Cuneus, credo, ob id nec dignatur verbo, *f.* 51. vbi debebat.

CAPVT XCII.

De numero.

PRocul omni dubio deceptus fuit magnus Vesal. *l. c.* vt & Columbus, licèt autoritatem Gal. iuxtà & Avicennæ prætendat Ille, In quovis costarum spacio quatuor esse musculos, intercostales duos, & intercartilagineos duos. Reverà in singulis spaciis non nisi bini sunt musculi, quorum vnus ab inferiori costa ascendit ad superiorem: alter vicissim descendit, & faciunt fibræ ipsorum χιασμὸν. Et horum alter externus, alter internus dicitur. Hoc post Gal. *de Anat. musc. l. c.* primus docuit Fallop. 2. *Obs.* 17. & sequitur illum exercitatissimus in hoc genere Riolanus 5. *Anthrop.* 30. Bauh. 2. *Theat.* 7. repetitque *l.* 4. *c.* 6.

CAPVT

CAPVT XCIII.

De musculis externis.

FAteri necessum habemus, Galenum 5. *Ex. Anat.*3. non satis accuratum fuisse in describendis illis: interim laudandus in eo fuerit, quòd memor methodi 1. *Vs. p. 9.* propositæ, statim subiungit intercostales, secus quàm nostrorum quidam, qui sectionis ordinem secuti, multis parasangis separant. Eosdem quòd disiunxerit *de Anat. musc.*12. 17. *&* 23. excusabunt illum οἱ εἰζαγόμενοι, in quorum gratiam scripsit. Eorundem quòd vix meminerit 7.*Vs.p.*20.ratio est,quia *in libb.trib.de Caus.resp.*fusè de illis egerat.In rei veritate accuratio illorum Physico dignior est quàm Medico. Qui vult, videat, quid hodierni Anatomici dicant apud Bauh.4. *Theat.*6. inprimis Fallop.2.*Obs.*17.Vesal.*in Ex.f.*65.Spigelius 4.*Anat.*8.

CAPVT XCIV.

De DIAPHRAGMATE.

APud Gal. indubitatò musculus est, & quidem tam substantiâ, quàm vsu, 4.*Ex.Anat.*2.*C.* & *alibi.* Doctiss.Riolanus cùm 3.*Anthrop.*4.reiecisset ea, quæ dixerat, tanquam levia, inquit: A

——— *Maior rerum mihi nascitur ordo,*

de natura & motu diaphragmatis. Videamus igitur qualia sint! De natura ait primùm. An sit musculus partes aliquas movens? an potiùs membrana quædam carnosa, instar sæpimenti circumiecta? Quis heic non videt, quæstionem esse de nomine? Sed sit etiam de re: Annon membrana carnosa dicta est musculus quidam? in iis præcipuè animalibus, in quibus immediatè sub cute est? Annon in fronte hominis meretur etiam nomen musculi?

De motu ait secundò. Musculus est instrumentum motûs voluntarij, 1. *Mot.musc.* At diaphragmatis motus non est voluntarius. Hoc explicans ex Piccollomino, Voluntarium dicit esse duplex, alterum absolutè tale; alterum cum additione, *Si necessitas vrgeat.* Et huius posterioris ordinis est diaphragma, inquit. Dico, Non est alia illius conditio, quàm cæterorum thoracicorum omnium. Tantum enim movent, quantum per superiorem causam (Naturam ignis nostri) licet,& tantum etiam voluntati decedit.Movet igitur: interim & sæpimenti cuiusdam est,vt nomen cluet. B

Hinc intelligitur, cur circularis sit? Totus enim truncus, quem interstinguit, circularis est. Tertiò quærit, Vnus, an duo sint musculi? & dicit, Hic est vsus secũdarius: ille ad re-

S 2

ſpirationē, primarius. Claudit autem ſursùm quidem, vt aër totus maneat in thorace, & ſit materia vocis: deorſum autē, ne fumi ex culina turbent cor. Scheibius.

cit, Vnus eſt, quia vna eſt actio. Ego verò ſcire cupio, vndénam nata ſit ſuſpicio duplicitatis? Breviter, eſt ſubtilitas hominis craſsè errantis. Interim C hoc ſcire debet, nec diffitetur ipſus in ſeq. Eo modo vnam eſſe actionem, quo reſpiratio, quæ reverà conſtat duobus motibus, vt & pulſus. Mox graviſſimè accuſans Galenum ait, De ortu & inſertione diaphragmatis valde incertus eſt, modò in ambitu coſtarum collocat, modò in centro, nunc à lumbis emergere ſcribit, nunc à cartilagine enſiformi.

Equidem velim indicâſſet! Sed quia non fecit nolo, ego καρφολογεῖν. Præterea ſatis eſt, quod dicit, Veram eſſe ſententiam illam, & Hipp. conſentaneam *l. de Oſſ. nat.* itémque *de Anatomia*, A ſpinæ vertebris oriri. Intelligo autem de ortu tali, qualis in Pleura dictus eſt. Sed quid pro Galeno? Nihil refert, ſi alibi alios ſecutus aliud ſcripſit. Et hæc de ortu ſententia ſi vera D eſt, non poteſt difficile eſſe negotium de inſertione ſeu fine. Ortum enim ex loco ſtabili ſeu immobili, inſeritur in partem mobilem, coſtas, inquam.

Atque heic non poſſum non demirari ſupinitatem hominis, qui Ill. D. FABRICIO tam ineptam tribuat opinionem de ortu Diaphragmatis! Cùm enim ille *l. de Reſp.* 8. diſtinctè loquatur, Diaphragmatis principium eſt nervoſus circulus, quem paulò antè & medium & centrum vocavit; ſubiungat verò, Nihil intereſſe, ſi principium eius ſumamus à duobus proceſſibus carneis, qui vtrinque vertebris lumborum nectantur: quo modo miſcere poteſt ille, & virum magnum cogere dicere, quod non dicit, Oriri in centro, & apophyſibus nervoſis ad lumbos? Interim rem ipſam mirabor potiùs, E quàm refutabo. Cæteros quantumvis magnos, qui principium in medio ſeu centro ponunt, iubebo caput plorare. Neque enim ſi centrum illud albet inſtar tendinis, propterea tendo eſt. Et quo modo centrum attrahere poteſt, quod Riol. etiam vrget? Idem Riol. ait, Diaphragma eſſe muſculum in ſua ſpecie, ſive, vt ego loquerer, ſui generis, quales, inquam, muſculi recti abdominis etiam ſunt, quorum interſectiones nervoſæ poſſunt & ſolent dici tendines, qualis digaſtricus maxillæ inferioris, quales fortè alij.

Non minùs rectè comparat idem Riol. (ductu Gal. 1. *Mot. muſc. 3. extr.*) cum ani ſphinctere, cuius actio ſimilis eſt contractis crumenis. Quare, licèt paradoxon ſit, verum tamen eſt, Diaphragma eſſe in cenſu illorum muſculorum, qui ſine tendine movent. Motus hic cùm nihil aliud ſit quàm con-F tractio coſtarum, iam conſtare poteſt Riolano de ſpecie & qualitate motûs, vt non ſit opus fluxu & refluxu illo, quem meditatur. Conſtare etiam Veſalio poteſt, quod ſit officium diaphragmatis in motu thoracis? Huic enim ſervit tantùm, nec vllo modo flabellum eſt ventris ſeu abdominis. Sed nec indiget abdomen tali officio. Conſtare quin etiam illis poteſt, qui ambigunt, Inſpirationi, an exſpirationi ſerviat? Inſpirationi ſervire nullátenus poteſt, quia motus fit dilatato thorace, & aërem intrò recipiente. Igitur exſpirationi, per quam compreſſo thorace aër cum fuliginibus è corde expreſſis pellitur. Conſtare tandem de eo quoque poteſt, Vnde ſit irrequietus ille

Diaphragmatis

Diaphragmatis motus? A natura Ignis nostri, vt dixi. Hinc enim respiratio est actio mista ex animali & naturali, vt partim dixi, partim dicetur suo loco. Huius rei ignoratio peperit pleraque iam dicta absurda: imò multò plura.

CAPVT XCV.

De foraminibus Diaphragmatis.

SCribit Gal. 5. *Ex. Anat.* 8. *C.* & confirmat testimonio Hipp. *E.* Diaphragma non nisi duo habere foramina. Hoc cùm negâsset Vesal. 2. *Magn. Op.* 35. & tertium addidisset: valde id indignatur Puteus *l.* 2. *Apol. f.* 87. Sed ita est, vt definit modò laudatus Ill D. FABRICIVS *l. de Resp.* 8. duo reverà sunt foramina, per quorum alterum in dextro latere Vena cava descendit, ni tu mavis ascendit: per alterum in sinistro œsophagus, cum nervis ad os ventriculi repentibus. At tertium, quod Vesal. vrget, via potiùs est, quàm foramen, per quam viam Arteria-magna dorso incubans descendit in abdomen. A

Et huc ferè it quoque D. BAVH. 2. *Theat.* 11. Huc etiam Fallop. *in Inst.* cùm tria quidem foramina concedit: sed tertium pro fissura potiùs habet. At Columbus *l.* 5. *c.* 21. expresè negat hoc Vesalio, cuius sententiæ ego quoque sum. Cuneus etiam *Apol. f.* 51. rimam vocat tertium id Vesalij. Cæterùm errorem Gal. in foramine illo, per quod transit œsophagus, agnoscant plerique amicorum. An verò eidem affinis sit Hipp. valde dubito. Nam loca à Gadaldino, aut si quo alio, adscripta margini nihil tale præ se ferunt. B

CAPVT XCVI.

De actione distincta musculorum thoracis.

INiuriam Galeno facit Vesalius, cùm 2. *Magn. Op.* 35. ait, Non exposuisse illum Diaphragmatis officium. Imò verò exposuit, ceu dixi, 1. *Mot. musc.* 3. *ext.* Iniuriam etiam facit illi Riolanus, cùm 3. *Anthrop.* 1. voluisse dicit, Musculos intercostalium venire Diaphragmati in subsidium, adeóque motum illius sequi. Equidem vellem hoc illum scripsisse, quia verum esse puto! Ille verò longè aliter sensit. Vbicunque enim distinguit respirationem in liberam & coactam (2. *Mot. musc.* 9. *B.* 8. *Ex. Anat.* 3. *B. Ibid.* 5. *B. Ibid.* 9. *B.* 4. *Loc. aff.* 4. *D. Fragm. de Caus. resp.*) diaphragma quidem solùm ait facere liberam respirationem: intercostales autem coactam. A

Vide, quæ mox ex Vall. dicentur.

Quid? Si Riolanus tam certus erat de Galeni mente, cur *l.* 4. *c.* 30. & iterum *c.* 31. præficit, Diaphragma quidem solum liberæ respirationi: intercostales autem dilatationi & constrictioni thoracis? Imò, cur priori loco manifestè B

nifestè it in sententiam Vesalij, quæ est, Intercostales servire soli thoracis constrictioni? Fortassis igitur fatebitur Riolanus, se heic cespitâsse nonnihil, dum Veritatem dicit, sed nec constans est in vestigio, nec tribuit Galeno, quod debebat! Ita enim prorsùs se habet res. Diaphragma dum contrahitur in se crumenæ instar, necessariò secum trahit costas, musculósque inferiores, quo tractu thorax fit se ipso angustior.

Imò, Vall. *in 5. Loc. aff. 2.* vult, In respiratione libera moveri simul omnia intestina, idque ideò, vt cibi faciliùs descendāt. An musculos abdominis voluit dicere? Novi, cui ex dilatato peritonæo leviter protuberat intestinū in dextro latere, quod tamen facit respirationē densam cū pressura thoracis, nisi manu intrò pellat.

Dico iterum, Diaphragmatis motus sine motu inferiorum costarum ne imaginabilis quidem est. Propterea aio, Libera respiratio non fit vno illo Diaphragmatis motu: sed simul altero, quem edunt intercostales inferiores. Hoc ita esse, potest vnusquisque in se ipso experiri, appositâ manu thoraci C nudo. Quin nullam prorsus respirationem fieri sine motu thoracis, consensus est Practicorum. In apoplecticis enim & hystericis, in quibus nullus sensibilis thoracis motus ampliùs adest, aut pennam imponunt pectori, aut scyphum liquore aliquo plenum, vt certi sint, Num respiratio tota sit sublata?

In coactâ iterum sunt gradus. Aut enim thorax totus, sive omnium intercostalium musculi moventur: aut externi etiam dicti vnà cum scapulis, quæ respiratio iam est μετέωρος Hipp. Cùm verò etiam pinnæ narium agitantur, & abdomen simul trahitur, omnium gravissima est, quæque suffocationē in propinquo habet. Cæterùm in libera respiratione habeo consensum penè omnium Anatomicorum. De Riolano iam dixi. De Vesalio, Bauh. & Spigelio aliud dici non potest. Quin Fuchsius, Columbus, Laurentius, Platerus & Piccollominus vnanimiter dicunt, In motu diaphragmatis moveri etiam thoracem. Nimirum tanta est Veritatis vis, vt aliquando erumpat è pectore nolentis, & non sentientis. Et hæc quidem de Thorace hactenus.

CAPVT XCVII.

DE ABDOMINE, SEV INFIMO VENTRE, De vsibus.

A IAm *suprà* innui duûm generum heic partes esse, (hæ verò afferunt duplicem vsum) primóque loco agendum esse de iis, quæ Nutritioni serviunt, seu individuo. Vt igitur in Thorace principatum tenet Cor: ita heic Hepar. Cordis vsum vt valde concîdit Galenus, ita Hepatis nimis amplificavit, æquali vtrinque iniuriâ. Verum est, in Hepate fit omnis sanguis: sed non is, qui nutrire potest. Quod enim fusè demonstratum est, vt sanguis nutrire possit, non est satis elaborari in hepate: oportet etiam multò maxima eius pars ad cor transferatur, ibidemque ad summam perfectionem deducta, per arterias (quemadmodum alter ille per venas) in corpus totum, non didi tantùm, sed & per mutuas venarum & arteria-

rum

rum ἀναστομώσεις miſceri, atque ita tandem alimoniæ omnium partium aptum fieri.

Hoc quia novum videtur illis, qui omnem eruditionis penum in GALENO collocant, & qui nihil præter id, quod Galenus illos docuit, ſciunt: B oſtendam pervetera eſſe. Timæi *in l. de Anima mundi* hæc ſunt verba, concepta veteri Ioniſmo. Τροφὰ δὲ πᾶσα, ἀπὸ ῥίζας μὲν τᾶς καρδίας· παγᾶς δὲ τᾶς κοιλίας. Hæc ita interpretabor. *Omne alimentum, ſive omnis ſanguis, à corde quidem eſt, tanquam à radice: à ventre autem* (inferiore) *tanquam à fonte.* Q. d. Facit quidem cor omnem ſanguinem: ſed non facit omnem in ſe, nempe vtitur ventre inferiore tanquam penuario, aut potiùs culinâ, in qua fiat prima eius præparatio.

Editus eſt cũ Platonis operibus.

Et ne tu putes recentiora eſſe, quæ apud Platonem *in Timæo* leguntur, cape hoc in anteceſſum. Scribit Gellius 3. *Noct.* 17. Timonem ſillographum C inceſſiſſe Platonem, qui, cùm eſſet tenui admodùm pecunia familiari: emerit tamen multis talentis librum quendam Pythagoricum, è quo poſſet τιμαιογραφεῖν. Ita enim verſum emendat ὁ θαυμασιώτατος Lipſius 1. *Manuduct. Stoïcæ* 6. Hoc adeò dico, vt intelligas, è Pythagoræ ſchola eſſe dogma hoc meum. Is igitur Plato *in Timæo* ſcribit, *Cor vnà cum venis* (ſub quibus etiam arteriæ latent) *fontem eſſe ſanguinis, qui fertur continuò* (σφοδρῶς) *in omnes corporis partes. Dum enim ignis noſter* (ſubdit poſteà) *ſecat alimentum, ſimul quidem cum ſurſum lato interiori ſpiritu ſurſum it; ſimul autem venas* (ſub quibus ſunt arteriæ) *in illa ſublatione implet: tunc quæ iam ſecta ſunt ibi* (in ventre inferiori) *haurit, itaque in vniverſum animalis corpus, & omnes partes alimentum* (ſanguis) *influit.* Nimirùm hepar, adeóque vniverſa ſtructura inferioris ventris, eſt (vt *ibid.* ſcribitur) animali ὥσπερ φάτνη, *tanquam præſepe, è quo corporis partes alimentum petunt, non ſecus atque animalia è præſepi.* Si tibi libido cognoſcendi, quæ Attica illa Siren proprio ore dicit, invenies *Com. in 4. Vſ. part.* initio, vt & *in Variis l. c.*

Vide 6. *Var. lect.* 15. & 16. Adde, apud Athenæum *l.* 1.

D

equipollere τῷ ἀεὶ.

Conſentit Ill Cremoninus *de Orig. mẽbr. dict.* 18. quẽ laudo *Notis in 6. Sent. Hipp.* 8.

Platone vetuſtior Hipp. *l. de Corde*, non tantùm agnoſcit ἀρχὴν ἡγεμονικὴν, καὶ οὐχ ἡγεμονικήν: ſed & vaſa cordis vocat fontes & flumina, quibus irrigatur totum corpus. Hoc ſi ſatis tibi non eſt, adi Marinellum *in Com.* vt vocat, *quà de Corde*, vbi præcipuum locum invenies ex *l. 4. de Morbis*, qui planè hoc vult. Si ne hoc quidem ſatis eſt, plura dabit index P. M. Pini, itidem in *Cor.* De Ariſt. ſi dicere occœptem, ſoli meridiano videbor faculam præferre velle. Quando igitur Galenus E conſenſum ſeculorum penè octo rupit, & ad futilem de nomine quæſtionem traduxit, quid meritus eſt? Dicerem vno verbo, niſi te mallem dicere, ὦ φιλογάληνε.

CAPVT

CAPVT XCVIII.

Cur totum abdomen sit musculosum.

A PRoponit quidem Gal. problema hoc, & solvit 7. *Vs.p.21. extr.* sed meâ opinione aliter fuit formandum, hoc videlicet modo, Cur abdomen præ thorace, anteriùs quidem tam molle fuit, & malè tutum: posteriùs autem & ad latera tam sedulò tectum, pelvi scilicet osseâ illâ, quam ossi-sacro iuncta ossa tria efformant? Et mollitiei quidem reddit ille duas causas, quarum alteram puta posteriorem non accepto: alteram & prioremamplector, sed accommodo custodiæ quoque posticæ & laterali. Prior est, vt ad saturitatem vsque comedere possimus. Atqui, ô Galene, satietas vltra ventriculum se non extendit, & venit alimentum ad intestina, quæ maximum spacium mollitiei illius occupant, non nisi post aliquot horas. Præterea videtur mihi quàm longissimè hoc abesse à sapientia Naturæ, consulere velle ingluviei. B Venter moratus, vt Seneca vocat, & qui idem secundùm naturam se habet, non appetit plus quàm concoquere possit. Id verò intra mediocritatem est. Et alioquin hæc ratio videtur concludere velle, Eos magis secundùm naturam vivere, qui saginæ ita sunt dediti, vt illis

Imò Natura videtur hoc nolle, cùm ventriculi magnã partem sub costis abscondit.

—— *propenso sesquipede exstet Pinguis aqualiculus,*

seu Persius Flaccus canit. In vniversum, Natura servit actionibus, non autem intemperiebus humanis. Quamobrem ita censeo, propter generationem factum esse, quidquid factum est. Molle, inquam, anteriùs est abdomen, vt in gestatione fœtûs extendi possit: solidum & firmum posteriùs & ad latera, & quidem cavum instar alvei cuiusdam, vt fœtus in osseo illo fornice maximè tutus sit ab iniuriis. Hoc expresè docet Gal. 14 *Vs.p.3.B.* Ad fœtûs augmentum factum esse tale abdomen, vt sine molestia extendi possit. Hoc ipsum quasi digito ostendit Natura, cùm fornicem illum in mulieribus longè ampliorem fecit, quàm in viris. Interim ossa illa habere vsus etiam alios, non nego.

CAPVT XCIX.

De ABDOMINIS partibus contentis, iis, quæ nutritioni sunt destinatæ, & primùm de HEPATIS vsu.

A IAm quasi præoccupans dixi, Quid & quantum faciat Hepar ad nutritionem? Facit quidem omnem sanguinem: sed qui nutrire non potest, nisi informatus, vt sic dicam, à corde. Hoc si Arist. non docuit totidem verbis,

verbis, parum id est. Indiget enim potiùs benigno interprete, & quidem ex Naturæ libro, quàm severo Rhadamanto. Quid Galenus? Iam id quoque dixi, collocat hepar in sellam regalem, proximam cordi, adeóque mandat illi omnem nutritionem, nihil operante corde. Quod cùm nimis lautum sit, & (quod peius est) introducat in corpus πλυκοιεχνίαν, *vno verbo, plures vnà animas:* iure dimittimus illum. Dimittimus verò ideò quoque, quia in vestigio constans non est. Multis enim locis docet, nutritionem fieri misto inter se vtroque sanguine, venoso & arterioso. Hæc res quia *infrà* discutietur, non est heic opus aliis. Argumenta Gal. pro hepate cum suis re- B
sponsionibus, si vis, habes *suprà.* Quin dabit quoque *Com.2.de Thor.23.* Quibus pellectis si fortè fiduciam habes in Oddi Apologia, iam hoc tibi prædico, Illum *l.2. à c.8. vsque ad* 17. inclusivè, numerare tantùm Gal. rationes: sed præterea NIHIL.

CAPVT C.

Qualem sanguinem faciat Hepar?

NIl dubito, *In suo genere perfectum.* Hoc in gratiam Galeni probo ex A
ipsomet Arist. Docet is 2.*Gen.6.* sanguinem esse duplicem, quorum ille quidem πρῶτος sit, καθαρώτατος καὶ πεπεμμένος, *primus, purissimus, excoctus, similis pani purissimo, quo paterfamiliàs vescitur:* alter χείρων, *deterior, qui comparandus sit cum pane furfuraceo, quo famulitium, & socia animalia.* Idem 3. *Hist.3.* docet, pro duplici sanguine factum esse duplex vas, quorum alterum sit ὑμενῶδες καὶ δερματῶδες, *membraneum & cutaceum,* quale est *Vena* nobis dicta: alterum σφόδρα νευρῶδες, *valde nervosum,* quale est *Arteria* hodie dicta. Huc facit (quamvis eius rei alia causa sit) quod 3. *Part.5.* scribit, propterea esse duplex vas, in vnoquoque latere B
vnum, vt animal, quod duplex est, rectè nutriri possit. Nisi fallor, expressa sunt illa ex *l.de Corde,* vbi (vt nuper dixi) τροφὴ alia est ἡγεμονικὴ, alia οὐχ ἡγεμονικὴ, qua de re videri potest Bonamicus 1. *Alim.16.* Iterum Philosophus *l.de Somno c.3.* agens de sanguinis in hepate & liene confectione, μεταβάλλεσθαι ait καὶ ἐξαιματοῦσθαι. Quo loci τὴν μεταβολὴν esse *alterationem perfectam,* ostendit ἡ ἐξαιμάτωσις, per quam explicat. Τὸ ἐξ enim auget significationem apud Gal. 1.*Prorrh.8.* Et Eustathius *in Homerum* scribit, significare ὕψωμα.
Vide 5.*Var. lect.25.* Quid igitur Accorambonus nobis molestus est, *Notis in* C
l.c. de Somno, Non esse sanguinem, qui fit ab hepate, quod in corde perfectionem nondum adeptus sit: sed materiam sanguinis futuri, humorem rubeum & tenuem? Eidem culpæ affinis est Cæsalp. qui 5.*Perip. quæst.2.* sanguinem maternum, qui crudiusculus est (& quidem propter finem) non vult appellare sanguinem, sed pituitam. De hoc plura alibi.

CAPVT CI.

Quæ ſit pars princeps in hac ſanguificatione?

A VAlde operoſus eſt Galenus 4. *Vſ.p.*12. *C.*7. eiuſdem 2. *Ibid.*8. *E.*6. *Ex. Anat.*11. *B.*6. *Sent. Hipp.*8. *H.* in eo, vt probet, Carnem hepatis eſſe propriam ipſius ſubſtantiam, ſeu proprium corpus, quod nihil aliud eſt, quàm pars princeps, per quam hepar ſanguificet. Ego primùm illud miror, Quo modo caro poſſit facere ſanguinem, ſiquidem non contingit! Nondum enim vidi, qui auſus ſit dicere, Chylum in hepar traductum excidere è vaſis in carnem, iterúmque recipi ab iiſdem, poſtquam ſanguis eſt factus. Deinde, quo modo infimus carnis vſus, qui eſt, eſſe δίκην σοίβης, *tomenti inſtar*, & cauſa ſine qua non, poſſit præeſſe operi tam præſtanti!

Tertiò, vrgeo illud, quod Th. à Veiga *Com. in* 5. *Loc.aff.*6.*f.*446.*b.* Non habet locum in omnibus methodus illa Galeni, indagandi partem principem.
B In quibus habeat, didici primùm ab Ill. D. ab Aquapendente, ſed legi poſteà apud alios quoque. Oportet, dicebat Ille, diſtinguere actiones eas, quæ eduntur à multis partibus, ſive, vt Gal. loqueretur, quæ non fiunt vno ictu, ſubitò: ab iis, quæ ab vna parte perpetuò, v.g. viſio ab oculo. Ita veſtis non fit ab vno ſartore, ſed opus eſt multis aliis opificibus, quorum ſinguli agunt κατ' ἐντελέχειαν, *quantum quiſque poteſt*, hic lanam præparat, ille net, alius texit, rurſus alius colore hoc, illóve imbuit. Ita ſanguinem, qui nutrire poteſt (in hoc enim cardo rei vertitur) non facit ſolum hepar: ſed opus eſt
C ventriculo, liene, veſicâ vtraque, renibus &c. Propterea, ſi quæſtio ſit de parte principe huius effectûs, ſanguinis, devenire neceſſum eſt ad Calidum-nativum, vt probâſſe me confido *l. de Humor. c.*15. Iam hoc addo, Vbicunque Philoſophus loquitur de hac re, ait, Cor (intellige, quod ſedes eſt Calidi) πέττειν: reliqua viſcera βοηθεῖν πρὸς τὴν πέψιν, *Coquere, Coctionem iuvare.*

CAPVT CII.

De anaſtomoſeſi Venarum in hepate.

A ITa quidem loquor cum Galeno, & iis qui ad veritatem nondum aſpirârunt: ſed longè aliter ſentio. Reverà enim errat Galenus, & errant cum eo omnes, quicunque Venam-cavam ita à Vena-portæ diſtinctam eſſe volunt, vt opus ſit ἀναστομώσει mutuâ: quin eſt vnum & continuum vas, quod in ſimis quidem hepatis Vena-portæ dicitur, in gibbis autem Vena-cava. Et quia illa, quæ ſuperſtruit Gal. 13. *Meth.* 17. *A.* & *ſeq.* 2. *ad Glauc.* 2. *K.*6.

Loc. aff. 4. *L. de vsu medicamentorum*, si vel sima, vel gibba sint affecta, ventilavi superiùs, quà de Venarum origine: dicam nunc tantùm de hominibus nostris. Horum duo sunt exercitus, quorum alter satis densus est: alter rariusculus. Plerique omnes iactant obscuritatem negotij, & contenti sunt falsâ Vesalij figurâ, quâ Venam-portæ exhibuit, rati Venam-cavam eodem modo, quo hæc ascendit, descendere. Et hi omnes imaginantur sibi, pingúntque, quod nunquam viderunt: imò, quod in rerum natura non est. B

Cæteri ausi sunt magnum & memorabile facinus, separandi carnem hepatis à venis, vt oculis vsurpari possit cohæsio naturalis omnium, Vmbilicalis, Cavæ & Portæ. Horum quatuor mihi comperti sunt. Primus, nisi fallor, fuit Ill. D. FABRICIVS ab Aquapendente, quem æmulati sunt tres ipsius discipuli, D. CASP. BAVHINVS, D. IVLIVS CASSERIVS, dictus vulgò PLACENTINVS, à patria, & D. ADRIANVS SPIGELIVS, qui ipsi partim præceptores mihi fuere, partim amici.

Et Fabricius quidem nihil de ea re vulgavit ante editum tractatum *de Formato fœtu*, quod factum est (vt meus præfert codex) anno 1625. at Bauhinus dicit, se circa annum 1580. incepisse publicè demonstrare in Academia patria. Idem & voce & pictura declaravit, primùm quidem extremo libri *de Partibus similaribus*, editi 1592. posteà autem 1. *Theat.* 44. editi 1605. Reliquorum duorum labores, Casserij, inquam, tabulas industriosissimas iuxtà & elegantissimas: Spigelij opus Anatomicum, è larariis defunctorum depromsit discipulus olim meus, DD. DANIEL BVCRETIVS (quem vtinam fata nobis non invidissent!) 1627. In his omnibus hoc desidero, quòd nemo illorum, vel se autorem nominet, vel alium. Sed parum hoc esto: vehementissimè miror, quòd omnes ad nauseam vsque inculcent divisionem in Venam cavam, & Portæ, cùm tamen fateantur, esse ramos quosdam, qui neutram illarum attingunt! C


Cass. *tab.* 8. *fig.* 2. Spig. 8 *Anat.* 12.

D

Non minùs miror, quòd, cùm videant esse vnum & continuum reticulum, tantoperè soliciti sint de anastomosesi! Non nego esse, & quidem duûm generum, vt *suprà* quoque *cap.* 55. in Vena-arteriosa, & Arteria-venosa: hoc vrgeo, non possunt referri omnes, ipsismet fatentibus, ad hæc duo extrema exstantia, licèt non ignorem, quosdam etiam Vmbilicalem iungere. De diligentissimo alioqui Riolano hoc in specie noto, Non meminisse illum inventi huius præclarissimi, & hecatombâ digni, cùm multa reiicula, qualia sunt illa, quæ ex aruspicum libris, afferat, quædam etiam falsa, quale illud ex Gal. de diversitate medicamentorum, affectis vel simis, vel gibbis hepatis. Poterat enim vel ex Bauhino discere, ramos quosdam, pro Portæ particulis habitos, pervenire vsque ad gibba; & contrà quosdam pro Cavæ germinibus, ad sima. E

Hac de re vt certi essent auditores mei, iussi eos, quos videbam promtiores esse ad hæc studia, accipere hepar vitulinum, & primò quidem tribus extantibus vasis alligare tria fila diversi coloris: deinde verò aversâ cultri

parte, aut etiam ex ligno parato tali instrumento, bene sensim abradere carnem, habentes simul spongiam cum aqua, abstergendis iis, quæ abrasa essent. Hoc modo paratum reticulum hepaticum circumferebant quidam chartæ alligatum, quo modo plantas exsiccatas servamus. Hanc in rem quia opus est multâ patientiâ, consulam mollicellis duobus modis. Altero, exhibebo illis picturam D. ab Aquapendente ex *l.* iam dicti *tab.* 8. *fig.* 18. & 19. Altero, exponam breviter Venarum originem & nexum ex Naturæ libro.



F Venarum initium & progressus ita habet. Cava dicta è dextro cordis latere (in ovis incubatis tertio die id incipit fieri) egressa, & per diaphragma delata, recto quidem itinere ad lumbos & crura it: sed cùm ad hepatis regionem pervenit, imprimitur quasi, sive, vt propriè loquar, affirmatur illi, facto in hepatis substantia sinu, & in idem immittit ramos quosdam laterales, qui mox in corpore ipso scinduntur in mirificè multas propagines. Hæ ipsæ cùm ferè ad extima pervenére, duobus locis colliguntur iterum in truncos duos magnos, quorum alter per sima elapsus, Venam-portæ dictam constituit: alter in imo visceris, quà est ἡ διασφαγὴ Herophilo vocata, 6. *Ex. Anat.* 8. C. itidem collectus, Vmbilicalem facit.

Hæc

Hæc deorsum pergens, & per vmbilicum (vnde dicitur) infantis egressa, vtero se applicat, ibidémque Hepar vterinum dictum facit, cuius vasa nuda dat tibi idem D. ab Aquap. dicti *tract. tab.*8. *fig.*20. vt & discipulus non inferiora secutus, Spigel. eiusdem *tit. tract. tab.*6. Tu, quisquis es, iudica, an possis heic mente concipere duas separatas venas, quarum extima per ἀναστομώσεις iungantur? Non ego nego, imò dixi expresse, duplices esse ἀναστομώσεις in venis minoribus: verumtamen sunt illæ in propaginibus venæ cavæ tantùm, cùm venæ-portæ nomen tum demum adsciscat sibi, cùm excidit. Rides? Considera continuitatem à summo visceris ad imum, & seriò agere disces. G

CAPVT CIII.

An hepar humanum sit divisum in lobos?

APud Arist. 2. *Hist.*17. 3. *Part.*12. in quibusdam hepar est ἀσχιδὲς, ἢ μονοφυὲς: in quibusdam πολυσχιδὲς, ἢ ἐσχισμένον. In piscibus eadem est differentia, tradente Rondeletio 3. *Pisc.*19. In quibus divisum est, inquit, dividitur in duos longissimos lobos, vt meritò dici possit duplex. Et hinc sunt, quæ de gemino hepate apud autores leguntur. Hinc etiam *Iecinora* seu *Iocinora* sunt, non secùs ac *Pulmones*. Hinc etiam (vt paululum evager) sunt διπλᾶ ἤπατα, quæ Suetonius vocat *Replicata intrinsecus ab ima fibra, semper læti ominis*, vt Ill. Casaub notat. His opponitur ἄλοβον ἧπαρ (quamvis ἄλοφον videantur velle illi) tristem exitum nuncians. Et est hepar in lobos divisum in plerisque omnibus brutis: in homine integrum, & non nisi rarissimè divisum. A

In vniversum de omnibus animalibus loquens Galenus 4. *Vs. p.*8. *extr.* docet, In omnibus quidem divisum esse (hoc falsum est) sed numerum loborum non esse eundem, quod nec figura, nec magnitudo ventriculi sit eadem. Vnde intelligitur, Galenum voluisse, propter ventriculum fuisse institutam divisionem, quem ventriculum quasi digitis complexum foveat. Quibus ipsis penè verbis (vnde colligitur, vniversalem ibi quoque esse orationem) vtitur 7. *Vs. p.*10. vbi cum pulmonis lobis comparat. B

Non dissimilis locus est 6. *Ex. Anat.*8. *B.* vbi hominem quoque includit numero illorum, quibus fissum est hepar. Paritérque *c.*11. *seq.* vt & 4. *Vs. p.*14. *A.* de lobis indistinctè loquitur. Vt sæpissime miratus sim, Galeno tam sorduisse distinctionem Aristotelicam, è Natura ipsa petitam: in quibusdam hepar esse multifidum, in quibusdam non esse! Tantò magis, quod ab Herophilo, quem laudat in *de Ex. Anat.* didicerat, in quibusdam lobos ne esse quidem! Quidquid huius sit: Constat Galenum voluisse, Hepar humanum semper, & in omnibus esse divisum. C

Quod cùm falsum sit, vt dixi, & vix in centesimo (quid dico autem? millesimo)

Vide *suprà*, *cap.*75.

millesimo) verum , quid excusationis superest ? Secutum esse Gal. alienam fidem. Debemus autem tantò faciliores esse in admittenda hac excusatione, quò verius est, nostros quoque homines vidisse talia hepata, Sylvium dico, Henerum, Piccollominum , Gemmam , Fernelium, Puteum, alios, de quibus Schenckium videas licet *in Obs.*Fuchs.3. *Anat.*13. aliud cogitat, cùm ait,
D Veteres τὰ ἄκρα vocâsse λοβοὺς. Qua in re falli illum non dubito , adeóque Riolanum non fecisse illi iniuriam, cùm nugari ait.

Dicis. Oportet omninò frequentius fuisse hepar divisum , quòd Hipp.*6. Epid.7. t.37.* apud Vallesium scribat, doluisse quendam hepar, ob loco motum lobum , quo , mediante concussione , in locum suum restituto , dolor cessaverit. Resp. Nulla est necessitas. Potuit enim curatio successisse ob aliam causam , vt Vall. censet *in Com.* Hoc accipio quidem : sed quid ad πρόληψιν Hippocratis ? Erat ille in eadem opinione, in qua Galenus fuit. Quin fuit tùm communis error. Interim hominis hepar esse divisum non minùs monstrosum est, quàm esse in sinistro latere.

CAPVT CIV.

Sitûs hepatis accuratior consideratio.

A AIt Galenus 4.*Vs.p.7. D.* ψαύειν τῶν φρενῶν, *tangere diaphragma.* Quo autem modo ? cùm , de consensu omnium Anatomicorum , digiti transversi latitudine absit ? Loquitur de sententia Herophili , cuius verba affert *6.Ex.Anat.*8.*B.* in quibus est προσψαύειν τῶν φρενοῖ. Est autem deceptio ex cadaveribus , in quibus diaphragma sursum traxit hepar , cùm mors in exspiratione fiat. Tum verò etiam planè latet sub costis nothis. At verò in vivo homine, eóque stante & erecto, nec totum latet sub dictis costis , nec totum propendet.

Hoc expedit scire propter obstructiones visceris huius, quas tactu explorare iubent Practici. Qui enim situm hunc viderunt in mortuis, negârunt locum heic esse tactui : at verò cùm aliter se habeat res in vivis , mitiùs agendum fuerit. Hæc causa est, cur qui tactu explorare volunt , iubeant spiritum continere. In exspiratione enim sursum tractum hepar conditur sub costis nothis. Interim & hoc sciendum est , quod Galenus docet 5. *Loc. aff.7. A. C.* Non nisi magnas obstructiones, & quidem in gibbis tantùm, sentiri posse. Et iterum , in homine gracili tantùm. Vide Rorarium *Contrad.*75.

CAPVT CV.

Monitum de vsu arteriæ hepatis.

NOn quòd libenter tangam vlcera Galeni, sed vt manifestum faciam, quàm periculosum sit vti falsis hypothesibus, monebo heic paucis. Cur ad hepar eat non nisi vnica, eáque exilis arteria, & cur in sima tantùm? promta est apud Arist. ratio, Quia viscus hoc crassum & terrestre eget crasso etiam sanguine, qualis venosus est: hinc non nisi pauco arterioso. A

At apud Galenum quàm omnia sunt confragosa? Insistit quidem 4. *Vs. p.*13. *C.* refrigerationi seu ventilationi suæ: at quia in gibba non fertur vlla arteria, quo modo ventilabimus illa? O, inquit, diaphragma hoc præstat motu suo. Ergóne, inquam ego, diaphragma est frigidum actu? Quis in animali sano hoc speret? Sed sit: vnde est frigiditas actualis? Fortassis à pulmonibus, ab aëre externo refrigeratis? Quis hoc credat, cùm aër in bronchiis pulmonum reciprocus semper sit, & egrediatur iterum calidus? Huic iterum obstat, quòd diaphragma est inter θερμάσματα ventriculi, 4.*Vs.p.*8. *extr.* inter πυρὸς ἑςίας, 3.*Fac.nat.*7.*D.* B

CAPVT CVI.

De LIENIS vsu.

CVm cognovissem olim ex epistolis magni Lipsij, quo desiderio teneretur vir ille, post lectionem libelli Francisci Vlmi de Liene, Lutetiæ excusi 1578. discendi verum huius visceris vsum: cœpi negotium maiori quàm anteà contentione vrgere. Cùm eò deduxissem, vt videretur mihi sententia Arist. Apodicticè demonstrata, proprio diffisus ingenio, Theses primùm conscripsi breviculas, quas 1613. publicè disputavi, ratus me hac occasione protrahere posse alium, qui rem diligentiùs obiret. Biennio pòst tractatum ipsum, demonstrationibus suis munitum, vulgavi, cum spe vel hac ratione me voti compotem fieri posse. A *Cent.*1. *Epist vlt. edit. anni* 1611.

Verùm cùm per annos hos viginti, & quod excurrit, Eutellus nullus prodierit, audeo mihi, tanquam Dares alter, victoriam transcribere. Quid dixi verò *Mihi?* Aristoteli potiùs, τῷ δαιμονίῳ, contra Galeni, asseclarúmque ipsius pervicaciam. Quorum vtrumque vt pluribus innotescat, duo heic agam. Alterum, paucis proponam Philosophi sententiam. Alterum, ne Galeno quidem per Nemesin licuisse aliter statuere, si quando extra campum gloriæ esset. B

Quod

Quod ad primum, de Arist. ſententia 3. *Part.* 4. Lien eſt ἀντίζυγος τοῦ ἥπατος, verùm ἐν τοῖς μάλιστ' ἀπηκριβωμένοις tantùm, in quibus, vt ſe explicat *cap.* 7. eſt οἷον νόθον ἧπαρ. Hoc vt rudiores etiam capere poſſint, vel ideò quòd Gaza non fecerit officium, dico παραφραστικῶς: *Lien non eſt in omnibus animalibus, ſed in perfectiſſimis ſolùm. In his ex adverſo poſitus eſt hepati, in*
C *ſiniſtris ſcilicet, cùm hepar in dextris ſit, & eſt quaſi alterum, ſed ſpurium hepar.* Hoc ſenſu Lien Platoni *in Timæo* eſt ἐκμαγεῖον τοῦ ἥπατος, *expreſſum hepatis ſimulacrum*, vt Ficinus vertit, & rectè, ni fallor, licèt Gal. 4. *Vſ. p.* 7. aliò traxerit, ceu videre eſt *Notis in eum locum.* Sed miſſo Platone audiamus, quo modo Ariſt. explicet ſe. Ait *eod. c.* 7. Vtrumque viſcus βοηθεῖν πρὸς τὴν τῆς τροφῆς πέψιν, *Miniſtrare cordi in confectione alimenti.*

Hunc enim ſenſum inferendum eſſe ſuperiora perſuadent. Hoc miniſterium non eſſe æquale, hoc eſt, non facere duo hæc viſcera, quod duo oculi, duæ manus &c. ſatis indicat adiectitium νόθον. Conſiſtit autem τὸ νόθευμα in eo, quòd hepar quidem ſit in omnibus ſanguineis, 4. *Part.* 2. 2. *Hiſt.* 2. & ideò abſolutè neceſſarium: lien non ſit, ſed per accidens, quatenus ab-
D ducit excrementum quoddam, 3. *Part.* 7. & apud Gal. 9. κ. τόπ. 2. *B.* Hoc ipſum excrementum quale ſit, dicere oportet. Non eſt ſimpliciter excrementum, quale eſt bilis in veſica ſua collecta: ſed quod aliquid boni in ſe habet, & poteſt recipere à Natura ornatum quendam, hoc eſt, poteſt ex eo fieri ſanguinis aliquid, quo ſeparato denique ſuperſit excrementum merum, craſſum videlicet ſecundæ coctionis, *Melancholia*, cùm *Bilis* ſit tenue. Quòd autem lien ſit inſtrumentum quoddam coctionis, probatur primò, Quia aliquid chyli eò proficiſcitur, non per venas tantùm, ſed & per arterias, vt videor mihi probâſſe θ. *de Vſ. vaſ. Meſar.* & *tract. de Vſ. lien. c.* 5. Sed dimittamus nunc arterias: Ramum venæ-portæ ſplenicum dictum, oriri,
E non ex hepate (à quo abeſt quatuor digitorum ſpacio, veluti Riolanus advertit) ſed ex ipſa Vena-portæ, αὐτοψία docet. Eadem perſuadet, vehere hunc ramum non niſi chylum, quem ſolum etiam contingit.

Secundò, Idem ramus ingreditur lienem, non vno magno trunco: ſed diſcinditur (non ſecus atque arteria cœliaca) in multa minuta vaſa, prorſus vt in hepate. Hæc vaſa à carne liberata, dabit tibi *tab.* 9. *fig.* 4.

Tertiò, Idem probant lienis ſubſtantia & magnitudo. Illa cùm ſit carnea; adeóque caro hepatis ſecundùm Gal. ſit pars princeps: cur heic non ſit? Hæc magnitudo cùm ſit inſignis, quis credat propter ſolum excrementum fuiſſe? præcipuè, ſi cum veſica ἀντιστρόφῳ conferas? vel ideò etiam, quia Galenus docet, melancholiam in multò minore copia eſſe, quàm bilis eſt? Plura ſi deſideres, adi *d. tract. cap.* 7. & 8.

F Quæ cùm ita ſe habeant, venuſtè Ariſt. de actione lienis diſſerit *in illo* 3. *Part.* 7. ὁ σπλὴν ἀντισπᾷ τὰς ἰκμάδας τὰς περιττὰς ἐκ τῆς κοιλίας, καὶ δύναται συμπέττειν αἱματώδης ὤν, *Lien divertit chylum excrementitium, ex ventre inferiore attractum, & concoquit, cùm ſit naturæ ſanguineæ.* Hæc ita παραφράζω: Dum ramus venæ-portæ Meſentericus in eo eſt, vt chylum attractum omnem ad

hepar deponat: supervenit Splenicus, & partem impuriorem (aquosam &
terrestrem) trahit ad splenem suum. Hoc quidquid est chyli concoquit splen,
quia sanguineus est.

Et hæc quidem sententia Arist. est: eandem (& hoc iam alterum est)
imprudenter profiteri Gal. 2.*Fac. nat.*9. *M*. 4.*Vs.p*.5.*B*.5. eiusd. 6.*C. Ibid*.7.
A.13. *Meth*.16. 9. κ. τόπ. 2. *A*. alibi fusè deduxi, nec repeto, ne diffidere
videar solertiæ aliorum. Horum aliqui si fortasse nauseabunt ad τὸ κατὰ συμβε- G
βηκὸς, illi cogitent, dici prorsus idem 6. *Ex. Anat*.2. *B*.5.*Vs.p*.14.*B*. cùm se-
cundariâ ratione factæ esse dicuntur illæ partes nutritivæ, quæ excrementis
abducendis dicatæ sunt. Hæc, & alia plura, quæ huc afferri possunt, si con-
sideràsset Lacuna, reperisset conciliationem contrad. 5. quam statuit inter
duo illa loca 13. *Meth.& 4.Vs.p*. Collineat quidem eò Valles. quoque *in Loc.*
pugn. sed non satis explicat rem, quæ ita se habet.

Lien trahit ad se chylum melancholicum, qui ipse non nutrit lienem: Huc ferè
quem si non conficiat, causatur obstructiones, Sin, ex parte quidem illa, tendit etiã
quæ reverà excrementum est, fit excrementum secundæ coctionis crassum: Rorarius
ex parte autem meliori (puta, quæ aliquid naturæ sanguineæ habet) fit san- *Contrad. Gal*.90.
guis reverà, sed is tenuis, qui nutrit non lienem tantùm, sed omentum etiam,
mesenterium, colum, ventriculum & tenue intestinum, quas partes nume- H
rat Gal.3.*Fac.nat*.13.*Q*. Nimirùm, oportet hac quoque in parte lenire asperi-
tatem sententiæ Galenicæ.

Est quidem lien oppositus vesicæ felleæ in negotio abducendorum excre-
mentorum, & trahit iste excrementum crassum secundæ concoctionis, hæc
tenue: sed hac differentiâ. Vesica trahit merum excrementum: ideò pori
bilarij disperguntur vndiquaque per hepatis substantiam, vt ex omnibus an-
gulis prolectent bilem, fiatque adeò exacta eius separatio, vt Galenus do-
cet 2.*Fac.nat*.2.*B*. Lien trahit chylum excrementitium, quo in se confecto
facit Melancholiam. Si enim merum excrementum traheret, debebant pro-
pagines rami splenici, eo modo per hepar dispergi, quo pori bilarij. Nunc
quia per orificium vnum, idque amplum, trahit, quo modo etiam renes 5. I
Vs. part.6. *E*. non trahit purum excrementum, sed cui permistum est ali-
quid boni.

Et hoc responsum esto iis, qui ex 4.*Vs.p*.13.*D*. fortè instantiam parabunt,
Non satis argumenti esse amplitudinem rami splenici, quatenus illa oppo-
nitur multitudini pororum bilariorum, cùm Natura per vnum foramen
idem patrare possit, idque renum exemplo. Dico enim, Hoc ipsum est ar-
gumentum pro me, Lienem non trahere merum excrementum. Idem enim
fit in renibus, qui non trahunt serum (si propriè loqui velimus) sed sangui-
nem serosum, quem etiam sanguinem à sero separant, indéque aluntur. Sunt ferè
Sed hæc hactenus: quæ si quis ad libellam revocarit, & sigillatim, deposito Riolani
tam amore, quàm odio examinaverit, non dubito fore, vt abiecto metu labo- K
ris iuxtà & invidiæ, ausit mecum & cum aliis receptam in scholis Galeni verba 2.
sententiam reprobare. Δεῖ γὰρ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, diceret Arist. *Anthrop*. 23.

V Non

In Ciſta Medica, *Ep.*56. ad Schnitzerum.

Non poſſum diſſimulare hac occaſione, quæ *Libavius* olim contra me, Non videri Galeni & publicam ſcholarum rationem temerè convellendam eſſe. Temerè verò, dixi ego, cui tot rationes in promtu? Et alioqui ſi licitum non eſt φιλαλήθει alicui opponere ſe mendacio: quid tandem erunt ſcholæ? annon *Ambubajarum collegia?*

Memini virum clariſſimum, eundémque in Chymicis hodie dictis verſatiſſimum, DD. IOAN. RANTZENBACHIVM, de hoc homine, eiúſque ſcriptis tale iudicium ferre, *Omnia ſunt furtiva, & quæ ipſe nec intelligit, nec quibus vnquam admovit manum!* Heic quid deſignat? Succi melancholici cum
L aquis receptaculum eſſe lienem, inquit, & in optimè conſtitutis naturis τῇ αἱματοποιήσει etiam ſervire, FABVLOSVM non eſt. Hoc annon ipſemet convellit publicarum ſcholarum rationem? annon dicit, quod ego? Sed & falſum eſt, eſſe hanc Reuſneri *in l. de Scorb.* opinionem. Vide *de vſu lien. cap.*2.

MARGITÆ eveniat talis in ore pudor!

CAPVT CVII.

Qualis ſit ſanguis lienoſus?

A R.2.A.13. NE verbo quidem opus eſſet, abſque ambitione ſi eſſet! Quâ motus, vt credo, vir quidam magni nominis, quærit, Cur partes *paulò ſuperius* à Galeno relatæ nutriantur à liene? Reſpondet, vt ſanguine melancholico bis cocto, eóque fervidiore fruantur. Hei mihi, lapides loqueris, mi homo! Qui enim melancholiam audit, modò rectè inſtitutus ſit, ſtatim intelligit frigidi quid. Sed & inſolens locutio eſt, ſanguinem, qui nutrire poſſit, bis coqui. Si omnino melancholia ampliùs coquitur (admittam enim locutionem) fit atra-bilis, quam nutrire inauditum eſt in ſchola Peripatetica. Sed & innititur effatum falſæ hypotheſi, Lienem trahere ex hepate iam coctum quid. Non trahit ex hepate, ſed ex ramo ſplenico, antequam is hepar contingat.

B Non minùs falſum eſt, & quod nulli vnquam hominum ſub mentem venit, (credam enim calamum huius præiiſſe cogitationes) Lienem habere ſanguinem fervidum. Sunt quidem ibi arteriæ multæ: ſed chylus non eſt proportionatus. Imò propter materiæ coquendæ frigiditatem tam copioſæ ibi ſunt arteriæ. Quò magis cupiam perſuadere homini, eat ad Gal. 4. *Vſ. p.*15. & diſcat inde, Lienem facere non niſi ſanguinem tenuem & melancholicum. Atque hoc poſterius ita explicat prius, vt aliis non ſit opus. Si tamen hæret, diſcat ab Hipp. Cur ὕδωρ appellata fuerit Melancholia?

C Hac de re legere poterit tractatûs noſtri *de Liene cap.*13. *& ſeq.* Hoc ipſo labefactatam intelliget illuviem lienis craſſam, ob quam omentum in

plerisque sit pendulum. Cùm enim in omento in rei veritate pinguedo sit, cui non resilit animus ab illuvie ? & quidem crassa ? Hæc verò pinguedo non ex solo liene est.

CAPVT CVIII.

Excursus in Laurentium, Aristotelis quidem importunum reprehensorem: Galeni autem ineptum defensorem.

NVllum genus hominum magis mihi molestum est, quàm quod ἐλασίβροντα quidem ἔπη iactat, rerum autem inania ! Talis est in plerisque omnibus Laurentius, dum vel defendit, quæ vndequaque absurda iuxtà & falsa sunt: vel criminatur, quæ non intelligit. Huius rei exemplum vnicum dare heic mihi libet in vsu lienis, ex 1. *Anat. q.* 34. A

I. Planè intolerabile est, quod Aristotelem iungit cum Erasistrato, qui lienem frustrà à Natura factum esse volebat, vt sæpe Galenus dicit. Frustrà quo modo factus est lien, qui αὐτοπαθῶ, *à iecore divertit* chyli partem excrementitiam, & coquit ?

II. Atqui, dicit, qui ex eventu necessarium esse vult, & aliquando trahere &c. *Si* τὸ *Ex eventu* exculpit ex illo κατὰ συμβεβηκὸς, iam non intelligit quid dicat: & simul accusat Galenum suum, ceu vidimus. Si τὸ *Aliquando* refert ad id, quod Philosophus ait, lienem non esse in omnibus, Corœbus est. B

III. Puerilis, inquit, & temerè effutita sententia Arist. est, quæque in schola Medica punctum non meruerit. Ita enim intelligo. Cur igitur tu, vir tantus (sed opinione propria) te accingis tanto cum verborum molimine ? Profectò enim verum est illud, *Stulta operosè velle refutare, stultitia altera est.*

IV. Quâ fronte separat sententiam Arist. ab illius, qui librum spurium *de Respir.* apud Gal. scripsit ? Nam is quoque νόθον ἧπαρ & ἀντίζυγον τοῦ ἥπατος vocat lienem.

V. Quâ audaciâ divellit ab eadem Aretæi opinionem 2. *Chron.* 13 ? quâ item Alexandri Aphrod. 2. *Probl.* 44 ?

VI. Quomodo cohærent ista, Rationes habuisse illos nullas: &, Argumentatos esse à visceris substantia, vasorum amplitudine & copiâ ? Vt contraham rem in pauca, siquidem honestè agere volebat, explicare debebat sine fuco Arist. sententiam, & dicere, quid desideret: nunc postquam perfunctoriè attigit, provolat d Vlmi sententiam refutandam, quam nunquam intellexit. Hoc enim Vlmus vult. Quod hepar est dextro cordis ventriculo in præparatione sanguinis: hoc lien sinistro est. Lien igitur, de sententia Vlmi, præparat sanguinem illum, è quo posteà fit arteriosus C

dictus. Hanc quia refutavi extremo opusculi *de Vsu lienis*, non est nunc opus aliis.

Sed quid Laurentius tandem vult? Volumus, inquit, cum Galeno 1. *San. tu.12.F.2.Fac.nat.9.M. de Atra-b.7. E. Ibid.8. C.de Form. fœt.5.H. 6.Loc. aff.1.H.* lienem esse exstructum ad fæculenti sanguinis expurgationem, &c.
D Heic quidem videor mihi audire Dictatorem Romanum cum olea agentem pro autoritate sua. At cùm intueor loca ipsa, & inter se confero, experior multùm labascere, & præ rigore amplecti æquitatem. Neque enim simpliciter pertendit, lienem esse sedem & receptaculum humoris melancholici, qui proportione respondeat fæci vini: sed ὑπομυθίαν admittit ex illo præcipuè 2. *de Fac. nat.* Humorem illum perfusum esse (sic loquitur) multo benigno succo (& laudabili sanguine) qui in liene subigatur, attenuetur, excoquatur, &c. His verbis quia Galenum pertrahit in sensum Aristotelis, quis plura exspectet? Ideò frustraneæ etiam sunt, tam rationes, quàm solutiones, quas deinceps molitur.

E De Riolano hoc aspergam obiter. Valde verbosum esse, vt probet, Lienem quidem officinam esse τ̃ αἱματώσεως: sed conficere, non excrementum melancholicum, verùm chylum crassum & terreum, quam Bauhini etiam sententiam esse ait. Ego primùm hoc video, verbis quidem differre hæc duo: reapse non differre. Deinde iubeo illum considerare, quæ in toties *d. tr. de Liene*, attuli in medium de partibus huius humoris heterogeneis, terrestribus simul & serosis, ob quas tam difficiles sunt curationes morborum melancholicorum, præcipuè apud minùs attentos. Hac in re vt à me discedit tacitè: ita contrà disertè accedit ad me, cùm scribit, Lienem ex hepate elicere melancholiam, non eo modo, quo vesica fellea bilem, quòd non sit eadem conformatio rami splenici, & pororum bilariorum. Hoc ipsum (ne de aliis dicam) considerare iubeo *Varum* nostrum, *in θ.* de hoc negotio Ienæ publicatis, 1618.

CAPVT CIX.

De vase brevi dicto.

Fateor, & nomen, & dogma ipsum esse à Galeno, 5 *Vs.part.4. extremo:* sed assentior Vesalio, 5. *Magn. Op.9. ext.* necnon *in Ep. ad Roland.f.*136. Quod quia latè deduxi *d. l. de Vsu lien. cap.* 18. & 19. iam digitum tantùm eò intendisse satis sit.

CAPVT

CAPVT CX.

De VESICA bilaria, eiúsque poris.

QVemadmodum divinatorem fuiſſe Galenum audivimus in coniunctione vtriuſque vaſis in hepate : ita in ſitu quoque pororum bilariorum eſſe certum eſt. Scribit enim 4 *Vſ.p.*13. *G.* τοὺς ἕλκοντας τὴν ξανθὴν χολὴν πόρους τετάχθαι προτέρους τῶν διαδεξαμένων τὴν ἐκ τῆς κοιλίας ἀναφερούσαις φλεψὶ τροφήν. Hæc vt intelligas, redeas oportet ad illa, quæ *ſuprà cap.*11. *ex* 5. *Loc. aff.*7. *H.* & 6. *eiuſdem* 4. *extr.* de ἀναστομώσει ſeu συνάψει venarum in hepate inconſpicuâ ſunt dicta. Putavit enim venæ-cavæ propagines deſcendere vſque ad medium hepatis , & contrà venæ-portæ aſcendere ad idem medium. Iam igitur ait, *Poros flavam bilem trahentes eſſe priores venis illis, quæ ex ventre alimentum ſurſum vehunt,* hoc eſt, propaginibus portæ, adeóque medios eſſe locatos inter has & cavæ. A B

Quis heic non ſtomachetur, qui vnquam limis tantùm aſpexerit reticulum hepatis vitulini ? ne dicam de pictura , vel D. ab Aquapendente nuper propoſita , vel Caſſerij *tab.*8.*fig.*2. Quid dico autem ? Qui forinſecus tantùm aſpexerit ſitum veſicæ , negabit. Adiacet enim venæ-portæ egredienti ex hepate. Hinc colligat aliquis, poros noſtros eſſe comites potiùs propaginum venæ-portæ , quàm ſuperiores illis. Idem meritò cogitet, Si trahere debent bilem pori , non debent per tranſverſum tangere tantùm extrema portæ : quin debent interſeri inter vtriuſque venæ ramos, illíſque ἀναστομοῦν, vt fieri poſſit exacta bilis ſecretio. Et ita eſt in rerum natura, vt pluribus non ſit opus.

Vetus hoc commentum excipiat novum. Scribit amicus , Meatus eſſe duos , quorum alter Hepaticus ſit, alter Cyſticus. Hunc ex cervice veſicæ in anguſtum contractâ , hepar ingredi , & diſpergi inter radices venæ-portæ. Illum, in hepate natum, excurrere inter radices venæ-cavæ infinitis ramulis, qui, in vnum caudicem collecti, coëant cum altero. Heic primùm ego ſimpliciter dico, Duo illi meatus nihil aliud ſunt , quàm prima diviſio colli veſicæ, quæ diviſio in progreſſu ſemper repetitur, vſque dum rami penè infiniti ſint. Deinde cupio audire, Quæ ratio illi perſuaſerit, ramos iſtos duos cùm ſint eiuſdem ſubſtantiæ & vſus, tam diverſam habere originem ? C *Sp.*8 *A.*13. Veſal. 5. *Magn.Op.* 8.

Tertiò dico, Origo hepatici eſt æquè improbabilis ac vaſorum vmbilicalium ortus ex vaſis vterinis , quem Praxagoras commentus eſt , *l. de Anat. vt.*10.*E.* & quem Gal. refutat 6 *Sent. Hipp.*3. *H.* vt audiemus *infrà*. Natura enim ſcindendo procedit. Quartò quæro, quo modo is, qui vidit reticulum hepaticum, poſſit inhærere venæ-cavæ & portæ ? Eſt enim vnum & continuum vas. Interim, clarioris doctrinæ gratiâ, ſino extrema in ſuperficie hepatis ita vocari : ramificationes in ipſo hepate non ita. D

V 3 CAPVT

CAPVT CXI.

Quo modo vacuetur bilis?

A PRima heic controversia est, Pellatúrne bilis ab hepate, an trahatur à vesica. Non valde nego concurrere ad actionem totam, hepatis expultricem: sed aio maximam partem conficere vim attractricem vesicæ. Ideò enim instituta est, & ideò poros immittit in hepar, vt noxium hunc humorem (veluti Galenus appellat) ex omnibus visceris angulis conquirat. Huic vicina est altera, quamvis alius illa sit loci, Cur illam trahat? Vt eâ alatur, inquiunt. Nihil minùs. Habet enim in eam rem venas & arterias. Præterea distinguere oportet actionem privatam à publica. Privata est, quæ ad alimentum proprium: publica est, quæ ad sustentationem totius corporis. Hanc B obit: quia à Conditore iussa est hoc facere, 5. *Aph.*39. Nec molesta illi est bilis: quia in sua sphæra est, vt sic loquar. Aliis partibus omnibus mordendo & radendo gravis est. Et hæc quidem compositu facilia sunt: non ita, quæ nostri homines cumulant, Centaurorum more imponentes Pelion Ossæ, vt Naturæ vim faciant.

Qui primum movit montem, Fallop. est 4. *Obs.*7. vbi docet, Bilem quidem naturaliter recto tramite ferri ad ieiunum (vide Bauh. 1. *Theat.*45. *f.*299. *in marg.*) intestinum: at quia non semper commodum erat, regurgitare, adeóque propterea factam fuisse vesicam, quasi diverticulum. Alterum movit montem Iasolinus in *Quæst. suis Anat.* quas videre mihi iuxtà cum Riolano nondum contigit. Citat autem Riol. 2. *Anthrop.*22. & ait, fecisse bilem duplicem, aliam sinceram & impermistam, eámque tenuem: aliam permistam, crassamque. Has duas sententias iunxisse Bauhinum ait idem Riola- C nus. Et est ita: designât verò illi non hoc tantùm, sed & falsaria hæc tribuunt Galeno, Iasol. quidē, *Tract.*4. *c.*2. Bauh. autē 1. *Fabrica* 29. 1. *Theat.*45. *in marg.* & iterum *præf. in vlt. ed. Instit.* facta 1616. Loca sunt 4. *Vs. p.*12. *&* 13. 5. *Vs. p.*6. 6. *Ex. Anat.* 2. 1. *Fac. nat.*6. in quibus nihil tale invenio. Quod ad Fallop. Vesalius *in Ex. f.*122. tantùm non ridet illum. Ego verò putem mitiùs esse agendum cum homine. Credam enim longiùs prospexisse, ad animalia scilicet illa, quæ vesiculâ hac carent, de quibus Arist. 2. *Hist.*15. 4. *Part.*2. In his enim quia bilis rectà it ad intestina, potuit ea res coniecisse illum in has cogitationes, quasi tale quid in iis etiam fieret, quæ vesicam hanc habent.

Verumenimverò, licèt ita sit, licèt, inquam, vesica hæc in eodem censu sit cum liene, per accidens videlicet condita, sive secundariâ ratione, vt non ita pridem dictum fuit: tamen actio ipsius animalibus iis, in quibus est, absolutè necessaria est. Actio hæc est colligere, & in se recondere bilem, D eandémque excernere. Et hac ratione actio quidem duplex fit: sed neutra est adstricta certo tempori, multò minùs obnoxia est nescio quibus compressionibus

pressionibus fortuitis, aut etiam flatibus. Cùm enim naturalis sit, non potest quiescere, sed perpetua est. Incommoda autem, quæ meditatur Fallopius, avertit sola Naturæ vox. Est enim magistra pulcerrimarum inventionum, vt ipsemet loquitur. In quarum numero cùm non sit regurgitatio illa; imò verò cum sit ab ira Adrastéas: non est opus aliis. Et hæc quidem ego pro & contra Falloppium: contrà qui volet plura, is Laurentium adeat 1.*quæst. Anat.*35. & Asellium, 1. *de Lactibus* 19.

Ad Galenum mea festinat oratio. De hoc Riolani querela est *l.c. Galenus hac in re dubius & incertus fuit, &c.* Nam 4.*Vs.p.* voluit, bilem directè ab hepate in vesicam derivari, inde in ieiunum expelli. Alibi statuit, bilem rectà propelli à iecore in intestinum. Siccíne agis, mi Riolane? Et vbi quæso, est illud *Alibi?* Fortassis accidit illi, quod mihi, & olim & nunc inquirenti in loca illa, quæ Bauh. *loc. tribus cit.* congerit. Sensi enim me amandatum ad indagandas capras sylvestres. Quæ inveni loca, sunt hæc, 4. *Vs. p.*12.*B. Ibid.*13. *G.* 5.*eiusdem* 6.*F.* 6.*Ex. Anat.*2. *B.* Ex his locis duo volunt eruere. Alterum, apud Gal. bilem aliam esse sinceram, aliam insinceram. Alterum, harum alteram recto itinere properare ad intestinum: alteram hospitari aliquandiu in vesica. E

Quod ad prius, *In* 5.*Vs.p.* tam non adstruit duplicem bilem, vt impugnet, ceu conferenti patebit. Et vnde quæso est id, quod bili miscetur, cùm alia in vesicam via non sit, quàm ex hepate? Si dixerit quis, In hepate posse tale quid colligi, & in vesicam rapi: dicam ego, A posse ad esse &c. Prætereà, erit status hic præter naturam, de quo non agimus. In reliquis locis omnibus constat sibi Galenus, Poros bilarios prolicere ex hepate bilem: in vesicam deponere: è qua denique in intestinum eat. Quod ad posterius, Si res ita se habet apud Gal. vbi tandem est rectum illud iter? Et Riolanus quidem tacet: ideò reum absolvo. F

At Bauh. *in Theatro*, novum sibi fulcrum parat, Galenum 3. quidem *Fac. nat.* 13. docere, bilem trahi à vesica, è qua in duodenum derivetur: at 2. *Acut.*31. rectà propelli ab hepate in intestinum. Quid est seminare controversias ex controversiis, si hoc non est? Invenio equidem *cap. cit. A. vt & cap.*12. *præced. A.* quod dicit vir egregius: at simile de canibus est *cap.*9. meâ opinione valde dissimile. Non enim trahit vesica, quòd delectetur: sed quia iussa est id facere, vt heic locutus sum. Sed sit similimum: quâ ratione servit instituto Bauhini? Verba in *de Acut.* hæc sunt. Περὶ δὲ τοῦ τὴν ξανθὴν χολὴν ἐπιπολάζειν πρὶν ἄνωθεν, πρόσθεν εἴρηται, τοῦ καταφέροντος αὐτὴν εἰς τὴν τῆς γαστρὸς ἔκφυσιν ἐξ ἥπατος πόρου, διαφέρουσαν ἴσχοντος τὴν κατασκευήν. Loquitur de conformatione pori bilarij præter naturam, de qua iam dicetur: quod quid ad Falloppium? imò, quid ad rectum iter? & vbi est illud *Rectà?* Sed iam pudet me prolixitatis in re aperta. G

AVCTARIVM.

AVCTARIVM.

CVm beneficio Cl. V. DD. Ioh. VVestlingii, Anatomici & Botanici Patavini, &c. Neapoli tandem accepissem Iasolini Quæstiones Anatomicas, impressas ibid. 1573. 76. 77. volui rem pensiculatiùs exputare. Hac in re observatum est mihi primùm, Riolanum nostrum non satis cautè locutum esse, cùm ait, Novam esse Iasolini sententiam, nec absurdam. Si enim è Gal. nata est, vt præ se fert ille, quo modo nova? Sed eruerit Calaber prior: iubeo Riolanum inspicere loca allata, & fatebitur, nullum prorsus vestigium apud Galenum esse huius dogmatis.

Vt seriò agam, & absque ambagibus, Iasolinus committit duo falsa, & sequitur illum Bauh. inconsultò. *Alterum*, distinguit quidem Gal. vasa viscerum trahentium in exilia & magna, & in priori ordine habet *Vesicam felleam*, in posteriori *Lienem* & *Renes*: verùm nunquam & nuspiam vlli horum vtrumque genus dat, multò minùs Vesicæ nostræ, præter exilia, magna quoque. Huius consequens est, Vesicam trahere bilem tantùm tenuem, quæ & sincera, & flava est. *Alterum*, Sit ita: quæ insolentia est, crassam bilem, qualis *Vitellina* est, subitò vocare *Insinceram*, permistámque cum aliis? Illam in latitudine sanitatis quandoque esse, non nego: aliquid illi misceri, quod crassefaciat, pernego. Cùm enim in vesicam bilariam ingressus alius nullus sit, quàm per πόρυς χοληδόχυς, vnde sit id, & quod? Sed & duplex illa bilis tam Galeno; quàm ipsi Naturæ incognita est. Bilis naturalis omnis est tenuior quavis aquâ, ideò pictores diluunt illâ pigmenta sua. Quòd si crassescit, & fit Vitellina, id huc non facit. Sed faciat: quid trahit bilem illam crassam, & quidem stomacho proportionato?

Heic videor mihi videre indignabundum Iasolinum, Annon sufficit tibi *Porus bilarius* amplus? ille, inquam, qui *Hepaticus* dicitur, & desinit in *Duodenum*? Non sufficit. Amplus enim porus ille, quamdiu amplus est, non trahit, quia bilem non contingit: trahit autem postquam in exiles poros alios scissus est, quales poros solos desiderat Galenus. Quamobrem comparatio etiam ampli huius vnius, institui non potest cum exilibus illis multis.

Restat ergo, vt non porum tantùm trahentem ostendas mihi: sed & partem, quæ vtitur illo ad tractionem. Hæc cùm vesica esse non possit: fortean Duodenum erit? Vix dubito, τ' ἔσω λόγον tuum convictum, quin Adrastéam ipsam dictâsse tibi ἀνακόλυθα illa, *Vas autem, quod ex iecore ad vesicam, sive mavis ad duodenum pertinet &c.* Sed transeat hoc cum aliis obscuris & malè-Latinis ambiguitatibus: ordior rem ab ovo. In Vesica nostra considerantur Substantia, Conformatio, Fundus, Cervix, & Meatus seu Pori: in præcedentibus pax est, in vltimo bellum mirabile & miserabile. Ego ita me extricare conabor, hoc vno præsupposito, Naturam in vasis istis heic quoque progredi scindendo, non colligendo.

Deinde

Deinde ita ratiocinor, ab analogia, cuius Natura est studiosissima, facto initio.

Quemadmodum ex vesica vrinaria prodeunt vreteres, coarctatâ illâ in angustias, & sursum ad renes porrectâ, quò vbi pervenére, dividuntur in octo vel decem fistulas alias, quæ amplexantur totidem renum carunculas: ita ex Duodeni tunica vtraque efformatur canalis (vocant *Communem*) qui sursum ad hepar tendit, sed antequam contingit, ramum demittit deorsum ad subiectam hepati vesicam, cuius cervici, intercedente sacculo seu sinulo quodam, in quo tres valvulæ sunt, ab interioribus ad exteriora hiantes, implantatur. Hic vt appellatur *Cysticus*, & ferè minor est: ita ille *Hepaticus*, & ferè maior est.

Quo loco obiter notanda venit alia analogia. *Hepaticus* hic proportione respondet vni illi poro, qui in iis est animalibus, quæ vesicâ carent. Idem *Hepaticus*, postquam hepar adeptus est, dividitur in ramos superiores & inferiores, qui πόροι χοληδόχοι vocantur ab omnibus, & signantur à Vesalio, Valverda, Platero, Bauhino, aliis, litera X. verùm conformatione sunt longè quam dissimilimâ. Hanc antequam pandam, exponere oportet, quod ex ore D. Bauhini habeo.

Duæ cùm sint figuræ, altera Vesalij, quam exprimunt reliqui, & est in *Theatro primæ edit f.*297. altera Iasolini, in *Opusc. prædicto f.*71. quam Theatrum exhibet *f.*300. vtrique deest aliquid. In superioribus quidem, qui à vesica prorsus liberi sunt, nihil peccatum est, nisi quòd Anatomici circino vtuntur nimis Mathematico, cùm collocant exactè in medio Venæ cavæ & portæ. Quatenus enim id verum sit, docebit *Reticulum hepaticum*, suprà propositum. In inferioribus, qui per longitudinem ovalem vesicæ, membranosæ substantiæ impliciti, mirísque modis multiplicati sunt, hoc erratum fuit, aiebat vir magnus, simúlque in rem ipsam nos ducebat, Non immerguntur in cavitatem vesicæ, è qua iterum exsiliunt: sed in membrana manentes, vltra corpus vesicæ eunt, & ex substantia hepatis bilem eliciunt.

Iam, omnis hæc bilis est vnius generis, *Tenuis*, flava magis minùs, sola & impermista: at quæ *Crassa* est, alius à flavedine coloris, cui hoc, illúdve, aliunde permistum est, illa huc non facit. Hæc bilis, vt dixi, à poris choledochis, vtrinque litera X. notatis, exsugitur, & in vesicam deponitur: ex vesica in cervicem translata, per porum *Cysticum* devolvitur in *Hepaticum*, quâ parte divaricatur, & *Communis* incipit dici: ex hoc à *Duodeno* trahitur. In tota hac actione, si ex animi sententia loquendum mihi est, Hepatis partes nullæ sunt: debetur autem tota, poris quidem choledochis semper & perpetuò (agentia enim naturalia sunt) trahentibus; vesicæ autem suo tempore expellenti, cui subsidiariam operam trahendo præstat Duodenum. Tradunt enim facultates hæ ministræ mutuas operas, pendétque adeò ordo à Natura gubernatrice.

CAPVT CXII.

De ductu bilario in ventriculum.

HOc audeo dicere, Quæ περιεργία Naturæ est in sexto digito: eadem in hoc ductu est. Et quemadmodum sextus digitus non nisi rarissimè visitur, nec vnquam secundùm naturam: ita hic ductus. Quò magis ridiculus est Puteus 5. *Apol.f.*151. qui Vesalio obiicit illud, Natura nihil facit frustrà. Dicitur enim de natura bene operante: non autem de erroribus ipsius. E contrario non possum non dilaudare prudentiam & candorem exercitatissimi Riolani, qui 2. *Anthrop.*22. non vult credere Carolo Stephano, asserenti in multis corporibus se vidisse. Quasi diceret, Ego tot celebratis sectionibus nunquam vidi! Idem dici potest de præceptore Bauhino 1. *Theat.*45. Sed neque D. ab Aquapendente, præceptor itidem opt. max. vidit; neque Spigelius,
B neque qui ante hos fuére, Columbus, Falloppius, Cuneus, alij. At Vesalius vidit 5. *Magn. Op.*8. Quid tum posteà? Viderit etiam Galenus *Acut. l. iam cit.* vt & 2. *Temp.*6. *K.* Non enim propterea vlla est sequela, vel à præsentia pori ad biliosos vomitus: vel à biliosis vomitibus ad præsentiam pori. In remige enim Vesalij aderat porus: vomitus non aderant.

Nec hilum iuvant affaniæ Putei *l. c.* Sed concurrant aliquando, vt de Chabrolio habemus: non ideò semper fit. Accidere verò tales vomitus aliunde, quàm à poro hoc, argumento sit, quòd vtplurimùm curabiles sunt. Scribit ipse Puteus de sorore Antonia, curatos fuisse tales vomitus vsu vini omphacini cum buccella panis. De syrupo Granatorum scribit idem, & ego in
C obsidione & peste Noribergensi anni 1632. cùm exsularem ibi, non semel expertus sum.

In Italia cùm essem, narrabat amicus, Spiræ familiam esse, quæ obnoxia esset huic miseriæ, perpetuò vomendi ante cibum. Hoc credebamus tum omnes esse ab hoc Naturæ errore: nunc verò aliter sentio. An fit in iis, quibus porus bilarius infigitur altiùs, quàm oportet? Neque enim in puncto consistit Natura, quemadmodum etiam in longitudine duodeni, vt dicetur. Quidquid sit, dicuntur tales πικρόχολοι ἄνω, 2. *Acut.*29. Epidorpidis loco duo addo. Primò, Falluntur, qui causam facilioris in ventriculo coctionis referunt in vitiosam hanc structuram. Secundò, Multò luculentiùs falluntur, qui id probare volunt ex 1. *Alim.*1. *G.* Hoc enim vult Medicus, Quibus bilis influit in ventriculum, ij corrumpunt cibos teneros.

CAPVT

CAPVT CXIII.

De OESOPHAGO, seu Gula.

HEic inprimis miror & demiror audaciam illorum, qui φάρυγγα vocant! A
Nam ne de aliis locis dicam, disertè ait Gal. 4. *Aph.* 34. φάρυγγα se vocare spacium illud, quod præiacet stomacho & laryngi. Non ignoro confundi aliquando φάρυγγα καὶ λάρυγγα: sed στόμαχον dici φάρυγγα planè novum est. Non minùs novum est confundi apud Latinos *Fauces & Gulam.*

Deinde moneo, τὸν στόμαχον videri dici quasi στόμαγχον. Tum enim dicere potest Arist. 1. *Hist.* 16. τὸν οἰσοφάγον ἔχειν ἐπωνυμίαν τοῦ στομάχου (ita enim emendo *Com. in* 4. *Vs. p.* 1.) ἀπὸ τῆς στενότητος. Iámque porrò cupio mederi loco illi, non quidem vt Spigelius 8. *Anat.* 7. ablato toto hoc: sed tribus istis voculis, τοῦ μήκους καὶ. Quo enim modo stare potest τὸ μῆκος cum τῇ στενότητι? *amplum* B
cum angusto? Et tum verè dicere potest Gal. *de Vs. p. l. c.* στόμαχος vocatur quodcunque collum angustum, isthmi instar, cavitati alicui, seu ventri præstructum. Hæc vt pulcrè explicant τὸ στόμαχος: ita damnant rejicula illa στενόμαχος, στενόμακρος, & fortè alia. Ad rem.

In Com. dictis est σφάλμα γραφικὸν, cùm verba hæc Aristot. tribuũtur, quæ Galeni sũt.

De substantia œsophagi quæstio est, Sítne membranosa, an carnosa? Ad membranas comitantur nos, non Gal. tantùm, sed & nostrates omnes. Conficiunt autem ex duabus tunicis (præter communem, quam à pleura habet, quamdiu per thoracem graditur) quarum externa sit carnosa, interna nervosa, & originem habeat (nervosa) è palato, è quo etiam aspera-arteria habet internam suam membranam. De interna quam litem moverit Vesalio Fallop. C
4. *Obs.* 2. & quid Vesal. *in Ex. f.* 115. responderit, scio: sed id huc non facit. De externa sum eius sententiæ, cuius veterum quosdam fuisse colligi potest ex 1. *Mot. musc.* 3. *B.* Musculum esse: sed sui generis.

Nam quàm longè abest, sensu ipso iudice, à membrana: tam propè accedit, ipso iterum sensu iudice, ad musculum. Quam enim membranam in toto corpore ostenderis mihi huius similem? Ne ipsa quidem carnosa, quæ est corporis vniversi tegumentum, ad crassitiem ipsius accedit. Adde, velimus, nolimus, concedere nos oportet, deglutitione messe actionem, nec naturalem, nec mistam ex naturali & animali: sed purè animalem. Hoc Natura non dicit, sed clamat, cùm œsophago peculiares dedit musculos, Galeno iuxtà & Avicennæ dudum cognitos. Hoc docuit paralysis horum muscu- D
lorum periculosa, de qua post Th. à Veiga *Com. in* 6. *Loc. aff.* 3. Riolanus noster 3. *Anthrop.* 14. De musculis ipsis mirum sæpe mihi accidit, plerosque omnes tam frigidos esse in ipsis describendis! præcipuè, postquàm Fallop. 2. *Obs.* 11. tam diligenter descripsit!

Hunc æmulati sunt, si non vicerunt tres nostratium, Bauh. 3. *Theat.* 86. Riol. 5. *Anthrop.* 18. Spig. 4. *Anat.* 6. & 29. His ego suppetias eo, & dico, Vt

tota actio ſit animalis, debuit etiam œſophagus eſſe muſculus. Quàm enim puerile eſt illud, *Ratione partis ſuperioris, quà muſculi ſunt, actio eſt animalis: ratione medij & finis, quà fibræ rectæ, naturalis?* Nam & ſuperiùs, quà muſculi ſunt, eædem fibræ ſunt. Non minùs puerile eſt, quod iiſdem fibris
E mandant duas, eaſdémque contrarias motiones, attrahendi & expellendi, atque ita œſophagum faciunt quaſi amphiſbænam quandam! Solus quippe attractionis motus gulæ eſt naturalis: expulſionis verò per vomitum, præternaturalis eſt, & convulſorio ſimilis.

Hæc ſcripſeram, cùm cœpi mihi ipſi bellum indicere, Quo, inquam, modo pertrahi huc poſſunt omnes illi Fallop. muſculi, cùm ne inventor quidem ipſe auſus ſit? Imò, cùm non exigua ſit diſcordia inter autores? Inſpectis igitur denuò locis ſingulis, non tantùm non reſilij, ſed & confirmatior factus ſum. Princeps enim Bauh. 2. *Theat.* 28. quà de œſophago, non ſolùm Oeſophagéos vocat muſculos hos omnes, & deglutitioni ſervire aſſerit: ſed & ad Fall. autorem refert. Quò magis miror, tanto à ſe interval-
F lo diſiunxiſſe! Par enim eſt vni actioni ſervientes partes ſimilares omnes, vno deſcribi loco.

Riolanus, cùm eidem culpæ affinis ſit, dicit expreſsè, *Ad œſophagi principium eſſe omnes ſuos pharyngis muſculos.* Hoc habere ſenſum hunc, deſinere in œſophagum, res ipſa clarigat. Idem prorſus dicit bonus-olim-Spigelius. Cæterùm diſſenſio illa levicula in re non mutat quidquam.

CAPVT CXIV.

De VENTRICVLO, & primùm de ſitu.

A DVplex eſt hæc quæſtio. Aut enim quæritur de toto animali, & reſpondetur, Situs eſt ventriculus in abdomine, ſtatim ſub diaphragmate. Hic locus an ſit medium totius corporis, ambigitur. Eſt: ſed non Mathematicum. Aut quæritur, In dextris, an ſiniſtris potiùs ſit? ἡ αὐτοψία atteſtatur 4. *Vſ. p.* 7. *D.* Aldino codici, qui habet, ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. Et habet Baſileenſis quoque: ſed turbavit Davus aliquis, qui margini adſcripſit τοῖς δεξιοῖς. Hoc tantò abominabilius eſt, quò frequentius eſt in pleriſque omnibus Latinis libris, vt *Notis in eum locum* dixi. Puteus *l.* 5. *Apol. f.* 149. *b.* cùm vellet oſtentare acumen ſuum contra Veſal. *l.* 5. *c.* 3. aliquammulta deblaterat de ſitu in dextris. Verùm pro merito accipit illum Cuneus *Apol. f.* 95. Qui velit, exquiſitioris doctrinæ gratiâ addat, quæ Veſal. *in Ep. ad Roland. f.* 130.

CAPVT CXV.

De gemino ventriculi orificio.

EXtra controversiam est duo heic esse orificia, per quorum alterum cibus & potus ingreditur: per alterum chylus egreditur. Fortassis ne hoc quidem controversum est, prius illud veteribus dictum fuisse καρδίαν, καὶ στόμα τῆς γαστρὸς, *cor, & os ventriculi*: posterius hoc, πυλωρὸν, *ianitorem*. Verumtamen de situ duæ sunt controversiæ. Prima, Vtrùm vel in sinistro, vel in dextro sit latere? Secunda, Vtrùm rectè alterutrum dicatur vel superius, vel inferius? A

Quod ad priorem, non dubito, Galenum apud bonos esse excusatissimum, & scripsisse, quod res est, τὸ στόμα scilicet τῆς γαστρὸς esse in sinistris: τὸν πυλωρὸν in dextris. Quòd si permutationes quædam vocum δεξιὰ καὶ ἀριστερὰ, 4. *Vs.p.7.D.* inciderunt, sunt illæ ab imperitis librariis. Quod ad posteriorem, res profectò est difficilima. Nam *l.c.E.F.G.* & iterum *c.8.B.* τὸν πυλωρὸν apertè collocat ἐν τῷ πυθμένι, *in fundo ventriculi*: quin bis vtitur de vtroque orificio τῷ ἄνωθεν, καὶ κάτωθεν, *suprà & infrà*. B

Hinc in vetustis picturis videre est τὸν πυλωρὸν in fundo ventriculi, videlicet, vt efferre possit. An dici debet, Galenum loqui cum vulgo? Neque enim hoc novum est apud gravissimos etiam autores. An τὸ πυθμὴν significat heic aliquid, quale in fructibus arboreis est, & dicitur Latinis *Vmbilicus?* quale in radicibus bulbosis ea pars est, vbi sunt radiculæ tenues, alimentum trahentes, vt in scilla, *9. κ. τόπ. 2*? Si ridere tibi placet, veni mecum ad Sylvij *Cal.24.* & audi, Pylorus Galeno statuitur in parte inferna, non superna, sed nec infima, &c. An extra risum potest hinc captari occasio emendationis ex consilio Gal.*6. Aph.34*? Non minor enim heic absurditas est, quàm *suprà c.52. extr.* in cordis ventriculis, & vasorum positu. Mihi indicium fecisse satis sit, ne desperatæ audaciæ arguar. C

CAPVT CXVI.

De glandoso corpore pylori.

SYlvius *Cal.24.* ait, Vesalium imponere Galeno, glandulam pylori firmare retentricem ventriculi. Aio ego, Galenus tam expresse id dicit *4.Vs. p.7.G.* vt ne locus quidem sit pervicaciæ. Idem Sylvius de mente Gal. negat in hominibus esse: esse autem in canibus. Atqui, dico ego, Galenus nec hominis mentionem facit, nec canis: sed absolutè ait, In quibusdam animalibus esse glandosa illa corpora. Ita enim loquitur. A

Cæterùm Veſalius 5. *Magn. Op. 3. & Ep. ad Roland. f. 172.* videtur rectè mihi negare vſum illum Galenicum, & contrà rectè aſſerere, Datum eſſe hoc corpus, vt fulciat vaſa in inteſtina porrecta, non ſecùs ac πάγκρεας. Ho- C
B dum Puteus *Apol. l. 3. f. 114.* confundit cum glandoſo corpore, facit, quod ſe dignum eſt. Et hoc additum volo iis, quæ Cuneus contradicit *Apolog. f. 69.*

CAPVT CXVII.

An ventriculi fundum ſit carnoſius?

A HOc Galenum dixiſſe Sylvius ait *Cal. eadem.* At vbi, mi homo? Veſalium pernegare rectè hoc dictum eſſe, ait idem. At vbi, mi homo? Credo ego Veſalio *l. c.* oculíſque meis, vtrobique eandem eſſe carnulentiam, idque propter tunicam externam propriam, quam carnoſam eſſe dicit Galenus 4. *Vſ. p. 7. E.* At hoc cui bono? Vt melior fiat concoctio. Veſal. ſomnium vocat. An tale eſt, quod Gal. 4. *Vſ. p. 8. extr.* & ex eo alij, Coquere ventriculum adiacentiū potiùs viſcerum calore, quàm proprio? Credidi enim olim: ſed iam denique video me deceptum eſſe. Si enim calor, quà calor, id facit, cur certa animalia coquunt certum quid? Canis oſſa, aſinus fœnum, equus avenam crudam, aves ſemina Cerealia? Imò ovum cur ad ignem coquendo induratur, in ventriculo humano eliquatur, vt Scaliger alicubi docet. Scio quid Cæſalp. 1. *Quæſt. Med. 3.* dicat: ſed non perſuadet. Scio quid alij de forma ſubſtantiali: ſed reverà eſt contra Medicinæ fundamenta, dicebat Scherbius. Si enim ventriculus malè coquat, quid facit Medicus? Calefacit: at formæ ſubſtantiales non calefiunt, non alterantur. Dico igitur, Calor, quà calor, non eſt primum agens, eſt inſtrumentum tantùm: calor talis eſt primum agens. Et hæc eſt ἰδιοσυγκρισία in vnoquoque animali, quæ iuvatur calefacientibus, deſtruitur contrariis, &c.

B Sed vt illuc redeam: dum æqualem craſſitiem agnoſco, loquor de eo, quod vtplurimùm fit. Nolo enim mendacij arguere eos, qui vel in ſuperiore parte carnoſiorem vidére, vel in inferiore. Quemadmodum enim rari quidam inter homines ruminant, ideóque veriſimiliter plures habent ventriculos: ita quidam poſſunt aliquo modo accedere ad avium ventriculos.

CAPVT CXVIII.

An ventriculus venas habeat etiam à Cava?

A
Vide Sylv. & Heneru Cal. 18.

ACcuſat quidem eius aſſertionis Galenum Veſalius *Ep. ad Rolandum f. 134.* allegans 6. *Ex. Anat.* At 5. *Magn. Op. 3.* excuſat, ſibi olim ita viſum

ſum fuiſſe, non ex *Exerc.* tantùm, ſed & 4.*Vſ.p.* Hac de re dicam iterum, vbi ad Omentum pervenero.

CAPVT CXIX.

De motu ventriculi.

NE longiùs abeam, Si œſophagi externa tunica eſt muſculus; illa verò A
eſt continua cum externa ventriculi, habétque adeò fibras carnoſas: vtique etiam ventriculus motum habebit. Sed qualem? Heic verò Gordius eſt nodus. Animalem ſi dixero, conſtans in veſtigio fuero: at quei probabo? Naturalem ſi vocavero, à motu vnivoco tranſſiliero ad æquivocum. An quemadmodum actiones quædam ſunt miſtæ: ita motus quidam? Ita cenſeam.

Super hac re ſatis multa legeris apud Fall. 4.*Obſ.*3. & Veſ. *in Ex. f.*115. Quibus locis obſervabis, Falloppium quidem vocare motum miſtum, & in ſimili negotio *c.*10. agnoſcere motum quaſi voluntarium: Veſalium autem tunicam, de qua loquimur, vocare muſculoſam, & oſtendere in ea carneum quid. Tu verò, qui fortaſſis me rem novam afferre putas, conſidera, annon B
perveterem dicam! Περιστολὴ enim καὶ περισταλτικὴ δύναμις ἢ κίνησις, *Circumplexio, & facultas ſive motus circumplexorius ventriculi, inteſtinorum, aliorum viſcerum* ab Eraſiſtrato eſt: facultas ipſa eſt eadem cum τῇ καθεκτικῇ, *retentrice.*

Hoc ſi mihi non credis, Galeno credes locis *infrà cap.*348. allegandis. Ego obiter illud noto, Affecto ore-ventriculi, vt cibum continere non poſſit, hanc inprimis facultatem deficere, & vocari à quibuſdam ὑποσπασμὸν, quia Gal. expreſſè ait, fieri δι' ἀτονίαν τοῦ στόματος τῆς γαστρὸς, οὐ δυναμένου περιστέλλεσθαι τοῖς σιτίοις, 8. κ. τόπ. 3.*A.* Niſi fallor, idem affectus θλίψις τοῦ στομάχου dicitur *l. de Præcog.*11. *A.* quo laborantem Marcum Imp. cùm curâſſet Gal. magnam laudem abſtulit, cùm Medici cubicularij febricitare illum putarent. Verùm, hac de re *in Pathologicis*, ſi DEVS volet.

CAPVT CXX.

De INTESTINIS, & primùm de ordine & numero eorum.

DEalbabo heic ex vna fidelia, non geminos, ſed plures parietes. A

Primò, 1. *Temp. vlt. K.* agens Galenus de inſertione pori bilarij in inteſtina, implantari ait in ieiunum, quod dicatur τῆς γαστρὸς ἔκφυσις, *ventriculi ramus.* Hoc manifeſtè pugnat cum aliis Galeni locis, & communi Anatomicorum conſenſu. Propterea librarium accuſo, & ita tranſpono, εἰς

τὸ

τὸ μεταξὺ τοῦ πυλωροῦ, (ὃ δὴ τῆς γαστρὸς ἔκφυσιν ὀνομάζουσι) καὶ τῆς νήστεως ἐμφυόμενος.

Secundò, Eâdem medicinâ vtor in ſimili loco & materiâ, *6.Ex.Anat.9.* ceu videre eſt *2.Var.lect.22.* Ita enim ego, ἱκανῶς ἐστι στενή, δωδεκαδάκτυλος οὖσα τὸ μῆκος, ὡς Ηρόφιλος ἀληθῶς ἔφη. μετὰ ταύτην δὲ κατακάμπτεται). Et cum his conſentit catalogus inteſtinorum *5.Vſ.p.3.A.*

B III. Ex eodem loco alia controverſia oritur. Paulò pòſt *D.*ait, τὴν νῆστιν, *inteſtinum ieiunum*, omnium inteſtinorum primum eſſe, cùm in veſtigio dicat, τὸν πόρον χοληδόχον inſeri paulò ſuprà in ἔκφυσιν τῆς γαστρὸς, quam primis cap. verbis nuncupat *inteſtinorum primum.*

Difficultatem de inſertione auget, quod in *de Temp.* dicitur, In quibus porus hic vnicus eſt, iis bilem omnem in ieiunum influere. Alteram de primo inteſtino id, quod *6.Ex. Anat.5. B. & ibid.12. A.* primum inteſtinum vocat *tenue.* Vt per προσθύστερον agam. His locis (vt & *4.Vſ.p.18. A.*) non intelligit *Tenue*, quod tertio loco habet *5.Vſ.p.3.* & omnibus Anatomicis hodie dicitur: ſed more veteri totum ductum inteſtinorum tenuium, qua de re videre

C tibi eſt Valleſ. *in 6.Epid.5.t.3.* Loquitur ita Ariſt. quoque *2.Hiſt.17.4.Part.14.* & fortè *alibi.* Cùm *ieiunum* vocat primum inteſtinorum, fit id quoque more veteri, qui erat, Inteſtini nomen non tribuere, priuſquàm convolvi incipit, vt autor eſt Galenus *6.Ex. Anat.12.* Hinc *6.Loc.aff.2.G.* non tantùm Ieiunum facit primum inteſtinum: ſed & Rectum omittit, niſi ſi admittas correctionem, quam *Not.* in eum locum meditor. Sed quomodo in vno & eodem *cap.* (*5. Vſ. p.3.*) & ἔκφυσιν vocat primum inteſtinorum, & ieiunum? Prout vel ex propria ſententia loquitur, vel ex aliena.

De inſertione ita eſt habendum, Natura, vbi opus non eſt, non ſemper obſervat punctum Mathematicum: ſed (quod ad rem noſtram) infigit porum, modò altiori loco, modò depreſſiori. Ideò Naturæ amicus poteſt

D dicere modò hoc, modò illud, prout hoc vel illud vidit in diverſis cadaveribus. Sed neque dum, vel de fine τῆς ἐκφύσεως, vel de principio τῆς νήστεως planè convenit inter Anatomicos: quare ſine errore dici poteſt modò hoc, modò illud.

Eâdem licentiâ cùm vtatur Natura in eadem ἐκφύσει, & modò faciat δωδεκαδάκτυλον, vt Herophilus vidit; modò ἐννεαδάκτυλον, vt Piccollominus; modò πετραδάκτυλον, vt alij: non eſt opus aliâ curâ, quàm hac ipsâ admonitione, multò minùs tragicâ aliquâ μεταμορφώσει. Hæc ipſa licentia eſt in inteſtinorum longitudine. Vetus obſervatio dicit, ſepties eſſe longiora homine ſuo: at Riolanus noſter novies invenit, alij ſexies. Superpondij loco addo in defenſionem magni Veſalij. Dicit ille *5.Magn.Op.5.* Externam inteſtinorum tunicam eſſe *tenuiorem.* Reprehendit id Fall. *4.Obſ.5.* At ille *Ex.f.119.*

E culpam reiicit in librarium. Et reverà ita eſt, vt ſcribit, Ex orationis ſerie vnuſquiſque promtè animadvertit.

Vide D. ab Aquapend. *tract. de Inteſt. f.142.*

CAPVT CXXI.

De situ eorundem.

ERror est vulgarium Practicorum, In dysenteria tum affici intestina superiora, eademque gracilia, cùm dolor est supra vmbilicum: inferiora & crassa, cùm infra. At verò Anatomia humana ostendit, Tenue quidem & Ileon circumvolutionibus suis ad pubis vsque ossa excurrere: Colon autem à dextro rene ascendere ad hepar, ventriculum & lienem, indéque in sinistro latere desinere in Rectum. Habet originem falsa illa opinio ex Hipp. 4. *in 6. Epid.7.* vbi intestina hominis dicuntur esse similia canis, in quo est situs ille, quem Practici nobis dant. Et quia Galenus *in Com.* tacet, videtur correus esse. A

At verò quia in iudicio nemo damnatur ex præsumtionibus; quin probationes debent esse luce meridianâ clariores: fas est suspendi tantisper sententiam, vsque dum ex genuinis ipsius libris testimonium aliquod tale afferatur. Equidem in his nondum quidquam reperi, quod vel pro, vel contra illum faciat. At in Medico, qui & *Introduct.*11.*G.* hoc invenio: Colon pertendit in dextram, supra vmbilicum, inter iecur & lienem, à quo deorsum vergit in Rectum. B

CAPVT CXXII.

De pinguedine.

ERror non minùs vulgatus Practicorum in eodem affectu est, Pinguedinem statim ab initio excerni. Hoc probant illi, partim ex farciminibus suillis, partim ex Galeno, qui 4. *Aph.*26. in principio ait excerni πυὰ πιμελώδη σώματα, *corpora quædam pinguia.* Sed falluntur in vtroque. Quod ad farcimina, primus (ni fallor) PLATERVS (à quo SCHERBIVS) observavit, imponi nobis à laniis. Invertunt enim intestinum rectum, & mentiuntur pinguedinem in interiori cavitate, quæ in extima superficie est. Et si ita esset, vt illi volunt, quomodo non excœcarentur vasa Mesaraïca, & præterlaberetur magna chyli pars? Si in quibusdam factum est, iam præter naturam est, & huc non facit. A

Quod ad corpora illa pinguia, modus loquendi satis ostendit, Galenum de propriè dicta pinguedine non loqui. Reverà explicare oportet de pituita, quæ *Crustam* Anatomicis dictam constituit. Hæc, quia viscida est, mentitur aliquo modo pinguedinem, vt *suprà* quoque de Glottide audivimus ex 7.*Vs. p.*13. An cum his corporibus eadem sunt τὰ ξύσματα, *ramenta*, de B

quibus Galenus *in Com. Aph?* An σώματα ſunt ſtatim ab initio, cùm dyſenteria fit, vt Galenus loquitur? cùm, inquam, parva ſunt, & rotunda? ξύσματα, cùm iam magna & lata? Valde enim improbabile eſt, etiam in facta dyſenteria (de longa non loquor) abradi ſtatim ſubſtantiam inteſtinorum! & quidem non ſuperficialiter, vt in ſcabie, ſed totis fruſtis!

Huc illi eunt, qui tertium, non ſecundum morbi gradum faciunt, cùm
C carunculæ excernuntur. Memini cùm Patavij in praxi ſequeremur Cl. D. Saxoniam, oſtendere illum nobis mulierem, quæ in hoc morbo excreverit partem inteſtini palmum latam. Mirabamur, ſed domi inclinabamus omnes in cruſtam, de qua loquebar. Gal. tamen 14. *Vſ. p.* 17. *H.* aliò it. Superioribus annis, cùm quidam in diuturno, eóque valdè obſcuro morbo excreviſſet quid ſolidum, indicis ferè latitudine & longitudine, & id exſiccatum nobis oſtenderetur: dicebat amicus pinguedinem eſſe. Albicabat enim cum fibris quibuſdam ſanguineis. Negavi ego, & ad cruſtam, ſeu pituitam me converti. Cùm pertenderet ille, iuſſi nobis candelam ardentem afferri. Cùm nullo modo flammam conciperet, ſed fumum prorſus inodorum: ſilentio faſſus eſt errorem alter.

CAPVT CXXIII.

De Subſtantia.

A REvocat hanc mihi in memoriam membrana, de qua dixi. Vt iudicium ferri poſſit, intueri oportet, non continuitatem tantùm cum œſophago & ventriculo: ſed & actionum affinitatem, quatenus ſe invicem immediatè ſequuntur. Oeſophagi actio eſt cibum deglutire, & in ventriculum deponere: ventriculi coquere, ſeu chylificare: inteſtinorum diſtributioni, mediantibus vaſis Meſaraïcis, ſervire.

Hinc inferri videtur poſſe, quemadmodum œſophagi ſubſtantia planè eſt carnea, & motum habet manifeſtum; ventriculus obſcurum, eúmque propter tunicam externam carnoſam: ita inteſtina quoque carnoſa eſſe, & habere eundem cum ventriculo motum, miſtum ſcilicet. Talem agnoſcit Maſſar. 1. *Pract.* 16. Vide, quæ *ſuprà cap.* 96. annotavi ex Vall. Sed videamus,
B quid dicat Galenus noſter. Comparans illa 14. *Vſ. p. vlt. A.* cum veſica vtraque, illas quidem ait corpora habuiſſe σκληρὰ καὶ δυσπαθῆ, *dura, & difficulter patibilia*: his autem cum ventriculo τὸ σαρκῶδες τῆς οὐσίας οἰκειότερον fuiſſe, *præſtitiſſe carnoſæ eſſe ſubſtantiæ.* Eius rei cauſam eſſe dicit, quia coctionis potiùs inſtrumenta ſunt, quàm excrementorum receptacula. Idem 4. *Aph.* 26. valde cautè loquitur. Cùm in dyſenteria, inquit, tam magna exeunt ramenta, vt poſſimus eas vocare carnes, &c. At 6. *Meth.* 4. *M.* de vulneribus inteſtinorum loquens, craſſa quidem εὐίατα, *facilè ſanabilia* eſſe ait: tenuia autem δυσιατώτερα, *difficulter ſanabilia.*

In ſpecie de Ieiuno agens, ait eſſe παντάπασιν ἀνίατον, *omninò inſanabile,* partim propter vaſorum Meſaraïcorum copiam & magnitudinem: partim διὰ τὸ λεπτὸν καὶ νευρῶδες τοῦ χιτῶνος, *propter tunicam tenuem, nervoſámque.* C Rorarius *Contrad.*82. dicit, vtrumque poſſe admitti, prout inteſtina comparantur vel cum his, vel cum illis. Hoc nihil eſt. Dicendum eſſe puto, Omnia inteſtina eſſe carnoſa ob cauſam à Galeno dictam, ob quam etiam, ſi propriè loqui velimus, tunicæ potiùs ſunt, quàm membranæ, licèt contrà eat Galenus *6.Ex.Anat.7.B.* Sed enim quò magis excarnia ſunt, quale eſt Ieiunum: eò magis ad ſubſtantiam nervoſam accedunt. Iam igitur cum Rorario dici poteſt ex 1.*in 6.Epid.2.F.* Inteſtina ſi quando nervoſa dicantur, fieri id impropriè, vt vterus etiam. Vide Laurentium 1.*Anat.q.*23.

CAPVT CXXIV.

De Facultatibus.

NOn ſine indignatione quoſdam video ambages quærere, dubitantes A modò de hac, modò de illa. Ita enim res habet. Inteſtina, quatenus publicum officium habent, quatuor habent facultates, attrahendi chyli, retinendi eiuſdem, alterandi, & expellendi ſuperfluum id, quod vaſa Meſaraïca relinquunt. Eadem, quatenus privatum officium, eaſdem quatuor habent, attrahendi ſanguinis &c. An autem, & quomodo fiant hæ actiones per tunicam hanc vel illam? per fibras has, vel illas? apud me eſt inter illa, quæ ſciri non poſſunt. Quod ad attractricem, Laur.1.*Anat.quæſt.*17. adimere vult illis publicam: relinquere ſolam privatam. Ego verò non video, quo modo non metuenda ſit confuſio operum iſtorum naturalium, niſi obſervetur ordo B ab ipſa Natura inſtitutus.

Non video etiam, quo modo expultrix ventriculi ſatis eſſe poſſit, ſiquidem non plus chyli in inteſtinis eſſe debet, quàm vaſa Meſaraïca trahere poſſunt, ídque propter cauſam modò dictam: Multò minùs ſcio, quo modo retentricem negare poſſit *quæſt. ſeq.* idem! Licèt enim expultrix ſit fortior, ídque ob feliciorem αὐάδοσιν: non ob id tamen retentrix nulla prorſus eſt, ídque iterum ob dictam cauſam. Sed neque gyri inteſtinorum tueri poſſunt locum retentricis, cùm per ſe nihil agant, ſed συμπτωματικῶς concurrant. Concoctricem vel ideò do inteſtinis, quia conſenſus eſt inter omnes, omentum propterea factum eſſe.

De lienteria quæ congerunt illi loca, non perſuadent ſolius ventriculi C affectum eſſe: quin eſt ventriculi & inteſtinorum ſimul. Si Galenus videbi- *6.Loc.aff.3.* tur quibuſdam locis ſeorſim ire, benignâ opus eſt interpretatione. Vide, ſi *F.* placet, Rorarium quoque *Contrad.*83.*&* 84. Illud ego heic addo, Galeno 4.*Vſ.p.*8.*A.* non incognitam fuiſſe obſervationem Riolani 2.*Anthrop.*12. Tunicas inteſtinorum habere ſitum contrarium à ſitu tunicarum ventriculi.

In ventriculo enim (vt & gulâ) interna est membranosa, externa carnosa: in intestinis contrà, interna est carnosa, externa membranosa.

Vnde illud ego πόρισμα elicio, Siquidem ex carnis præsentia de coctione iudicandum est, Intestinorum quidem potior, adeóque primarius vsus erit D concoctio, secundarius distributio, ventriculi autem contrà. Atqui hoc falsum est, tam in rerum natura, quàm in doctrina Galeni *lib.cit.c.17.A.* Vnde iterum deduco aliud πόρισμα. Siquidem ex eo, quod evidens est (caro enim in sensus incurrit) argumentari non licet: quantò minùs ex fibris (quæ obscurissimæ sunt, vnde etiam dissensus est bonorum virorum) argumentari licebit de facultatibus intestinorum.

CAPVT CXXV.

De causa longitudinis.

A VNica, eáque verissima est, vt locus sit innumeris illis vasis Mesaraïcis sigillatim atque ordine applicandis, ne quid benigni præterfluat, vt pulcrè deducit Gal.4. *Vs.p.17.C.* Eadem ratio est anfractuum, ne longitudo illa nimis multum spatij occupet. Quod verò additur *ibid.F.* & repetitur *c.seq.A.* ex Platonis *Timæo*, Si alia constructio esset, fore, vt homo sit alienus à Musis & omni Philosophia: intelligendum est, quatenus homo opponitur τοῖς εὐθυεντέροις ab Arist. dictis 3.*Part.*14. Hoc si non placet, dic sententiam communem esse, quales multæ de manu in manum dantur.

CAPVT CXXVI.

De valvula Ilei sive Coli.

A ITa loquor: quia Varolius 3.*Anat.*3. Ileo tribuit: Bauh. autem *in Addit. ad l.* Rossetti de partu Cæsareo, vt & 1.*Fabr.*12. nec non 1.*Theat.*17. Colo. Huius inventionem sibi transcribit dictus Bauhinus, factam anno 1579. Quamobrem acerbè traducitur à doctiss. Riolano 2. *Anthrop.*12. quibus lectis dixi, *Parcius ista viro!* Quamvis enim verum sit, quòd Varolius prior annis septem, licèt Sal. Albertus totidem: (vterque enim anno 1572. scripsit, hic in Academia VVitebergensi, ille in Bononiensi) verum tamen esse potest hoc quoque, quòd Bauh. repererit, antequam alterutrius scripta ad ipsum pervenerint. Si enim accidere potuit, vt vterque dictorum, tot milliaribus disiuncti, eodem anno inciderit in idem: quidni fieri potuerit, vt Bauhinus post septennium, à nemine licèt monitus, idem offenderit?

Tale quid suboluisse Gar. probat Bauh. *præf. in ed. vlt. Institutionū*, ex duobus *Meth.* locis. Alter est *l.5.c.11.* alter *l.13.c.17.*

B Quòd verò idem Riolanus etiam Piccollominum allegat 2. *Prælect. Anat.* 11. ex invidia planissimè fit. Præterquàm enim quòd scripsit iste

anno

anno 1586. Riolanus ipse ait, Anatomicum non fuisse. Sed neque vidisse illum hanc valvulam, duo sunt argumenta. Alterum, quòd tres ex vna facit. Alterum, quòd cœco applicat. Quæ alia cumulat idem Riolanus, apertè sapiunt animum exulceratum. Talis etiam erat Pavvij, Anatomici Leidensis, quem publicè dixisse habeo de amico: *Non possum videre hanc valvulam, quamvis auri Batavæ addendus sit in posterum oculus Batavus!*

CAPVT CXXVII.

De cæco intestino.

ERror Galeni heic nimis quàm manifestus est. Asserit 4.*Vs.p.*18.*B.* esse id A (in homine quoque) veluti crassum quendam ventrem, excrementis recipiendis factum. Tale quidem est in subus, vt de his solis dicam: sed in homine est tenuis quædam adnascentia, instar vermiculi propendens eò loci, quo alioquin in brutis cœcum est.

Qui volunt hoc nomine appellare primam Coli cellam, refutantur etiam à Vesalio 5.*Magni Operis* 5. Ibidem cùm nugacem tergiversationem vocet, *Aliter nunc constitutos esse homines, quàm olim erant*: miror Sylvium *Cal.*25. denuò illuc ire! Fabulæ loco apud me est, quod Varol. ait *l. c.* & repetit ex eo Bauh. *Theat. itidem l.c.* in pueris quidem pervium esse, & servire reservandis fæcibus: in adultis autem arescere, & amittere vsum B illum.

Non minùs fabulam sapit, quod de diarrhœâ puerorum ex Massa scribit & Carpo Riol. itidem *l.c.* Tribus verbis, Est notæ gratiâ in homine, quod post Vesalium idemmet fatetur Riolanus. Hoc ipsum est *Frustrata constructio* D. ab Aquap. *tr. de Intest. f.*149. *&* 165.

CAPVT CXXVIII.

De Recti musculis.

TRes esse docet Galenus expressè 5.*Vs.p.*14.*A.Constrictorem*, σφιγκτῆρα, vnum, *Levatores* duos. Idem vt doceatur *l. de Anat. musc.* 30. iubeo *Notis* in eum locum pro *Alius* legere *Hic.* Ita Falloppius 2.*Obs.*21. non habebit cur vrgeat numerum quaternarium. Vesal. etiam *in Ex.f.*77. iure illi negabit, τὸ σφιγκτῆρα rectè dividi in duos. Interim Riolanus 5. *Anthrop.*38. non tres tantùm facit constrictores, sed & quatuor levatores. Vide de actione horum heic *infra, c.*147.

CAPVT CXXIX.

De MESENTERII ortu.

MVltus est hac in re Fall. 4.*Obs.6.* nec pauca dicit Vesal. *in Ex. f.*120. Ego illud duntaxat ex Vesal. capio, Consistere hanc rem in imaginatione potiùs. Cùm enim pars vnaquæque suam habeat generationem, quid opus est talibus? Verumtamen, quemadmodum in vasis originem quærimus ibi, vbi & vnde est τὸ κύριον, *formale* vniuscuiusque: ita in membranis ibi, vbi habent præcipuum stabilimentum suum. Natura enim nihil relinquit sine stabilimento, inquit alicubi Gal.

CAPVT CXXX.

De locis duobus Arist. οὐδὲ πάρεργον.

A CVm 2. *Var. lect.*23. inclamassem locum 1. *Hist.*16. in specie illa verba ὑπὲρ τῶν ἐντέρων pertinere dixissem, non ad Mesenterium, sed ad Omentum: inventus fuit Riolanus, qui 2. *Anthrop.*15. defendit Mesenterium, aiens, *Quia Arist. considerabat ista in brutis,* in quibus, quia prona incedunt, Mesenterium est alligatum dorso, atque ita super Intestina. Atqui, inquam ego, etiam in homine est alligatum dorso! Nisi etiam fallor: quid dico autem? Arist. hoc ipso *cap.*docet, ἡ κεφαλὴ πᾶσιν ἄνω, *In omnibus animalibus caput habet locum superiorem.* Ita enim intelligo. Quid igitur ad incessum invitat nos vir magnus?

B Quo ipso fundamento quia vtitur idem contra me, qui *Var. cap.*26. *seq.* eandem medicinam adhibeo Philosophi verbis, eiusdem 1.*Hist.*17. vbi ait, Hepar esse ὑπὲρ τὸ διάζωμα: non habeo equidem, quod dicam, nisi hoc, Quia vetustissima Anatomicorum consuetudo iubet nos ordiri, non à capite seu supremo ventre, sed ab imo, seu abdomine; tum verò hepar est ὑπὸ τὸ διάζωμα: non videri accusandum quenquam, si Philosophum adigat ad morem Anatomicum.

An ὑπὸ exponi potest tùm *Ad?* Vide *infrà cap.* 254.

Hunc, vt puto, spectavit etiam Ill. Scaliger, qui *apoteles.*207. τὸ ὑπὲρ vocat monstrum, substituítque τὸ ὑπὸ, quod ipsum in MS. etiam invenit Accorambonus. Hoc sensu idem Scaliger potest Gazam apprehendere, & ad
C exercitia Anatomica ducto, ad hepar intento digito dicere, Hem tibi, hepar est sub diaphragmate! Alioquin etiam Abbatius 3. *Controv.* 18. defendit τὸ ὑπὲρ, respectu scilicet cordis. Idem facit Montisianus, *quæst.*2.

CAPVT CXXXI.

De vſu VASORVM MESARAICORVM *dictorum.*

SCripſit hac de re particularem tractationem, vt vocat, IOAN. COSTÆVS, Bononiæ in 4. quam in Bibliotheca Nationis Patavij 1604. videre tantùm, & legere contigit mihi. Sunt autem eadem cum iis, quæ idem autor habet 4. *Diſquiſ. Phyſiol.* 324. Propterea nemo ſperet, ſe peculiare quid inventurum, præter ea, quæ mox examinabo. Vulgaris ſententia eſt, Venæ-portæ ramum Meſentericum ſeu dextrum accipere per ramos ſuos ex inteſtinis chylum omnem, & deportare ad hepar, vbi faceſſat in ſanguinem, qui corpus totum abſque vlteriori elaboratione nutriat. A

Verumenimverò, ô viri doctiſſimi, iidémque clariſſimi, quid ita clauſis oculis præteritis cor? Sed divagor longiùs: cùm videatis ramum Meſentericum: cur videre non vultis ramum Splenicum, qui apud Philoſophum, vt ex ſuperioribus patet, αὐτοματῶ, *rapit ſiniſtrorſum* aliquid chyli impurioris? Scio, quid præſtruat oculis veſtris: ſed ſino. Cùm videatis vnum ramum venæ Meſentericum: cur non vultis videre Arterias Meſentericas ambas, quæ ſimiliter ſcinduntur, chylúmque hauriunt? Cùm videatis ramum venæ Splenicum: cur non videtis quoque Arteriam Cœliacam, quæ cum Splenico ad lienem it? Et de chylo quidem arterioſo dicetur cum DEO alibi: quod Arteriæ etiam trahant chylum heic mihi probandum eſſe video, vel ideò quia θ. de hoc negotio, anno 1615. diſputatæ, non ſunt in omnium manibus. Agam autem ſtrictè. B

I. Servatis, inquit Varolius, iiſdem proportionatis inſtrumentis, eaſdem proportionatas actiones ſervari neceſſariò credendum eſt. At verò arteriarum Meſaraicarum eadem eſt cum venis Meſaraïcis ad inteſtina conformatio, idémque numerus. Ergo eandem actionem habent. C

II. Arteriæ Meſaraïcæ, non ſecùs ac venæ, continent in ſe duplicem ſubſtantiam, albam & rubram, quarum hæc ſanguis eſſe creditur, quo nutriuntur: illud chylus, quem vehunt.

III. Vaſa omnia trahunt eum humorem, quem contingunt. At verò arteriæ meſaraïcæ non minus quàm venæ, chylum contingunt. Accedat his autoritas Hipp. qui *l. de Corde* ait, Arteriam magnam pabulum accipere ex ventriculo & inteſtinis, plenámque adeò eſſe alimento non principali. Accedat & Gal. qui, non vno loco, ſed quatuor, diſertè ait, Arterias propoſitas trahere chylum. Ij loci ſunt 3. *Fac. nat.* 13. *O.* Et mox *c.* 14. *extr.* bis. Et iterum *c.* 15. vltimis verbis. Tandem 4. *Vſ. p.* 17. *G.* Præter hunc vſum habere Venas etiam vim ſanguificatoriam volunt quidam. Inter hos Rorarius eſt *Contradict. Gal.* 149.

CAPVT

CAPVT CXXXII.

An ad omnia intestina eant?

CVm Gal. expresse id dicat 4. *in* 6. *Epid.*7. distinguat etiam ea, quæ ad tenuia eunt, ab iis, quæ ad crassa: opponit se illi Riol. 2. *Anthrop.*15. *Inanis,* inquit, *videtur distinctio esse, cùm nulla pars Mesenterij crassis adhæreat.* Huic iterum opponit se Asellius *de Lact.*2. his verbis.

Vehementer miror, quâ id ratione dicere potuerit Riolanus! Quis enim non videt Colon à dextro saltim ac sinistro latere (nam fundo ventriculi, omenti beneficio, necti non ignoro) à Mesenterio manifestè contineri? sed & recto quoque sede inferiori perspicuè adnascitur. Hoc cùm ita sit, cum grano salis accipiendum est, quod dicit summus Anatomicus, Gracilia quidem intestina servire tantùm distributioni vtilis, seu chyli: crassa verò inutili seu excremento. Imò vtraque serviunt vtrique.

CAPVT CXXXIII.

Excursus in venas lacteas Asellij.

A QVandoquidem novum hoc inventum, vt vocat ipse, non leviter convellit ea, quæ dicta sunt, operæ precium me facturum censui, si obiter anquiram in illud. Et fateor sæpe me miratum fuisse, cur vir iudicio alioqui non vulgari præditus, & in bonorum Autorum lectione feliciter versatus, conspurcare se voluerit hoc ostento! Vtvt verum sit (deducit ille *cap.*13.) antiquitùs etiam dubitatum fuisse, Annon alia chyli, alia sanguinis vasa sint? verum tamen & hoc est, Galenum 3. *Fac.nat.*13. planè aliò ire.

Vtvt etiam non negem, Mesaraïcarum alias plus cremoris albi vehere, alias minùs, adeóque posse Asellium vrgere sensum, vt facit *cap.*12. VENI, inquit, & VIDE: non ob id tamen confectum est negotium. Si enim, ô bone,
B vidisti vasa chylo peculiaria, adeóque lacteum cremorem exemisti: quei fieri potest, quòd vasa inter manus ipsas, ac penè inter oculos evanuerint, nec vestigia sui reliquerint, vt est *cap.*9? Si de succo solo ibi te locutum esse dicis, quid illud est, quod *cap.*19. ais, te originem illarum comperire non potuisse? Si vidisti finem, qui in intestinis est; si modum insertionis eundem cum Mesaraïcis reliquis agnovisti; si per Mesenterium ad pancreas, & inde ad Portas hepatis ascendere concedis: quomodo simul dicere potes *eiusdem cap.extr. Obliterari?* Certè, si substantiæ sunt, ex elementis quatuor factæ: quo modo in nihilum redigi possunt? Si hoc aversaris, quæ Orci galea tegit illas, quò minùs conspiciantur ampliùs? Imò, inquit *cap. eod.*

eod. sunt *vasa sui generis*, ex intestinis cum vena-portæ ad hepatis sima ascendentia, sed diversa, nullo prorsùs cum eadem vena-portæ commercio, nullâ confusione dissipantur, absumuntúrque. Et *cap.*31. oculorum suorum testatus fidem, per carnem hepatis dispergi ait, in eam desinere, obliterarique, nullâ interim deprehensâ cum vasis cæteris communione muneris, aut societatis, &c. C

Ego verò primùm audire cupio, quid sit illud *Sui generis?* Si iam sunt, cùm vides illa: cur subitò non sunt? Si in hepar ingrediuntur, ablatâ carne (vt *suprà* scripsi) vtique supererunt illa. Deinde, τὸ *Obliterari* patiar exponi per τὸ *Exolescere*, & *Sensum destituere*, vt facis *cap.*14. quid inde boni tibi accedet? Neque enim quisquam persuadebit mihi, posse fallere sensum omninò. Reverà, quod Asellius de aliis dicit, dicendum de ipso etiam, Somniat cum Sabinis, & cum Heraclito iubet μηδὲν λαβεῖν, καὶ κρατεῖν καλῶς.

Vide etiam Sennertum 3. *Pract* 3. *c.*2. *extr.*

CAPVT CXXXIV.

An omnes venæ Mesaraïcæ ad hepar eant?

COnstans est alioquin hæc Galeni doctrina, ire: vno tantùm loco 4. *Vs.p.*19. id negat. Super hoc dixi quædam 2. *Var. lect.*19. *Notis* etiam in eum locum scripsi, Galenum indubiè loqui ex Herophili sententia. An ille, (Herophilus, inquam) vidit monstrosum quid, quale Fall. 3. *Obs.*2? An potiùs offendit venas vmbilicales canum & felium, quas ad Mesaraïcas pervenire, & in ipsas pertundi scribit Ill. D. ab Aquap. *l. de Form. fœtu, c.*10? An hæ ipsæ lacteæ Asellij sunt? Rectè enim de illis dixeris, Cùm totum mesaræon accuratissimè examinaveris, ne minimum quidem eiusmodi vasorum se offeret. Et, Id genus venas, nec vidisse Asellium, nec, vnde ortum trahant, indicare posse.

Puteus *Apol. l.* 5. *f.* 172. *b.* Galenum nec dixisse, nec somniâsse ait. O defensorem inficetum! Heneus, *Cal.*26.

CAPVT CXXXV.

An valvulas habeant?

SOlus Columbus *l.*6. *Anat.* vidit has valvulas, solus fuit Lynceus alter. Licèt autem ob id vapulet penè ab omnibus: ego tamen fieri hoc putem, non quòd oculi illum fefellerint, sed quòd desit illi gratia apud nos, & studium inquirendi in rem tam minutam. At vos, ô tales, cogitaretis Hippoc. illud, μηδὲν ὑπεροράν. Tibi ergo, Excellentissime DD. IOAN. VVESLINGI, &c. qui in cathedra Illustriss. D. ab Aquapendente sedes, esto demandata hæc provincia!

Vti & illa, an in Lacteis Asellij (ſcribit is *cap.* 18.) contrarium poſitum habeant?

CAPVT CXXXVI.

An, præter Meſaraïca vaſa, etiam alia vehant chylum?

A QVi candidè iudicare volent, fatebuntur me ſenili hoc labore hoc vnum agere, vt, quantum humanitùs fieri poteſt, nec ipſe fallar, nec fallantur alij. Hoc adeò dico nunc propter παρόραμα quoddam Riolani. Scripſeram *Com. in* 4. *Vſ. part.* 1. & probaveram ex duobus aliis eiuſdem libri locis, *cap.*8. *C. & cap.*13. *D.* Galenum etiam ventriculi venis dare poteſtatem vehendi chyli ad hepar. Addideram παραμυθίαν Ill. D. ab Aquapendente, In caſu tantùm neceſſitatis id fieri. Tum ille *in App. omiſſ. f.* 927. Fabricius ab Aquapendente dubitat, *An venæ Meſaraïcæ trahant chylum?* Quia Hofmannus id teſtatur & refert. Inſignita iniuria vtrique noſtrûm facta! Me, ſpero, excuſabunt boni, ſi intellexerint, nec me-
B miniſſe me venarum Meſaraïcarum, nec Præceptori tribuiſſe hoc ἔνδοξον. Præceptorem exculpabunt illa, quæ *tract. de Ventriculo f.*82. *&* 83. de vſu venarum viſceri huic innexarum ſcribit.

Cæterùm, vt hac quoque in parte ingenuitatem meam prodam, διαῤῥήδην dico, Me neque ſententiam Galeni probare, nec παραμυθίαν. Venæ (ſubintelligo arterias quoque) ventriculi vehunt ſanguinem ſolum, ſerviúntque ſoli illius nutritioni. Caſus neceſſitatis duplex cùm ſit, poſt diligentiorem conſiderationem, neutrum accepto. Non inediam: Chylus enim non eſt proportionatus vlli parti, nec appetit ventriculus cibos, vt chylo nutriatur, quod *infrà* fortaſſis probabo. Quid verò? Si in cibi penuria nutriunt, quei fit, quòd vnquam fameſcimus? Nam in ſtatu ſecundùm naturam hepar ſemper habet ſanguinis tan-
C tum, quantum ventriculo ſatis eſſe poteſt. Non abundantiam cibi & potûs: Natura enim non conſuluit ganeonibus, ſed iis, qui ſecundùm naturam vivunt. Sed quei tam ſubitò refici poſſunt vires? Reparatione ſpirituum animalium per odorata. Ideò buccella panis cum vino generoſo eſt optimum refectorium. Quei fit, quòd in potoribus tam ſubitò exit vinum per vrinas? Non fit in omnibus, ſed iis tantùm, quibus viæ ſunt expeditæ. Sed & in his non fit, niſi parum comedant.

CAPVT

CAPVT CXXXVII.

Contra Costæum.

IVngit hunc Fabricio Riolanus : quo iure, agnoſcat ille denique. Ego enim vel ideò ſeorſim examino, ſed curtè. A

I. Inquit, In ſyncope laborantibus refectio virium non ſuccederet, ſi dati cibi & medicamenta emetirentur tam longum iter. Iam dixi, quod res eſt.

II. In potoribus vini, in iis qui thermales aquas ad aliquot libras ſumunt, quo modo ſperari poſſit tam ſubitus tranſitus? Hoc quoque dixi. Sed nunc addo, Quibuſdam etiam per alvum it potus.

III. Vaſa meſaraica ſunt ſubtiliora, quàm vt tramittere poſſint craſſum chylum? Craſſum reverà argumentum! Fit ἀτμοειδῶς apud Gal. quoque. Præterea, quod verè craſſum eſt, relinquitur in inteſtinis.

IV. Non datur ſimile exemplum in toto corpore. Vbicunque enim fit attractio, fit per magna orificia. Subtile argumentum! Do inſtantiam. Partes nutriendæ trahunt ſanguinem per vaſa capillaria. Hò, inquit, hæc eſt demiſſio potiùs! Longè ſubtilius, quod ideò non intelligo. B

V. Quo fine dici debent trahere chylum? An vt eo alantur? Non poteſt hoc dici. Alioquin conſtarent chylo. An hepatis gratiâ? Non: quia non agunt per electionem. De alitione nunquam quiſquam, quod ſciam, ſomniavit. Trahunt igitur propter hepar, habéntque adeò hoc publicum, à Conditore illis impoſitum officium, vt *ſuprà* loquutus ſum ex 5. *Aph.* 39.

VI. Si traherent chylum, eſſet in illis chylus. Atqui ſanguis eſt ad oculum. Verum hoc eſt, ſiquidem ſolus Coſtæus vti poteſt oculis, omnes alij ſunt Tireſiæ. Tu, lector, dic mihi, Debétne quiſquam vlteriùs eſſe ſolicitus de peculiari tract. cuius memini, & in qua fuſiùs ſe iſta proſecutum eſſe ait? Qui verſantur in talibus,

O quàm ſæpe petunt vina, pipérque!

CAPVT CXXXVIII.

De HÆMORRHOIDIBVS.

ORiginem illarum Galeno fuiſſe incognitam, facilè crediderο. Veſalius 3. *Magn. Op.* 5. & iterum *l.* 5. *c.* 15. à Vena-portæ eſſe concedit : de cava dubitat. Hoc ſuum dubium latiùs diffundit *in Ep. ad Nicolum f.* 59. In eodem luto hæſiſſe Columbus videbitur, cùm *l.* 6. hæmorrhoidum à Portæ meminit, à Cava non meminit. Inter reliquos Anatomicos (his addo Solenan- A

drum 4.*Consf*.20.) consensus est, vtrinque esse. Vocant autem, Internas quidem illas, quæ à Porta sunt, quia supra sphinctera in Colum & rectum intestinum inseruntur: Externas autem, quæ à Cava, quia in sphinctera, anúmque ipsum. Quò fit, vt nesciam, cur Riolanus 2.*Anthrop*.17. *inane discrimen* vocet? An illud ridet, quod dicunt quidam, *Externas plethoram vacuare, Internas cacochymiam?* Sed neque causam risus heic video. Multò minùs, cur Mass.3.*Pract*.24.dicat, *Nihil vel ad curandum vel ad cognoscendum,&c.* Verùm hac de re alibi.

CAPVT CXXXIX.

De OMENTI venis.

Item *Ep.ad Roland. f.*134.

ACcusat heic iterum Galenum Vesalius 5.*Mag.Op*.4. quòd omenti venas quasdam ex cava deduxerit: verùm ostendit illi Puteus errorem, productis (ex 6.*Ex. Anat*.3. *C*.& iterum *c*.6.*A*. & iterum *c*.11.*A*. *Apologiæ l*.5.*f*.172.) locis tam manifestis, vt Cuneo *Antapol. f*. 96. tacere licuerit. Quòd si alicubi indistinctè Gal. loquitur: petenda fuerit distincta doctrina ex distinctis. Si quis ex 6. *Ex. Anat*.8. *extr*. τὴν σπληχνῖαν vrgeat: dicetur illi, tralatitiam esse orationem totam, iudicio quadrumviratûs nobilis, Ricci, Caij, Cornarij & Costæi, vt ostendi *Notis* in eum locum. Sed & confuderis illum ex *c*.10. *seq.extr*. vbi vox expressè tribuitur Portæ. Hoc qui non admiserit, illi ex ipso Vesalio *l*.6. *c*.6.dicetur, tribuisse illum τὸ σπληχνίας vocem tam Cavæ, quàm Portæ: quo modo ergo tu Portæ soli adstringis? An quia fatetur errorem in Ventriculo, fatebitur etiam heic? Eadem ratio est Mesenterij, lienis, & fortè aliarum partium, quas numerat Sylvius *Cal*.18.

CAPVT CXL.

De magnitudine eius.

A VT paucis me expediam, Omentum est in censu earum partium, quarum nec certa est trina dimensio, nec visus valde magnus, vt pili sunt, & vngues. Memini me ab immortali SCHERBIO audire, dubitatum fuisse suo tempore à doctoribus Patavinis, an omnino pars sit? Paternum autem (qui anima Gal. dicebatur) respondisse, Est pars cum sua pinguedine. Hanc enim peritonæum non habet, aut certè non tam copiosam.

Huic oppono, Non est in omnibus v.g. venatoribus. In his enim aut non est, aut nuda membrana tantùm, propter exercitium, credo. In pueris, autore Riolano, τῷ ἀνατομικωτάτῳ, 1.*Anthrop*.13. tam exiguum est, vt ne pendulum quidem sit. Naturaliter, dicit idem, vt & Vesal. *l*.5. *c*.4. & iterum in *Ep.ad*

Rolandum,

Rolandum, *f.*78. infra vmbilicum non descendit. Intelligo autem hoc de hominibus, mediocri habitu præditis. Idem Riol. ait, crescere vsque ad ἀκμὴν, posteà decrescere. Item, in gracilibus gracile esse, in obesis pingue. Sano igitur modo accipere oportet, quod Gal. docet 6. *Ex. Anat.* 5. *A.* μέγιστον esse, *maximum*, &, vt se explicat 4. *Vs. p.* 9. *A.* καθ' ὅλης τῆς γαστρὸς καταπετάσαν, *per totum ventrem expansum.* An in eo consistit sensus sanus, quod ait in *Ex. Anat.* ἐπὶ μὲν ἐνίων προέρχεται οὐ πολὺ κατωτέρω τῶν κατ' ὀμφαλὸν χωρίων· ἐπ' ἐνίων δὲ ἄχρι τῶν τῆς ἥβης ὀστῶν, *In quibusdam non longè vltra vmbilicum it: in quibusdam vsque ad ossa pubis?* B

Cæterùm *Notis* in eum locum dixi quædam, quibus nunc hoc addo, Videri marginaria esse ista omnia, καὶ διατοῦτ' ἄνθρωποι, vsque ad καθίσαται. Sed quis fuit marginator iste? Vix credam fuisse Gal. ipsum. Quis enim τὰς ἐπιπλοκομίσας de herniosis solis accipit? quis de omnibus hominibus, cùm in brutis sit maius? Quin de posteriori ordine accipio, præcipuè de iis, qui pingui sunt distenti omaso, vt ferè Flaccus loquitur. De herniosis ideò etiam non accipio, quòd in paucis hominibus omentum protendatur vltra vmbilicum: & in quibus fit, non æquè in dextro & sinistro, sed & in sinistro latere sôlo. Nam id solummodò proprio nomine donatur, quod frequenter fit. Galenum excusat mihi illud quoque, quòd simiis solis præter hominem ramicem hunc accidere marginator dixit. Accidit omninò pluribus animalibus, vt præter alios Cuneus habet *Apolog. l. c.* Quidquid sit: natura omenti hæc est: C

Cuneus *Apol. f.*97. Riol. 2. *Anthrop.* 11.

CAPVT CXLI.

De Vsu.

SI tam fluxa & inconstans ipsius natura est, procul dubio vsus non erit magnificus. Quid Gal. 4. *Vs. p.* 9. *B.* dicat, & quomodo confirmet experientiâ gladiatoris cuiusdam, notum esse potest. Ego primò, oppono contrariam experientiam Riolani. Multoties, inquit, in vulneribus & herniis vidi, magnam omenti partem abscissam fuisse sine vllo coctionis incommodo. Hoc stante, non video, quomodo Vesal. *l.* 5. *c.* 4. inducere possit accidentariam coctionem! A

Pariter non intelligo, quomodo Riolanus explicare velit abusum suum! maximè, quia vsum nullum dicit! Secundò, cupio discere, Cur hoc coctionis adiumentum tantoperè variet ratione ætatis, habitûs, aliorum? Tertiò, Si omninò substantiæ vsus est hic, quis conformationis est? cur, inquam, sacciperij instar est? Vt paulum me dilatem: cum indignatione intueor eiusdem Riolani illuuiem lienarem, quam etiam obtrudit Hippocrati! Quid enim pinguedini, à sanguine puriss. productæ, commune est cum sanguine melancholico? Quid enim aliud sit illuvies illa? Prætereà, pinguedo B

guedo non est tanquam in marsupio, sed vel in vasis, vel circum vasa.

Nec est, quòd digitum mihi intendat vel in illud, *Si quando redundet:* vel in historias tres, quas subiicit. Natura enim actionem respicit, non aberrationes præternaturales, quæ miris modis variant. Sed neque spectâsse videtur Natura conformationem, cùm peram quidem fecerit: sed non distentam ad recipiendum, vti ventriculum fecit, vesicam vtramque,
C vterum. Quartò, Obtineat Vesalij primarius vsus, qui est, vt Fallop. explicat 4. *Obs.* 4. vt colo pro mesenterio inserviat: quid fit de parte inferiore & pendula? in iis puta, in quibus est? Et Fallop. quidem fatetur ignorantiam suam: Vesal. autem *in Ex. f.* 119. ait in re dubia amplexum se esse vulgarem sententiam.

CAPVT CXLII.

DE RENIBVS.

Obiter confirmata sententia de vsu renum novo.

A EXimij Medicorum, iidémque amicissimi mei, DD. IOACH. OLHAFFIVS, in Gymnasio Dantiscano, anno 1616. & biennio pòst DD. DAN. SENNERTVS, in Academia VVittenbergensi, considerandum proposuerunt, Annon (præter vulgò notum vsum expurgandi è sanguine seri) habeant renes alium quoque vsum, eúmque principaliorem, Coquendi sanguinem pro materia seminis masculi, atque ita annumerandi sint partibus genitalibus? Et Olhaffius quidem, si rem Physicè consideres, negotium planè confecit. Sennertus verò, adhibito etiam Sacrarum literarum lumine, ita confirmavit, vt dubitandi locus apud me ampliùs non sit. Tamen, soliditatis maioris gratiâ,
B hoc addo. Gal. 14 *Vs. p.* 7. *E.* & *Ibid.* 9. *B.* quærit, Cur vasorum spermaticorum alterum ab Emulgentibus oriatur? Et respondet, Vt ab Emulgentibus sanguinem haberet serosum, acrémque, qui serviat ciendæ in συνουσίᾳ maiori voluptati.

(Habet Sennertus 3. *Pract.* 7. *sect.* 1. *c.* 1.)

(Vide Matthæum, q 90.)

Ego verò in vniversum quæro, Cur Natura petierit vasa illa præparantia ab Anatomicis vocata, à renibus vsque? & dico, Quia è renibus trahere debebant sanguinē quem trahunt, non pro nutritione sui tantùm, sed & pro materia seminali, heic dispositionem primam nacturâ ad semen. Nimirum, non minùs (imò magis) de semine dici debet, Magnum adeò & perfectum opus nō fieri subitò, & in vna parte: sed opus habere pluribus. Heic quidam, Indistinctè loqueris, neque explicas te in vtro latere fiat? Hoc studio fit. Non minùs enim quàm in Emulgentibus, maxima est hac in re varietas scriptis & picturis tradita à laboriosissimo & ingeniosissimo Eustachio, *tract. sing. de Renibus*. Neque enim sola sinistra vena spermatica est ab Emulgente sinistro,

(6. *Sent. Hipp.* 6. *D.*)

finiſtro,vt Gal. ſcribit: quin dextra quoque aliquando à dextro eſt, & fortaſſis non minùs frequenter.

Heic illud difficultatem facit, Quomodo vaſa ſpermatica præparantia trahere poſſint ex renibus, quos non attingunt? præcipuè arteriæ, quæ tam longè abſunt? Cùm cætera omnia tale quid velint, oportet contentos nos eſſe ſolo Naturæ nomine. Idem iudico de ingenti illa in Venere voluptate. Nam licèt Gal. *in* 14. *illo de Vſ. p.* Apodicticus ſibi eſſe videatur: tamen conſenſum præbeo Veſalio 5. *Magn. Op.*13. *& Ep. ad Roland. f.*179. vltra probabilitatem non pervenire. Puteus quidem putidus, cùm nihil aliud poſſet, oſtentat *l.* 5. *f.* 158. peritiam Græcæ linguæ: ſed nihil efficit. Quin, licèt Logicæ etiam ſcientiam *f. ſeq.* iactet: tamen apud me tantum proficit, vt, abiectis nugis illius, cum Veſalio me ſociem. Hinc Cuneus *in Ant-Apol. f.*106.repetit tantùm argumenta Veſalij,quæ Puteus nunquam intellexit.

CAPVT CXLIII.

De Renum ſitu.

SCribit Gal. 5.*Vſ. p.*5. *B.* & mox 6. *A.* 14. *eiuſdem* 7. *E.* 6. *Ex. Anat.*13. *A.* renem dextrum eſſe altiorem ſiniſtro. Hoc cùm in brutis verum ſit; in homine ferè contrarium obſervetur: orta ſunt (vt fieri amat) diverſa hominum ſtudia. Et Iul. quidem Alex. *Notis in illum* 5. *Vſ. p.* vt & Fuchſ.3. *Anat.*20. defendere volunt Galenum.

At verò quia conſtat, cùm ex aliis ſcriptoribus, tum verò præcipuè ex accuratiſſimo Euſtachij iam nominato tractatu, Naturam ſolere heic mirificè alternare, adeóque ludere in variando ſitu altiore vel depreſſiore,in hoc,illóve latere:non eſt opus aliis,niſi hoc,Nihil perpetuum eſt: ſed fit modò hoc, modò illud. Vide Sylv. quoque & Henerum, *Cal.*26.

CAPVT CXLIV.

De numero.

NOn repeto aliorum ſententias: dico meam tantùm, ὡς ἐν παρόδῳ. Duo ſunt, quia purgant, non venoſum tantùm ſanguinem: ſed & arterioſum.

CAPVT

CAPVT CXLV.

De cavitate interna.

PRofectò, mare heic est difficultatum ! Quæ Gal.scribit 6.*Ex. Anat.*13. novi. Quæ Fallop. 4.*Obs.*9. & Vesal. *in Ex. f.*124. legi. Quomodo Galenum intellexerint illi, qui vas colat orium aliquod sibi fingunt, non possum ignorare. Portam,pelvim seu infundibulum, demonstrantibus præceptoribus, vidi. Interiorem & exteriorem ventriculum pariter inspexi. Carunculas papillares vnà cum canalibus ipsorum consideravi.Solus Eustachius *lib.cit.c.*9. satisfacit, & qui eius vestigia legunt.

CAPVT CXLVI.

De VESICÆ vtriusque & vteri tunicis.

A COniungo has tres partes,imitatione Gal. Nam 3.*Fac.nat.*11.*A.*vno pugno comprehendit, & dicit, constare non nisi vnâ & solâ tunicâ.Idem fit 14.*Vs.p.*14. *A. vt &* 5.*eiusdem*12. *A.* De vesica vtraque, *eod.*5.*Vs. p.*11.*B.* affirmat, constare non nisi vnâ tunicâ. At de vrinaria seorsim loquens 1. *Fac. nat.* 13. *C.* duas validissimas tunicas tribuit illi. Vtero privatim duas dat,*de Anat. vt.*6. at 6. *Ex.Anat.*7.*B.* non nisi vnam.

Heic primùm ex 4 *Vs.p.*9.*D.* (monente etiam Rorar. *Contrad.*151.*&* 163.) sciendum est in vniversum, Viscera omnia inferioris ventris, & ideò etiam tria proposita,accipere à peritonæo tunicam,communem ab omnibus Anatomicis dictam. Huius aliquando meminisse Gal. aliquando non, absurdum B dictu non est. Non enim, qui non scribit, inquit alicubi, accusandus est: sed qui non subintelligit. Quod ad rem nostram, Vesica bilaria non nisi duas habet, communem alteram, alteram propriam.

Vrinaria tres habet, communem seu externam vnam, à peritonæo, proprias duas, quarum interior nervosa est, & est illa, quâ vtimur in obligandis seriis & vitris, quæ continent liquoris aliquid : exterior carnosa est, & abraditur ab iis, qui præparant vesicas ad vsum iam dictum. Vterus tandem se habet, vt ex *l. de Anat. vt.* dictum est, vt, sive duas illi dicas esse tunicas, sive tres, non pecces. Exterior harum à peritonæo est, reverà simplex & vnica : interior duplex,sed tam firmiter connatæ, vt vix separare possis.

C Et hæc res est : de vrinaria, cuius negotium heic præcipuè agitur, amplius quid considerandum venit propter Gal. Si vidit is lusum illum puerilem in Ionia,cuius meminit 1.*Fac. nat.*7. quei non vidisse potuit duas tunicas, internam & nervosam, quæ manet,& quâ vtimur ; externam & carnosam,

ſam, quæ particulatim adimitur? Memini puerum me ſubigere etiam cum ſale veſicas ſuillas (ſed ſine cantilena) & cum magno tædio vnguibus deripere particulas illas carneas. Quò magis miror ſummum Veſal. qui 5. *Magn. Op.*11. non agnoverit carnoſam hanc tunicam! Ampliùs miror monitum à Fall. 4. *Obſ.*3. & 10. inhærere *in Ex. f.*127. peritonæo! Admiſsâ igitur hac tunicâ, conſectarium hoc eſt apud Fallop. Inſertionem vreterum non fieri, vt Veſal. vult, inter communem & propriam tunicam: ſed inter duas proprias. Et ita nunc loquor, certus alioqui, oriri ex veſica.

CAPVT CXLVII.

De ſphinctere veſicæ vrinariæ, & ani.

VEriſſima eſt Gal. ſententia 2. *Mot. muſc.*8. *A.* ſphincteris huius vtriuſque vſum eſſe, non excernendi vrinam & fæces alvi: ſed retinendi, ſeu prohibendi, ne invitis nobis effluant. Hac de re ne dubites, ſubdit. *Errare eos, qui muſculos hos excernendi gratiâ factos eſſe autumant.* Hoc ipſum cùm disertè dicat 4. *Vſ. p.*19. *A*, quid cauſæ eſſe putabimus, cur *lib. ſeq. cap. vlt.* diſcrimen paret, dicendo, *In ano quidem muſculum hunc, & claudere foramen, & propellere excrementa: in veſica autem propellere tantùm, ſiquidem clauſione ſit opus?* Rursùs, cùm *de Anat. muſc.* 28. veſicæ muſculo vtrumque officium tribuat: cur *cap.*30. *ſeq.* ani muſculo clauſionem tantùm mandet? A 6. *Loc. aff.* 3. C.

Rurſus, cur 6. *Ex. Anat. vlt. A.* veſicæ quidem muſculo clauſionem tantùm det: ano etiam revulſionem ad ſuperiora? Dicant cauſam οἱ κυμινοπρίσται, qualis Puteus, *Apol. l.*2. *f.*104. Ego cum Cuneo *f.*63. dico, Veſalium 2. *Magn. Op.*50. & iterum *l.*5. *cap.*11. liquidò oſtendiſſe, Veram eſſe ſententiam in *de Mot. muſc.* traditam: falſam alibi. B

Interim in favorem Gal. non poſſum diſſimulare, quid mihi venerit in mentem de loco poſteriùs allato, ex *Ex. Anat.* Credo vitium ibi eſſe. Quo enim modo differt illa ſurſum revulſio à clauſione? Quæ Fall. 2. *Obſ.*20. & Veſal. *in Ex. f.*75. de veſicæ muſculo controverſantur, relinquo aliis: duo autem conſideranda propono τοῖς φιλαληθέσι. Alterum, An reverà duplex ſit hic muſculus, vt Car. Stephanus vult apud Riolanum 5. *Anthrop.* 35? Alterum, An præter hunc admitti poſſit alter, *Detruſor* à D. ab Aquap. dictus, vt habet Spigelius noſter 4. *Anat.*12? Tu fortaſſis quæris, qualis ſit actio excretio vrinæ, & excrementorum alvi? Eſt miſta ex naturali & animali, 6. *Loc. aff.*4. *E.* 2. *Mot. muſc.*8. *A.*

CAPVT CXLVIII.

De motu vesicæ vrinariæ.

A SI verum est axioma Fall. *Obs. l. c. Vbicunque sunt fibræ carnosæ, ibi etiam est motus voluntarius* : verum etiam erit, vesicam hanc moveri voluntariò. Et de collo quidem res certa est, quòd habeat innexum σφιγκτῆρα iam dictum : de reliquo corpore, cùm musculosum totum sit, (quin musculus Aquapendenti & Spigelio) dubitare nefas sit.

Interim maneo in sententia, quam dixi in Ventriculo, & Intestinis, Esse motum mistum, seu quasi voluntarium, vt Fall. loquitur. Et hunc agnoscit Massar. 1. *Pract.*16. Idem Fall. affert experientiam suam, Cathetere, gratiâ ciendæ vrinæ, immisso, sentiri motum manifestò. Mihi persuadet Vesal. *in*
B *Ex. f.*128. esse à longè alia causa, quam legere potes apud ipsum. Hoc exaudire volo nostros, quibus fortassis D. Bauh. persuasit 1. *Theat.*31. *in marg.* rem certam esse.

Et hæc quidem de motu vnivoco : de æquivoco quærat aliquis. Gal. enim 5. *Vs. p.*7. scribit, Vesicam trahere vrinam. Id ipsum negat 6. *Loc. aff.*3. *G.* addens, renes per vreteras amandare ad vesicam. Respondet Altimarus, *Meth. c.*97. Renes quidem amandare ad vreteras : ab his autem rapere vesicam. O valde Arithmeticam naturam hoc si facit! Dico simpliciter, Vesica vrinaria trahit serum, non secus ac bilaria bilem. Nempè enim vreteres sunt propagines vesicæ, vt pori bilarij vesicæ suæ. Trahit autem, quatenus publicum officium habet. Et huc tendit Iacch. quoque *in* 9. *Rhas.*62. quin Altimarus ipse tandem.

CAPVT CXLIX.

De ABDOMINIS partibus iis, quæ generationi serviunt.

An GENITALIA sexûs vtriusque differant situ tantùm?

A AFfirmativa sententia & antiqua & falsa est, licèt Gal. 14. *Vs. p.* 6. *A.* 2. *Sem.*5. *K.* pro sua vendat & defendat. Vult enim, In mare quidem calorem potentiorem protrusisse illa foràs : in fœmina autem debiliorem non potuisse id præstare, propterea mansisse intus. Mihi indicâsse sufficiat ex Arist. 4. *Gen.*1 Empedoclis esse hoc commentum, à Philosopho *l. c.* rectè explosum. Inter nostri sæculi homines Th. à Veiga, vir doctiss. & graviss. *Com. in* 6. *Loc. aff.*5. figmentum vocans idem agit. Mihi & *Com. in d. l. de Vs. p.* & 4. *Gen. hom.*8. de re vanissima dicta sunt satis multa, quæ sine pudore repetere heic non possem.

Risus gratiâ hoc addo, Non maioris momenti apud me esse, quàm fabula Platonis in Symposio, quæ ait, Hominem ab initio non nisi vnum fuisse, vtroque sexu præditum, qui ob fastum, arrogantiámque sectus fuerit in duos, sed sexu distinctos. Huic similis est illa 3.*Gen*.6. ex aliorum sententiâ ab Arist. relata, Hyænam & trochum duo habere genitalia, vt & inire possint, & iniri. Hoc de lepore etiam dicunt quidam non satis prudentes. B

CAPVT CL.

De GENITALIBVS vtrique sexui communibus, & primùm de TESTIBVS masculis.

DE Testibus cùm cogito, aut lego aliquid, non leviter indignor illis, qui partibus principibus annumerant! Fit autem indignatio tantò maior, quò frigidiores sunt illi, tam in probando thesin suam, quàm in respondendo ad obiecta. Non nescio fluere huius rei principia, non tam ex falsò adscripta Gal. Arte, *c*.9. quàm ex ipso Gal.1.*Sem*.15.*L.M.* vbi testes non tantùm præfert cordi, cùm ait, *Cor quidem vivendi esse principium: Testes autem bene vivendi.* Verùm satis hoc esse nego. Quod enim vel pueri nôrunt, argumentum est ἄπιχρον. A

Relictâ igitur autoritate videamus rationes. Cor, vult dicere Gal. tantò inferius est Testibus, quò præstantius est bene vivere, quàm vivere. Heic primùm oculi mihi dolent, cùm video resilire illum à distinctione, quam ipsus tradit 14.*Vs.p*.1. inter partes, quæ pertinent ad τὸ εὖ, & quæ ad διαδοχὴν τοῦ γένους. Sed sit hoc parum: aures etiam dolent, cùm intelligo facere illum Testes alterum Caloris nativi principium, quatenus Eunuchi amittunt omnem animi tonum, fiúntque fœminis similes. Eccur autem, quo item modo fiunt alterum Calidi principium? Quæ enim similitudo substantiæ est inter Cor & Testes? quæ conformationis? quæ actionum? Et, annon fœminæ quoque satis BENE vivunt? B

Hinc verò vlteriùs promoveo, Si Testes hoc faciunt, quà tales (si enim genuini Philosophi esse volent, non refugient τὸ ᾗ αὐτὸ Arist.) cur in fœminis non fit idem? præcipuè, si fœminæ quoque σπερμαίνουσι γόνιμον, vt quidam volunt? Fortassis, vt in viris faciunt virilitatem: ita in fœminis fœmineitatem? Scio quosdam ita loqui, cùm frontem semel perfricuerunt! Sed dicant mihi, Quid est? qua in re consistit? C

Ego verò, non exspectatâ responsione, dico, Fœmineitas hoc sensu est privatio, à qua audebitísne ad habitum ire? Sed sit hoc quoque parùm: Annon viri quidam, quantumvis testabiles, tam sunt effœminati, vt nihil illis desit, quàm vestitus muliebris? Annon Eunuchi quidam sunt amatores maximi? Annon quidam horum fuerunt bellatores eximij? Vide 4. *Gen. hom*.22. Atque heic non possum non demirari plumbeum Laurentij acumen,

D qui 1. *Anat. quæst.* 2. & rursus *l.* 2. *quæst.* 1. ait, *Testes sunt pars princeps, non ratione individui, sed speciei.* Atqui mirabilia illa eventa, (aiam ego) quæ iactantur, ad individuum pertinent.

Hoc ipsum testantur loca ab ipsomet producta, 6. *Vs. part.* 7. *D.* 6. *Sent. Hipp.* 8. non 10. vt falsò Typographus. Quibus locis cùm dicat Galenum egisse sophistam: quid tu, ὁ φιλογάλλως? Ipse verò (vt dicam, quod res est) quantùm abest ab hoc elogio? Quid enim paralogismo vicinius est, quàm hoc? paralogismo, inquam, παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν? Quæstio enim de individuo est: at ille ad speciem transfert. Sed de Gal. quatenus id dici potest? Dixi ego 1. *Gen. hom.* 19. & explicui *cap.* 4. *præced.* Est fallacia μὴ παρὰ τοῦτο. Fiunt hæc omnia: sed non fiunt à testibus, quà testes, alioquin in om-
E nibus fierent, etiam in fœminis. Fiunt à motu sanguinis, qui est in Venere, vt verissimè explicat Iacchinus *quæst. nat.* 22.

Hunc ipsum sanguinis motum quia olet caloris influxus mediatus Laurentij, natus fortassis ex refluxu Cardani: accepto, & explico obscuras istas locutiones ex Iacchino. Nisi penitissimè fallor, idem sensit Th. à Veiga, *Com. in Art. c.* 57. licèt absentia qualitatis cum aura tenuissima sapiat τὸ σκότεινον Heracliteum. Ita enim est, vt alibi dixi de hoc Hispano, non rarò studiosè se occulit sub nubem aliquam, & quærit lectorem cautum iuxtà & catum.

CAPVT CLI.

De vsu testium masculeorum.

A QVi testes in solium hoc maiestatis (de quo dictum est) collocant, sciant velim, non tam expeditam rem esse, si rectè considerare velint. Verum est, quod Gal. scribit 1. *Sem.* 16. & alibi, ob seminis absolutionem seu perfectionem datos esse: sed opus est sano sensu. Cùm enim non sint in omnibus animalibus, sive, vt Arabum Interpretes loqui solent, animalitatis essentiam non ingrediantur: quilibet intelligit non esse necessarios absolutè. Datur enim semen perfectum absque testibus, quâ de re legeris quædam 1. *Gen. hom.* 15. Vbi illud non videtur negligendum esse propter tricones quosdam. Quia Arist. 1. *Gen.* 12. agnovit hunc vsum, explicans etiam per vocem πέψις: fas est, piúmque, vt mitiùs cum illo agamus. Si idem attulit alios
B quoque (sed ex aliorum sententia) vsus, ne ob id quidem reprehendi debet. In re enim difficili & obscura dici debent, quæ possunt, vt lectori sua sit libertas. De his videris *de Gen. hom. l. c.*

Vide quàm contradictionē meditetur, & quid respōdeat Rorarius *Contrad.* 136.

Sed quid omnino faciunt testes masculi? Pulcrum esset, si tam facilè demonstrari posset, quod dicunt quidam, Vasa dicta ab omnibus præparantia, post constitutam ἐπιδιδυμίδα dictam, ingredi substantiam testium: quia observârunt quidam, vasa dicta lambere tantùm extimam superficiem eorum, adeóque testes totos absolvi posse à vasis integris, & hac ratione ostendi

ostendi continuitas præparantium cum deferentibus seu eiaculatoriis. Quod verò mireris ampliùs, in promtu sunt historiæ, quæ homini non planè incredulo persuadere possint, fuisse quosdam fœcundos sine testibus.

Hinc inter Anatomicos Fall. & Columbus docent, materiam seminalem testium substantiam non ingredi. At valde me tenent illi, inter quos eruditissimus Riolanus 2. *Anthrop*.31. materiam seminalem ingredi substantiam testium. An temperari potest vtriusque sententiæ acrimonia geminâ παραμυθία? Primò, In quibusdam fit hoc, in quibusdam illud. Secundò, Vtrumque fit in omnibus, eúntque vasorum quædam per substantiam testium, quædam lambunt tantùm superficiem. Ita servabimus autoritatem singulorum, & à suspicione vanitatis absolvemus. C

Historias si cognosse vis, dabit tibi liber noster *de Gen. hom*.1. *c*.18. vt & Riolanus *l. c.* Vbi si fortè dubium occurrit de Maniacò Smetij, de quo ego plura, quàm Riolanus, adi Smetium ipsum, & vbi offenderis, noli subsistere, sed perge. Bis enim meminit illius, & posteriori loco fœcunditatem addit. Qui vult de hoc negotio plura, legat Oddum 2. *Apol*. à *c*.18. ad finem vsque libri, & dicat mihi deinde quid profecerit.

CAPVT CLII.

De vsu testium fœmineorum.

SVnt quidam heic adeò temerarij, vt per vim obtinere velint, hos non minùs quàm masculos semen generare, & quidem fœcundum. Contra hos fusè mihi actum est 4. *Gen. hom*.12. *& seq.* agetur verò etiam *infrà*, si volet DEVS. Heic ego stultis Gal. admiratoribus hanc duntaxat contradictionem ob oculos pono, cum sponsione, Si solverint, abiturum me in sententiam illorum. Ait 2. *Sem*.2. *bis*, *A.C.* fœminam *σπερμαίνειν γόνιμον, habere semen fœcundum*. Idem idipsum duobus argumentis impugnat. Alterum est *eodem* 2. *de Sem*.4. *D.E.* Fœmina, cùm sit frigidior & humidior mare, non potest eò vsque excoquere semen, quovsque mas excoquit. Tu puta, vt fœcundum sit. Alterum est 14. *Vs.p*.7. *B.* vbi rem ad absurdum deducit. Si, inquit, fœmina semen habet fœcundum, poterit generare ex se. Hoc verò nondum compertum est. A

Proponit difficultatē Roratius *Contrad. Gal*.137.*f.* sed cùm ad rem vētum est, silet. B

Cui ergo vsui sunt testes hi? inquiunt. In rei veritate sunt notæ gratiâ tantùm, vt in viris mammæ, minimùm, mammarum papillæ. Nam ne hoc quidem vniversaliter verum est, quod aliàs Galeno dedi, semen hoc incitare ad appetitum sobolis. Sufficit enim calidus sanguinis vapor, qui naturâ fertur ad illas partes, quibus fœminæ sunt πολύαιμοι, apud Arist. 4. *Gen*.1. qua de re mihi agitur 1. *Gen. hom*.4.

CAPVT CLIII.

De tunicis testium virilium.

A RES cùm sit intricatissima, attento opus est. Diuido cum plerisque Anatomicis in communes & proprias, quarum vtrobique duæ sunt. Communium prima est ὄσχεον Græcis, *Scortum*, seu *Scrotum* Latinis dictum. Est nihil aliud, quàm cutis & cuticula, quæ corpus vniuersum integunt. Communium altera δαρτὸς est, ἢ δαρτὴ, ἢ δαρτὸν, ἀπὸ τοῦ δέρειν, vt dicunt. Hæc processus est membranæ carnosæ dictæ: sed hoc loco sine omni pinguedine, vt meliùs præstare possit vsum suum, corrugandi scrotum. Quo habito, propriis tunicis accenseri non debet, licèt id facere videatur Gal.
Vide Bauh. 1.*Theat* 9. Spigel. 8. *Anat*.4. *de Anat. vt*. 9. *A*. Propriarum prima est illa, quam in fœminis æquè ac viris constituunt processus peritonæi heic appellati, quorum beneficio herniæ intestinales accidunt in vtroque sexu.

B Hoc admisso, vera eius appellatio fuerit ἐλυτροειδὴς, *vaginalis*, cùm processus hi vaginæ admodùm similes sint. Vbi notandum est. Qui ἐρυτροειδὴς scribunt, & Atticismum causantur, λ. pro ρ: insignitè falli. Debebat enim τ. quoque in θ. verti, siquidem *Ruborem* aliquem (quem tamen Fall. negat 4. *Obs*.11.) extundere volent. Præstat igitur cum Fall. *l. c.* dicere, vocem esse
Riol.2.*Anthrop*.31. Plazzonus 1.*Part. genit*.7. corruptam. Multò magis falluntur, qui distinguunt inter ἐλυτροειδῆ καὶ ἐρυθροειδῆ, atque ita tres tunicas proprias procreant. Vt enim peritonæum totum est duplex: ita etiam processus hi.

Maximè falluntur, qui τὴν ἐρυθροειδῆ quidem confundunt cum τῷ δαρτῷ,
C atque ita communem faciunt: τὴν ἐλυθροειδῆ autem faciunt eam, de qua
Spig. 8. *Anat*.16. nobis sermo est. Hanc ἑλικοειδῆ vocari apud Paulum fortassis concedam: sed errore non vacare locum penè certus sum, vt ex *seq*. patebit. Ἐπιδιδυμίδα rectè dici tum credam Vesalio 5. *Magn. Op*.13. vbi sufficienter responderit ad ea, quæ accuratissimus Fall. *Obs. l. c.* congessit. Nam quæ nugatur *in Ex. d. Obs. f*.128. non possunt quenquam morari.

Propriarum altera est illa, quæ immediatè testibus instrata est, nata fortè ex propaginibus peritonæi, ni tu mavis processibus iam dictis. Hanc quidem ἐπιδιδυμίδα vocare voluit Sylvius, *in Isag. Anat.* & secutus est illum Gorræus *in Def.* sed errauit vterque, vt Riol. quoque adnotat. Appellabo cum amicis ex Ruffo ὑμένα νευρώδη, *tunicam neruosam*. Qui δαρτὸν vocant, vix mentione digni sunt.

CAPVT CLIV.

De PARASTATIS & PROSTATIS dictis.

NOn minores heic ſunt tricæ, fortaſſis etiam maiores. Ad has refero A
ſolœciſmum, quem cõmittunt Noſtri, dum Fœminina faciunt hæc vo-
cabula, quæ Helleniſmus iubet eſſe Maſculina. Primò autem omnium hoc
tenendum eſt. Cùm Hipp. *l. de Oſſ. nat.* meminerit tantùm τῶν παραστατῶν; He-
rophilus autem fecerit duplices, ἀδενοειδεῖς καὶ κιρσοειδεῖς: priores quidẽ appel-
lant Anatomici nomine Hipp. ſimpliciter παραστάτας, *adſtites*; poſterioribus
autem fingunt novum nomen, προστάτας, *proſtites* vocantes. Ita loquor: quia
huc vſque intelligere non potui, à quo conſuetudo hæc introducta fuerit.
Cœpit autem, nî fallor, ex Anonymo Græco, quem Laurenbergius no- B
ſter Hamburgi 1616. ex Bibliotheca Regis Galliæ depromtum edidit, vt de
viro graviſſimo, Riolano, habemus 1. *Anthrop.* 5. Quo loco id negligendum
non eſt, In libro quidem edititio *cap.* 23. *&* 24. vtrobique eſt παραστάται: at ſo-
lertiſſimus Riol. *l. ſeq. c.* 31. *f.* 270. alteri ſubſtituit τὸ προστάται, ſive in MS. ita
legerit, ſive ex *cap.* 22. ita correxerit. Nam adverſativa δὲ vult tale quid. Sed
ſint ſanè hæc, provt libuerit vnicuique. Longè quàm obſcuriſſimum eſt,
ſiquidem retineantur appellationes Herophileæ, vbi collocandi ſint, vel
οἱ ἀδενοειδεῖς, vel οἱ κιρσοειδεῖς? Sive enim veterum loca inter ſe conferas,
ſive recentiores conſulas, habebis quod te moretur.
Vt expediamus nos ocyùs, oportet ex libris Anatomicis ita habere. Va- C
ſa ſeminis *Præparatoria* dicta, poſtquam è vena-cava, & arteria-magna (ita
me nunc loqui nihil impedit) in lumbis emerſerunt, obliquo itinere ferun-
tur deorſum ad pelvim illam, quam Os-ſacrum cum adhærentibus oſſibus
Ilium, Coxæ & Pubis conſtituit. Tum verò (in viris) extra abdomen cum
procedente peritonæo elapſa, ad teſtes in ſcroto deliteſcentes properant.
Antequam autem illos contingant, efformant corpuſculum quoddam tur-
binatum, quod cum Hipp. abſolutè vocabo παραστάτην, & eſt τὸ ἕτερον μέρος
τῆς ἐπαναδιπλώσεως, *altera pars reduplicationis*, apud Ariſt. 1. *Gen.* 6.
Poſtquam teſtes ſuperarunt, non iam ampliùs *Præparatoria* ſeu *Præpa-
rantia* dicuntur: ſed *Eiaculatoria*, ſeu *Deferentia*. Hæc ex ſcroto aſcendunt
iterum in abdomen, & collo veſicæ vrinariæ iuncta, deſinunt in veſiculas D
quaſdam, quas ſimul iunctas in vnum corpus cum noſtris hominibus voca-
bo προστάτην, & eſt τὸ ἕτερον μέρος τῆς ἐπαναδιπλώσεως, apud Ariſt. *l. c.* Iam
cum Gal. Ruffus, alij cum Herophilo loquuntur, & παραστάτην ἀδενοειδῆ καὶ
κιρσοειδῆ dicunt, aut, quia duo ſunt, ab vtroque latere vnus, παραστάτας ἀδε-
νοειδεῖς καὶ κιρσοειδεῖς: vtri corpori vtra debetur appellatio?
Modò pro confeſſo accipio, integrum eſſe locum Galeni illum, 14. *Vſ.
p.* 11. *B.* vbi vaſorum præparantium fines Herophilum ait vocaſſe παραστά-

τας ἀδενοειδεῖς: & *quæ à testiculis explantantur* (vti Interpres loquitur) παρα-
στάτας κιρσοειδεῖς. Assertionis meæ fundamentum primum peto ex Gal. Gloss.
vbi ait, τὰς παραστάτας Hipp. esse τὰς ἐπιδιδυμίδας. Ἐπιδιδυμὶς autem, defini-
E tore Gal. 1. *Sem.* 15. *C.* μόριόν ἐστι τοῦ ζώου κατὰ τῆς κεφαλῆς ἐπικείμενον τοῦ ὄρχεως,
particula est animalis, quæ capiti testis incumbit, quæque (vt cum Interprete
pergam) *multis fistulis, seroso humore plenis ad testem permeat.*

Hæc ipsa, vt iterum Gal. *extr. l.d.* loquitur, media est inter vasa præpa-
rantia & testes, οὐ θέσει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ τῆς ὅλης οὐσίας εἴδει, *non situ tantùm,*
sed specie etiam totius substantiæ. Similis locus est in illo 14. *Vs. p.* 14. *D.* Vnde
infero, Si ἡ ἐπιδιδυμὶς habet eandem substantiam cum teste, testis autem
est ἀδὴν, *glandula*: vtique ἡ ἐπιδιδυμὶς erit παραστάτης potiùs ἀδενοειδὴς, quàm
κιρσοειδής. Ita, si ἡ ἐπιδιδυμὶς nomen habet ἀπὸ τοῦ διδύμου, *à teste*, veluti Gal.
F scribit in illo 1. *Sem.* 15. vt & 14. *Vs. p.* 11. *F.* fortassis ab vno Herophilo pars
vtraque: cur non heic potiùs stemus, quàm ibi? maximè, quia ἀδένες ibi
non sunt, sed κιρσοὶ, *varices?*

Alterum fundamentum capio ex ratione denominationis τῶν κιρσῶν. *Va-
ricum* essentia consistit in tumore inæquali venarum & arteriarum, in qui-
bus veluti cellæ quædam apparent; id verò cùm sit, non in summitate te-
stis, de qua locuti sumus, sed ibi, ad collum vesicæ vrinariæ: cur rei suum
denegetur nomen? Hoc Riolano fero acceptum, qui digitum intendit in
eiusdem 14. *Vs. p.* 12. *A. B. Vesiculæ seminariæ* hodiè dictæ, veteribus cogni-
tæ fuerunt, adeóque οἱ παραστάται κιρσοειδεῖς non aliunde nomen habent, quàm
ab his vesicis.

G Hæc si vera sunt, vt puto esse, iam multi loci Gal. cadent sub virgulam
censoriam. Inprimis duo sunt in vicinia loci 14. *Vs. p.* quem locum pro primo
fundamento habeo. Prior est *cap.* 11. immediatè ante allata verba, vbi pro
ἀδενοειδέσι, legendum est κιρσοειδέσι. Posterior est retrò *c.* 10. *A.* vbi idem fa-
ciendum est. Tertius, alioquin etiam vlcerosus, est 1. *Sem.* 16. *F.* quem ita
concipio. Πρῶτον μὲν τὸ σπερματικὸν ἀγγεῖον. εἶθ' ὁ ἀδενοειδὴς παραστάτης,
ὅστις καὶ ἐπιδιδυμὶς ὀνομάζεται, τῶν ἀγγείων ἕλιξ οὖσα. εἶθ' ὅλος ὁ ὄρχις. εἶτα ὁ
παραστάτης ὁ κιρσοειδής. Huic correctioni si diffidis, vide sodes, quæ initio
penè *cap.* dicuntur, ἥ τε ἀρτηρία καὶ ἡ φλὲψ, καὶ τὰ ἑφ. Nota etiam, quòd
ibid. ὁ παραστάτης κιρσοειδὴς dicitur ab Herophilo collocatus fuisse πρὸς τῷ
H καυλῷ, *ad penem.* Et *c.* 15. *præced. D.* idem παραστάτης dicitur esse πλησίον τοῦ
τραχήλου τῆς κύστεως, *propè collum vesicæ.* Hæc vt vim habent ad persuaden-
dum planè ferream, τὸ κιρσοειδῆ esse ibi, vbi ego dico: ita αἱ ἕλικες, quæ *c.* 16.
E. manifestè firmant lectionem meam.

Et ita quidem Herophili & Gal. res habent: Ruffi 2. *Appell.* 14. eodem
loco sunt, si modò admittis hanc meam paraphrasin, cum correctione
(in defectu Græci codicis) audaculâ. *Seminaria itinera duplicia sunt. Ho-
rum bina secundùm renes rectà descendunt, & per inguina testium tunicas
subeunt, & dicuntur à nonnullis παραστάται ἀδενοειδεῖς. Bina à testibus orta cum
vesicæ cervice coalescunt, & dicuntur παραστάται κιρσοειδεῖς, quòd varicis more
circumflectantur.*

circumflectantur. Intra illa fœcundum semen gignitur, grandinosum, crassúmque: intra hæc infœcundum, dilutúmque, quod simul cum priore excernitur: Quare Eunuchi semen quidem, sed infœcundum è varicosis vasis emittunt. Excisis enim glandulosis fœcundi, seminis effusio servari non potest. I

Ehódum, dicet aliquis, éstne hoc corrigere? Imò verò est susque deque vertere omnia. Iudicet quisque quod volet: mihi satis sit redegisse Ruffum, partim ad rei naturam, partim ad consensum Gal. 14. *Vs.p.*11. *C.* qua de re in hoc vestigio. Duo cupio intelligere, quorum alterum est: In prostatis, seu parastatis variciformibus vnde est semen illud infœcundum, quod iactant? Certè nihil in hos aliunde influere potest, quàm ex parastatis glandiformibus, ipsisque testibus. In his autem quia de vestra quoque sententia est semen K elaboratum, vno verbo, fœcundum, in prostatis quo modo degenerare potuit? Imò, vt fusiùs paulò pòst dicam, facti sunt prostatæ ad vberiorem seminis elaborationem, quam præstant mæandri illi longè tortuosiores, quàm in parastatis.

Quid igitur ad Ruffum & Galenum? Professus est vterque communem sententiam, quæ tum temporis in ore erat omnium, quamvis nullâ fultam ratione. Alterum, quomodo in eunuchis semen esse possit, cùm ablatis testibus intercisum sit iter ad prostatas? Responsio patet ex superioribus, non est in omnibus, sed iis tantùm, quibus vasa aliquot lateralia lambebant testes, & quorum castratio cum cura obita fuit. Et horum quidam possunt esse fœcundi, vt de Maniaco suo Smetius, & de Nobili quodam Riolanus 2. *Anthrop.*31. ex Fontano. Vide sis 4.*Gen.hom.*24. L

Vt ad exitum veniam, videor mihi his confecisse, τοὺς παραστάτας quidem ἀδενοειδεῖς superiùs esse (naturæ ordine) in capitibus, inquam, testium, & esse idem cum τῇ ἐπιδιδυμίδι: τοὺς κιρσοειδεῖς autem inferiùs, prope collum vesicæ, & esse eosdem cum vesiculis seminariis hodie dictis. Huius contrarium si docui *Com. in* 14.*Vs.p.* & 4.*Gen.hom. ext.* feci vt homo, iamque adeò cum D. Augustino retracto. Et quid, si omninò erravi? Errârunt vnà mecum inter Nostros Vesalius, Bauhinus, Riolanus. Et quorsum plures numerem? M

Erroris causa omnibus communis videtur esse in confusione τοῦ ἕλιξ καὶ κιρσός. In superioribus, vt loqui mihi libet, & ἀδὴν, *glandula* est, & ἕλιξ, *capreolus*: non autem κιρσός, *varix*. Dicitur autem à glandula tantùm, vel ἐπιδιδυμὶς, vel παραστάτης ἀδενοειδής. Dicitur verò & simpliciter ἕλιξ, vnde mihi nascitur transpositio illa in loco 1.*Sem.*16. tantò rationabilior, quò certius est non semel vocari *in eod.cap.* ἕλικα. In inferioribus, nec glandula est, nec capreolus: sed κιρσὸς solus, quem faciunt vesicæ dictæ seminariæ, & vnde est ὁ παραστάτης κιρσοειδής. De hoc gravissima est controversia.

CAPVT CLV.

An in fœminis quoque sit?

A MAgnæ autoritatis Anatomicus vetustissimus, Herophilus, apud Gal. 2. *Sem.* 1. *E.* ait, παραστάτης ὁ κιρσοειδὴς (tu nota, bene heic cubare) οὐχ ἑώραται ἐν τῇ θήλει, *Adstitem varicosum nondum vidit quisquam in fœmina.* Et Gal. *ibid.* negat vas spermaticum vllum in fœminis ferri, vel ad vesicam, vel ad vterum. Inter nostros quidam aiunt, quidam negant, quidam mussant. Ego inprimis distinguendum esse video inter προστάτην, & vas deferens, ad vteri cervicem vsque deductum. Προστάτης ipse in fœminis non est, quia nullius vsus: at vas interim quoddam in quibusdam ad cervicem vteri it, sive id sanguinem solum vehat, sive semen cum sanguine. Quod enim dicendum heic est, Vasa spermatica primariâ ratione semen conficiunt: secundariâ sanguinem, quo aluntur.

B Deinde dico, verisimile non esse quenquam horum mentitum esse: sed scripsisse, quod oculis vsurpavit. Nimirùm, quia hæ partes in fœminis, in quibus sunt, non minùs notæ gratiâ sunt, quàm testes ipsi, vt dixi modò: possunt vel adesse, vel non adesse. Et hoc est, quod ait noster Spigelius *l.8.c.20.* In quibus sunt, lusum Naturæ esse. Hinc iudicium fieri potest de dubio magni in praxi momenti, An mulieres laborare possint gonorrhœâ? Possunt: sed pauciores, illæ scilicet quæ & calidiores sunt, & habent hanc conformationem, de qua dictum est. Vide Massariam 4. *Pract.* 4.

CAPVT CLVI.

De vsu προστατῶν.

A ET multitudo errantium, & rei ipsius gravitas cogit me addere quædam superioribus. Gravissimè errat Puteus 5. *Apol.f.*158.*b.* cùm parastatas & prostatas compingit in vnum corpus, vt rectè obiicit ipsi Cuneus *f.* 107. Interim ipse etiam Cuneus errat cum adversario suo, cùm neutrum corporum dictorum collocat suo loco. Rei gravitas consistit in eo, quòd non Ruffus tantùm, ceu vidimus, sed & Gal. 14. *Vs.p.*11.*C.* &, ne parùm sit semel delirâsse, 2. *Sem.vlt. A.* iterum, abscindit τὸν προστάτην, nî tu mavis, τὸν κιρσοειδῆ παραστάτην à societate partium genitalium. Dat enim illi humorem non genitalem, sed vilem, qualem aliàs glandulæ producunt, qui serviat humectan-
B dis illis partibus. Humectandis verò! quasi nos aliàs non experiamur locum hunc esse confluem excrementorum! Sed nec curationes Gal. quidquam me tenent, cùm siccitates ab eo dictæ à longè alia causa esse potuerint.

Cæterùm,

Cæterùm, Vesal 5. *Magn.Op.*13. vt etiam *Ep. ad Rolandum f.*189. generosè quidem ei occurrit: sed ad rei naturam non accedit. Quatenus enim verum sit, evulsis testibus viam esse nullam ad vesiculas seminarias, dictum est. Omninò in quibusdam est. Quare etiam audaciæ illi locus non est, *Certo certius esse nullam vesiculis illis communionem esse cum vasis testium.* Hac enim ratione facit sibi inimicos, non Hipp. tantùm & Arist. sed & Anatomicos plerosque omnes: quin falsi arguit omnes illos, qui semen viderunt, adeóque genuisse noverunt eos, qui testes amiserant. Vtrumque quia probavi 1.*Gen. hom.*18. satis nunc esto. De demonstratione Gal. quia fusè egi *eiusd. Op. l.*4. *c.*22. satis id quoque esto. C

Hoc reticere non debeo, Puteum, in omnibus ferè ineptum, in his ineptissimum esse, ideò Cuneus ne responsione quidem dignum æstimat. Quàm enim pueriliter exsultat contra Vesalium, partim, dum ostendere conatur quatuor terminos in argumento Vesalij, partim, dum distinguit inter appetitum Venereum, & seminis excretionem! Ego tantum Græcum, quantus sibi ipsi est Puteus, iubeo docere quid sit apud Galenum, vel ἡ τῆς μίξεως ἐπιθυμία, vel ἡ ἀφροδίσιος ὁμιλία? Tribus verbis, Madefactio Gal. commentitia est. Vsus autem vesicularum in hominibus integris est collectio seminis, vt in συνουσίᾳ possit ἀθρόως excerni. Interim vlteriùs elaborari falsum non est.

CAPVT CLVII.

De Cremasteribus tam testium, quàm vteri.

GAl. 15.*Vs.p.*11. tribuit testibus (masculis) corpora musculosa. Idem *de Anat.musc.*27. duos eorundem graciles musculos describit. Conciliat Fall. 2.*Obs.*15. nec abhorret Vesal. *in Ex.f.*63. Vnus est in homine: duo sunt in simiis. Idem Gal. in vtero etiam agnoscit tale quid 2.*Sem.*5. *L.* Fallop. 4. *Obs.*13. pro Cremasteribus quidem accipit; sed pro vteri musculis admittere non vult. Hos enim ait iter facere per processus illos peritonæi, quorum ratione fœminas quoque herniosas fieri, dictum est mihi *suprà*: sed Clitorida non contingere. At Columbus *l.*11. *c.*16. admittit contactum illum? Resp. Vtrumque fit. In minùs libidinosis non est: in libidinosis est. Hac de re legeris quædam in calce *libb. de Gen. hom.* A

Cæterùm, nec testium, nec vteri musculi sunt veri musculi, vt rectè Columbus *l.*5. *c.*23. *&* 25. Et testium quidem vti in omnibus sunt: ita vteri non sunt. Tu verò, qui hos quoque in omnibus esse adstruere vis, vide ne confundas cum ligamentis (inferioribus) vteri! Ab hoc errore liberaverint te Bauh. 1.*Theat.*37. & Riol. 5.*Anthrop.*34. Idem Riolanus *c.*37. *seq.* vt & *l.*2. *c.*31. agnoscit Clitoridis musculos, distinctos ab vterinis. De his videbatur hoc monendum esse. Si sunt musculi, nihil aliud sunt, quàm peritonæum B

crassefactum, seu fibris carnosis auctum. Si cavi sunt (quidam aiunt, quidam negant) ne musculi quidem sunt. Eodem argumento negabo, vel tendines esse, vel ligamenta. Sunt corpora sui generis, vt vreteres.

CAPVT CLVIII.

De Genitalibvs alterutrius sexûs propriis.

De PENE.

A INdignatur Puteus *f.161. l.5. Apol.* Vesalium *l.5. c.14.* paulò aliter de substantia penis loqui, quàm Gal. loquitur 15. *Vs. part.* 1. Interim fatetur sententiam esse eandem. Ideò etiam Cuneus *f.109.* finit. Iubet verò considerare illum, quod idem Vesal. *in Ep. ad Roland. f.83.* & plerique omnes Anatomici desiderant in Gal. *eod.* 15. *Vs. part.2.* non ex vno corpore constare penem, quale corpus in simiis est: sed ex duobus sibi incumbentibus, quibus subest, sive οὐρήθρα dicta, sive πόρος σπερματικός. Vt enim iam dicetur, vnâ & eâdem viâ vtitur & semen, & vrina.

Ego illud quoque addidero, Galenum *ibid. c.3. B.* duos tantùm penis
B musculos numerare, cùm quatuor sint. Quin nec illud dissimulandum videtur esse, quod *ibid.c.2.A.* scribitur, Oriri penem ἐκ τῶν ἄνω μερῶν τῶν τῆς ἥβης ὀστῶν, *ex superiori ossis pubis parte.* Quod quia falsum est, quid si κάτω scriptum fuit olim? Intereà, non ingrata est mihi παραμυθία, Distinguendum esse penem in partem pendulam, quam στῆμα ex Polluce vocant: & non pendulam, quam ὑπόστημα. Hæc ex inferiori ossis pubis sede est, vbi verus ipsius ortus est: illa ex superiori.

Cæterùm, quod tetigi de vnica via, vberiùs exponendum est. In immensum errorem incidunt, qui Arabas secuti triplicem fingunt meatum, quorum vnus pro vrina sit: alter pro semine: tertius, pro commentitio illo humo-
C re, de quo *cap. abhinc altero.* Errant illi quoque, qui duplicem acceptant. Licèt enim in raris quibusdam corporibus ita sit: id tamen non oportet huc trahere. Persequimur enim id, quod vtplurimùm fit, & quod solum naturale est. Quod quia Vesalius scripsit, & quidem ex Galeno: quid fremunt calumniatores? Et quâ fronte Sylvius *Cal.27.* Vesalio imponit, quòd Galenum dixerit fecisse geminum meatum? Nil dubito, præ invidia cœcum fuisse, vt Henerus quoque innuit. Gal. igitur heic alio defensore quàm se ipso, non indiget. Quæ alia in penis historia desiderat Fall. *4. Obs.12.* quæque congerit Vesal. *in Ex. f.138.* petere licet illi, qui volet, ex ipsismet. Non enim valde mihi placent.

CAPVT CLIX.

De VTERI substantia.

EX Anatomicorum plerorumque sententia, *Nervosam* dici ait Gal. *3.Acut.39.* quòd dilatabilis sit. Hac eâdem causâ allatâ *1.in 6. Epid.2. F.* impropriè ita dici inquit. Ego, qui idipsum falsum esse scio, *Carnosam* esse dico, duobus argumentis persuasus. Primò, Vnumquodque dici debet tale à propria substantia. Atqui propria ipsius tunica carnosa est. Secundò, Constat ex recentiorum observatione, Vterum humanum gravidum augeri cum fœtu secundùm trinam dimensionem, adeóque τὰ λόχεια dicta esse sanguinem illum, quo replente spongiosam vteri substantiam ita intumescere illum contingit: quo iterum defluente considet vterus in se ipsum. Hoc *Com.in 14. Vs p.vlt.* munivi autoritate Sylvij App.*Isag.Anat.* Arantij, *de fœt. hum.1.* Plateri apud Schenck. 4. *Obs.112.* A

His addo iam trigam aliam nobilem, Bauh.1.*Theat.37.* Riol.6.*Anthrop.1.* Spigel.8.*Anat.22.* Huius contrarium cùm dicat Gal. *de Anat. vt.8.* item 14. *Vs.p.vlt.* Fieri scilicet vterum in prægnantibus tantò tenuiorem, quò magis extenditur, exemplo fortassis vesicæ suillæ, de qua 1 *Fac.nat.7.* quid dicemus nos? Id quod Bauh. *l.c. Hoc in brutis, non verò homine concedimus.* Alia mens Riolano est. Probare enim vult ex eiusdem 14.*Vs. p.4. E.* & quidem nisus correctione meâ, quam ex Costæo & Cornario *in App. d. Com.* molior, Galenum id ipsum novisse. Ego verò video, loca quidem illa duo clariora esse, quàm vt quidquam contradici possit: hunc posteriorem autem indigere non modico, sed bene multo sale. Hunc ego non aspergam, ne videar sus Minervam. B

CAPVT CLX.

De cervice eiusdem.

DVbitavi *6.Var.lect.24.* Quid sit apud Gal. ὁ αὐχὴν ἢ ὁ τράχηλος τῆς μήτρας? Firmavi autem me quoquo modo in hoc, quòd sit idem cum eo, quod aliàs στόμα τῆς μήτρας dicitur. Iam video in subsidium mihi venire doctiss. Riolanum, qui 2.*Anthrop.34.* sententiam definitivam petendam ait esse ex *l.de Anat.vt.7.A.* vbi hæc sunt verba: *Vteri cervix cùm sit musculosa, carne durâ & cartilagineâ constat, quæque indies fit durior & cartilaginosior in iis, quæ sæpius pepererunt, &c.* Hoc nunc ita esse sino vel ideò, quia Fall. me docuit 4.*Obs.13.* totum pudoris sinum non nisi impropriè dici cervicem vteri. Vise etiam ad Vesal. *Ex.f.140.*

Producit eadẽ Bauh. 1.*Theat.39. in marg.*

CAPVT CLXI.

De Cornibus.

A FAcilis esse soleo iis, qui scivisse aiunt Galenum differentiam vteri humani à bovillo, suillo, & his similibus. Inter alios locos, ille, qui est 14. *Vs. p.*4. *A.* adeò est manifestè de homine, vt nemo bonus ausit obloqui. Ita cùm *de Anat. vt.*3. *A.* cum vesica comparat, & prætereà tribuit illi ἀποφύσεις μαστοειδεῖς, qua in re differt à vesica: satis explicat mentem suam.

Negat Ves. *l.*5.*f.*664. & *in Ep. ad Roland. f.*84.

At verò aliis locis obtrudere illum nobis vterum bicornem, qualis in vaccis, ovibus capris &c. est, nolim mihi negari. Quid enim sunt ἀποφύσεις ἑκατέρωθεν, ὥσπερ τινὰ κέρατα, *processus vtrinque instar cornuum*, 1. *Sem.*7. *A.* quàm processus illi bovini? Quid sunt πλάγια illa μόρια, *laterales partes*, 2.
B *Sem.*1. *A.* in quas semen maris pervenire non possit, 3. *Caus. sympt.*5. *E.* quàm illi ipsi processus? Tale quid si in homine quoque visum fuit, non minùs monstrosum est, quàm hepar in lobos divisum? Si placet tibi παραμυθία honesta, à Riolano probata 2. *Anthrop.*31. adi *Com. nostra in* 14. *Vs. p.*4. Si immorari vis, hem tibi duo paria gladiatorum, Sylvium & Henerum, *Cal.*28. Cuneum *Apol. f.*110. & Puteum *f.*161.*b.*

CAPVT CLXII.

De tuba vteri.

A NOmen quidem habet hæc pars à Falloppio: at Galeno quoque notam fuisse planè puto. Quid enim aliud esse dicemus τὰ ἀγγεῖα σπερματικὰ ἐγγὺς τῶν ὄρχεων εὐρέα τε ὄντα, καὶ αἰσθητὴν ἔχοντα κοιλότητα, *vasa seminalia propè testes & lata esse, & sensibilem habere cavitatem, de Anat. vt.* 9? Quò improbabilior apud me est Vesalij *in Ex. Obs. Fall. f.* 145. sententia, quam magnos alioquin viros amplexos fuisse scio, Corpus hoc in homine proportione respondere cornibus vteri bovilli! Tantò minùs, si iidem obtinere volunt, esse παραστάτην κιρσοειδῆ Ruffi, qui idem Gal. est. Non enim apud Gal. tantùm, sed & in rei veritate sunt hæc tria distincta corpora.

Innuit Bauhin. 1. *Theat.* 36. *in marg.*

B Cæterùm id, quod Gal. ait ἐγγὺς τῶν ὄρχεων, admittit expositionem Fall. 4. *Obs.*13. abesse ab iis medij transversi digiti spacio, quod verum esse novi. Atque hoc ipsum spacium est *Paululum* Bauh. nostri 1. *Theat.*36. Hoc verò quomodo consonat illi, quod alij dicunt, *Testi circumplicatam esse! testes circumdare!* Ita ἡ κοιλότης αἰσθητὴ est foramen illud satis insigne, quod tubæ extremum refert, fimbriatum, quod etiam oculis vsurpavi. Quare igitur

Cæcum

Cœcum, clausúmque ab aliis dicitur? Nec excusat, quod etiam apud Fall. est, Foramen illud semper clausum iacere. Nam & omentum iacet clausum, quod tamen sacci instar apertum est. Quod verò valde mirum mihi accidit, Alij nihil ibi invenerunt: alij semen: alij humorem semini similem: alij etiam vesiculas, humore plenas, quod posterius apud Riolanum est!

Omnem verò admirationem superat, quod apud eundem est 2. *Anthrop.* 34. *f.* 283. fuisse ibi inventos fœtus! Quo enim modo penetravit se eò semen virile? An hoc impugnat communem omnium sæculorum consensum, Fœminam absque viro non concipere? Quidquid sit: quod iam sæpe dixi, id video denuò dicendum mihi esse, Natura non perpetuò stat in vno vestigio, sed variat multimodis. Ideò si scribit quisque, quod vidit, nihil mali est. Sed quis vsus? NESCIO. Nam quò minùs opponam me illis, qui in re obscurissima aliquid dixerunt, causæ mihi sunt. C

CAPVT CLXIII.

An vterus moveri possit loco suo?

INde vsque à Pythagora apud Platonem, Aretæum, aliósque manavit hæc opinio, ideóque rectè communibus sententiis accensetur, Vterum esse quasi animal quoddam, & oberrare hinc inde. Verumenimverò, quia Gal. 6. *Loc. aff.* 5. *N.* diligenter refutavit; & verò *ibid. R.* vt & 3. *Art.* 100. *C.* causam attulit mirabilium istorum symptomatum: possumus fortassis quieti esse. Tantò magis, quia magnum Hipp. argumentum, *Curatio*, ita stabilivit rem, vt pluribus non sit opus, ne contra Fernelium quidem, cui Massaria se opponit 4. *Pract.* 6. Vide verò Rudium 2. *Prax.* 51. Spigelium 8. *Anat.* 19. Sennertum 4. *Pract.* 1. *f.* 2. *c.* 14. A

Cæterùm, quia doctiss. Riol. 2. *Anthrop.* 34. exculpare vult vterum, & causam transferre in Tubam iam dictam, testésque muliebres: volui ego heic monere tantùm, vt eò citiùs excitentur Practici nostri ad inquisitionem eius rei. Ita quidem est, non planè absolvit ille vterum, sed videtur velle explicare Galenum, quasi is per partes vicinas intellexerit duas commemoratas. Ego verò vehementer dubito, quomodo, vel testes, vel tuba causari possint tam gravia symptomata! Testes, inquam, tam despicabiles in hoc sexu, vt notæ gratiâ tantùm sint facti! Tuba, cuius vsus nondum cognitus est! Videtur verò ipsemet labascere, cùm in vtraque harum partium collocat humorem, ad generationem inutilem. B

CAPVT

CAPVT CLXIV.

De HYMENE.

A CRedo equidem Bauh. 1.*Theat*.39. dicenti notum fuiſſe Galeno, vocatúmque *de Anat.vt.2.ext.* ἀπόφυσιν ἀνάλογον τῇ ἐπὶ τῶν ἀῤῥένων ποσθῆς. Credo etiam vel inde eſſe vetuſtam opinionem illam, cuius Veſal. meminit 5. *Magn. Op*.15. inutilem eſſe partem, non minùs ac præputium in viris. Sed, éſtne perforatus? Veſal. *l. c.* ait pervium eſſe inſtar rimæ cuiuſdam. At *in Ex. Obſ. f*.144. inquit, Haud verè aſſeri poſſe perforatum eſſe. Credo ego Ill. Riolano, qui 2.*Anthrop*.34.*f*.299. citans ipſa verba, omittit τὸ *Haud*. Et rectè: ſequentia enim volunt. Interim concoquere non poſſum, quòd *ibid.* corrigit Plateri codicem, & pro *Summa* vult *Inferna*. Mihi *f*.160. nuſpiam comparet τὸ *Summa*: quin loco ipſius *Simul* eſt. Sed ad rem.

B Quei fit, quòd Anatomici tãtoperè diſſentiunt in hoc negotio, quod tamen *Lib.1.c.5.* ſolis oculis conficitur? Cui libet, Pinæum *in opuſc. pecul.* adeat, & cognoſcat, quot ille opiniones, eáſque falſas omnes (vti loquitur) recenſeat? Idem conſideret propriam hominis ſententiam, à Bauh. quidem *l.c.* probatam: à Riolano autem pro commento habitam. Vt rem in compendium conferam, duplex eſt quæſtio. Altera, an ſit in omnibus? Veſal. *in Ep. ad Roland.f*.139. nihil certi ſibi conſtare ait. Interim *f*.141. vidit.

Spigel. 8. *Anat*. 18. irridet tam eos, qui nunquam adeſſe dicunt, quàm eos, qui rarò. Se enim ſemper offendiſſe. Ego verò neminem arguam mendacij: quin credam abeſſe poſſe partem hanc minùs principalem. Vide Augenium 2.*Epiſt*.1. (vbi contendit, præter naturam eſſe in iis, in quibus eſt.) Et Sennert. 4.*Pract*.2.*ſ*.2. *quæſt*.1. Altera, Qualis ſit? Variam eſſe heic Naturam, dico, ſcripſiſſe autem vnumquemque, quod vidit. Vide Bauh. *l.c. in Marg.*

CAPVT CLXV.

De FOETV, quamdiu in vtero eſt.

Quæ pars omnium prima formetur?

A HEic Primò, ablego inanes Galeni, Avic. aliorum cogitationes de ordine formandarum partium. Quaſi enim vidiſſent Naturam operantem, ita loquuntur. Quin ſenſu heic opus eſt, non ſolâ ratione. Vide autem 2.*Gen.hom*.12.

II. Pariter ablego verè ἀρχαῖον dogma, quod vult, Omnes partes fieri ſimul,

ſimul, licèt homines non ignobiles noſtrâ memoriâ ſeſe applicârint illi. Vide *libri d. cap. 21. & ſeq.*

III. Repudio non minùs larvatam quorundam pietatem, quam ex Pſeudo-Gal. libro, *An omnes partes ſimul fiant?* texunt quidam, Solum DEVM hoc ſcire. Nihil ego demtum volo omniſcientiæ divinæ: ſed quod ſenſus dicit, validiſſimâ ratione munitus, id dico confidenter. Vide iterum *d. lib. c. 28.*

IV. Rideo inanem conatum illorum, qui membranas fœtûs iactant. Perinde enim faciunt atque illi, qui de alliis rogati de cepis reſpondent. B

V. Dimitto cum pace illos, qui vaſa primùm fieri volunt. In vaſis, inquiunt, debet ire ſanguis. Rectè, ſi rectè accipiatur. Toto συςάσεως tempore ſemen attrahit, ſimúlque & vaſa & viſcera format: toto αὐξήσεως tempore viſcera, præcipuè cor, mediantibus vaſis ſanguinem trahunt.

His præhabitis ad propoſitam quæſtionem dico, Illa pars ſit prima omnium, quæ principium eſt Caloris-nativi, qui eſt primum & commune inſtrumentum omnium in animali actionum. Atqui Cor eſt principium Caloris-nativi, etiam apud Galenum. Et hæc eſt illa ratio validiſſima, quam innui, quam eandem *Maximam* & *Principem* dicunt Mercurialis & Peramatus.

Hanc firmat ſenſus ex ovis gallinaceis habitus. In his enim tertio ab incubatu die cor ſaltu (ita pulſum voco) ſe prodit, vt ex priſcis iuxtà, recentibúſque autoribus oſtendi eodem *Gen. hom. cap. 12. 23. & 24.* Et conſentit hactenus Gal. 1. *Sem.* 8. *A.* Cor & hepar ſtatim ab initio fieri, hoc quidem ex ſanguine venoſo: illud autem ex arterioſo. At verò cùm *l. de Form. fœt.* ſcriberet, vt ait *cap. 3. D.* probabilius viſum ipſi eſt, Cor poſt hepar demum fieri. Quid ita verò, mi Galene? Quia plerique, tam Medici, quàm Philoſophi docent, Fœtum, quamdiu in vtero eſt, vivere vitam plantæ. C

Heic ego primùm video fuiſſe illi ſub mentem id, quod *2. Vſ. p. 3. E.* ſcribit, Vnum potiùs errare quàm multos, veriſimile eſt. Cui ego ſuggeram aliud ex *2. ad Glauc. 2. B.* Errorum excuſationem quidam habent vnicam, delinquere cum multis. Atqui, vt habet πολυθρύλλητον illud D. Auguſtini, Errantium multitudo non parit errori patrocinium. Deinde cupiam audire, Quæ ſit ratio conſequentiæ? Procul dubio illa, Quia hepar eſt principium animæ vegetativæ, quæ in plantis quoque eſt. Heic, bone Deus, quàm latæ ſunt ambages apud eum, qui fortean legit, quæ olim de vna anima *Com. 2. Thor. 5.* ego! Ex iis hoc tantùm reſumo, Atqui fœtus non regitur ab anima vegetativa, ſed à ſenſitiva, quæ ſuperior cùm ſit, habet ſub ſe vegetativam, adeóque vna illa anima poſſidet has duas facultates. Hoc probo. Infans poſt σύςασιν (toto illo tempore priore, quo αὔξησις viget) & ſentit & movetur. Hoc verò éſtne ab anima plantaria? Tertiò. Omnes illi, qui Galeno perſuaſerunt ſententiæ mutationem, quantumvis magni heroës, ſive in Philoſo- D E

phia, sive in Medicina, sive in vtraque fuerint, nesciunt, quid sit apud Arist. vivere vitam plantæ. Hoc vbi didicerint ex 2.*Gen*.4.vnde ego extraxi 2.*Gen. hom*.24. consilium capere apud se possunt, velintne omnino manere in sententia? an potiùs cum Stesichoro palinodiam canere? Hæc res: cui quæ obstant quia refutavi *d.Op.cap*.28. & 29. fortassis æquum est me nunc quiescere. Verumenimverò quia insignis Anatomicus, Riolanus 6.*Anthrop*.8.
F labascit in hoc itinere aliquoties, porrectâ manu erigere illum volui.

I. Admiratione vel inprimis dignum est, cur, quæ Stoicorum sententia est de distinctione Animæ & Naturæ, tribuatur Peripateticis!

II. Non minùs admiratione dignum est, cur considerationem animæ medicam dicat esse illam, quâ tribus facultatibus tribuuntur tres partes principes! In brutis enim eadem est consideratio, nisi quòd ratio illis deest.

III. Multò maximè admiror, quòd, cùm traducem (vt hodie plerique loquimur) non obscurè agnoscat: tamen dicat post conformationem corporis animam inspirari! Cur non potiùs tertio à conceptu die, vt ridiculè Fienus *l.de Vi form.q*.8.*f*.199?

G IV. Cùm analogiam Solis cum Corde admittat: quei possit alium à corde fontem caloris agnoscere?

V. Cur tot verba perdat in respiratione fœtûs, quam tamen negat! Fortassis, vt aërem adducat ad cor? Frustra, sat scio. Apodicticus enim ea in rem sum, aëris substantiâ ad spirituum generationem opus non esse, vt *infrà* ostendetur, Si DEVS volet.

VI. Quâ fronte dicere possit, sanguine matris arterioso fœtum nullo modo frui! Ergóne frustra sunt arteriæ vmbilicales? & frustra ex vmbilico in Aortam dorso incumbentem insertæ? Valvulæ, Aortæ initio præstructæ, non factæ sunt prohibendo omni affluxui, sed nimis conferto, vt Gal. rectè docet 6.*Vs.p*.14.*D*. & iterum 21.*A*.

H VII. Cur de ἀναστομώσει vasorum cordis in fœtu tot ambages quærat, cùm sufficere illi potuerit simplex, eadémque lucidissima Gal. oratio 6. *Vs. part. vlt*. Et est, vt deduxi *Com*. in eum locum, alternatio illa vasorum instituta propter alternans officium importandi & exportandi.

VIII. Quo modo cohæreant hæc duo, Pulsum adesse statim ab initio, cùm vis plastica incipit agere: Cor micare tum demum, cùm prorsùs excavatum est, & in duos ventriculos discretum!

IX. Quei persuadere se posse speret cuiquam, Venam-arteriosam quidem esse ab arteria-magna: arteriam-venosam autem à vena-cava! propter substantiæ identitatem!

I X. Cui fidem facere velit, sanguinem è dextro ventriculo manare in sinistrum per septum cordis! Vtvt enim viri non incelebres admittant: putem tamen fieri id potiùs propter dogmatis vetustatem, quàm quòd verè ita sentiant.

XI. Vnde sit novitas illa, Ventriculos cordis efformari, non à vi plastica:

ſtica : ſed ab incluſo ſpiritu ! Vis plaſtica vtitur ſpiritu pro inſtrumento.

XII. Quam firmitatem ponat in defenſione Gal. docentis *de Form. fœt.3.E.* Fœtum in prima generatione non indigere corde ! Si pulſat (quod ipſemet concedit) fit id procul dubio ob certum finem, qui locum habet, etiam antequam fœtus perfectionis ſuæ motum edere incipit. Is verò eſt, quem ex *6.Vſ.p.21.C.1.Sem.8.A.* proponit ipſus.

XIII. Cur attulerit vagitum infantis contra Ariſt. 7. *Hiſt.* 10? Mon- K
ſtroſa illa non magis movent Philoſophum, quàm Lunam latratus canis. Quæ ſequuntur in quatuor obiectionibus & reſponſionibus, pendent ex falſa hypotheſi, Motum cordis in nondum editis eſſe eundem, idémque operari, quod in editis. Imò, quò vicinior eſt fœtus conceptioni, eò indiſtinctior eſt motus cordis, & debilior: contrà, quò vicinior fœtus eſt partioni, eò motus eſt perfectior, & naturæ editorum ſimilior. Vt clariùs dicam. Ab initio non habet aliam actionem ab ea, quam ſemen habet, hoc eſt, trahit ſanguinem. Poſteà, cùm ventriculi cum vaſis ſenſim fiunt, etiam coquit ſanguinem, & per corpuſculum diſtribuit.

Et hæc eſt quæſtio illa ſcitu digniſſima, & res maximi momenti ad humani generis conſervationem, quæque ad Medicum, Iuriſperitum & Theologum pertinet, &c. Hei mihi quid non audet arrogantia ! iuncta inani loquentiæ !

CAPVT CLXVI.

Παράδοξον *Laurentij levi manu tactum.*

QVi mos eſt hominis in rebus etiam tantillis, valde ferocem ſe facit 2. A
*Anat.quæſt.*34. dum contra ſenſum negat, Cor in nondum edito infante moveri, ſeu, quod idem eſt, pulſare. Neque enim videt miſer, ſe non tantùm παραδοξόλογον fieri, ſed & ἄδοξον, quin ἀγροικοπυῤῥώνειον. Satis autem mihi ſit ſtitiſſe illi popularem Riolanum, qui *6. Anthrop.*8. dupliciter id probat. Primò, autoritate Gal. *6.Vſ.p.21.C. 6.Sent.Hipp.6.L.* Secundò, αὐτοψίᾳ. Quei, dicet ille, fieri id poteſt, cùm fœtus in vtero non reſpiret? Reſpondet Riolanus, Nulla huius rei neceſſitas eſt. Nam & piſcibus motus cordis eſt, quamvis non reſpirent. Quemadmodum igitur (ſubſumam ego) motus cordis in piſcibus ideò inſtitutus eſt, vt ſanguis attrahatur : ita in fœtibus. Neque B
enim, vt Galenus loquitur *in de Sent.l.c.C.* ſponte influit, tanquam in vacuam ciſternam : ſed cor attrahit illum.

Quàm verò εὐήθης eſt Laur. in prima (vti vocat) demonſtratione ! Quæ enim audacia eſt comparare fœtum vtero concluſum cum inſectis, & iis, quæ per hyemem latent ! Inſecta, cùm in aëre ſint, in aërem vacuari poſſunt, & quidem per ſolam tranſpirationem. Et quis ſcit, annon reſpirent ea,

quæ latent? Sed certum sit non respirare: sufficit illis transpiratio, vt hystericis quibusdam. Εὐηθέστερος est in altera. Cor enim, quod fit, non potest præstare, quod præstat id, quod iam factum & perfectum est. Interim trahere potest, & ob tractionem movetur. Eadem responsio ad tertiam est.

C Quod verò vocat ille subterfugium miserorum, adeò vrget hominem, vt Harpocrates fiat. Nisi enim per Arteriam-magnam influit aliquid in cor, dicere oportet, Naturam frustrà esse molitam insertionem, aut, si ita vis, explantationem arteriarum vmbilicalium ex trunco arteriæ magnæ dorso instratæ. Sed neque in arteriam-magnam, seu sinistrum ventriculum influit: verùm in venam-arteriosam & dextrum ventriculum, per tubum scilicet illum, qui iungit duas arterias. Et licèt hæc, non minùs quàm arteria magna valvulas habeat ab exterioribus ad interiora spectantes, ideóque ingressum impeditiorem facientes: fieri tamen aliquem persuadet id, quod nuper di-

D xi ex Gal. Valvulæ non prorsùs claudunt orificia vasorum suorum, & moderantur tantùm impetum fluentis & refluentis sanguinis. Locum Hipp. iam *suprà* ad chylum adstrinxi.

Discat igitur Laurentius, Aristotelem & Peripateticos rectè appellare Cor τὸ πρῶτον ζωτικὸν, αἰσθητικὸν, κινητικὸν, αἱματοποιητικὸν, & quòd, quidquid habent pulsûs arteriæ fœtus, habeant à corde fœtus, non matris. Ἐπισάγματος loco addo illud. Cùm Gallus noster *quæst. seq.* concedit, fœtum in vtero sentire & moveri beneficio propriorum spirituum: conculcat dogma suum de necessitate aëris externi ad generationem spirituum, quem aërem *l. seq. quæst.* 12. tam diligenter fovet.

CAPVT CLXVII.

De iis, quæ extra FOETVM, & primùm de ortu vasorum vmbilicalium.

A NE longum faciam, ablego lectorem meum ad *l. de Anat. vt.* 10. *E.* vbi Praxagoræ sententiam esse ait, Ex vasis vteri oriri. Reverà enim non tantùm contra Naturæ perpetuam consuetudinem est: sed & prorsus inimaginabile, Venulas & arteriolas multas, diversis vteri locis ortas, coalescere in vnum truncum. Quin Natura scindendo procedit, dixi *suprà* ex Gal. Restitas? Hem tibi ipsius Gal. verba *6. Sent. Hipp. 3. H.*

Non magis probabilis est sententia (Praxagoræ) quàm illa, quæ dicit, extremas radicum plantarum fibras, vel etiam summa arborum cacumina esse principia illarum. Veram originem venarum explicui *suprà cap.* 102. &

B nunc additis arteriis ita expono. Vena-cava ex corde elapsa, & hepar parte sui magnâ ingressa, ibidémque in mirificè multos ramos divisa, duobus locis

iterum colligit se in duos truncos, quorum alter ex hepate, quà διασφαγὴ Herophilo dicta est, egressa, & ad vmbilicum progressa, per eundem elabitur, & vteri lateri alterutri se applicans, sive vasis ipsius per ἀνασομώσεις iungatur, sive in substantiam vteri fungosam, & sanguine turgidam feratur, in minimas discinditur venas, quæ χορίον dictum vnà cum arteriis iam dicendis constituunt.

Arteria-magna pariter ex corde elapsa altero suo trunco rectà deorsum it ad lumbos, ibidémque duos ex se, in vtroque latere vnum, ramos sursum ad regionem vmbilici emittit, qui cum vena vmbilicali in vterum tendunt, & in ramulos plurimos divisi, χορίον veteribus vocatum faciunt. Hoc χορίον Fallop. Placentam vterinam, aut etiam Hepar appellavit, quod Ill. D. ab Aquap. *l. de Form. fœt. tab. 7.* exhibet, vt & discipulus Spigelius eiusdem inscriptionis libro, *tab. 6.* C

Et hæc est veritas: quâ cognita excusari debent locutiones quædam minùs commodæ Galeni & aliorum. V. g. Venam vmbilicalem esse venarum primam, adeóque radicem venæ-portæ. Est: sed ex falsa Praxagoræ opinione. Et alioqui dicam, Cur non cavæ etiam principium est? Ita arterias dicunt ab Iliacis nasci, vel potiùs ibi implantari. Verum enim est prius illud tantùm, falsum hoc posterius. Eodem modo Venam ab vmbilico ad hepar pertinere: contrà enim potiùs se res habet. Illi verò loquuntur id, quod sensus superficialis in Anatomiis quosdam docuit.

CAPVT CLXVIII.

De numero eorundem.

VT paucis me absolvam, Nihil heic perpetuum est. Aliquando enim vena vna est: aliquando duæ. Interdum vna exsistit ab initio, quæ dirimitur posteà in duas. Arteriarum eadem est ratio. Vise ad Fall. 3. *Obs. 8.* & Vesal. *in Ex. f. 90.*

CAPVT CLXIX.

De vsu.

IN genere quidem certum est, facta esse hæc vasa ad fœtûs nutricationem: sed in specie dubium est apud quosdam, quo sanguine id fiat? bono, an malo? Apud me dubitatio nulla est, quin bonus requiratur sanguis. Et cumulat eam in rem aliquammulta loca Rorarius *Contrad. 68.* in quæ inquirere non placet vel ideò, quia res plana est. In vnum autem illum, qui est 1. *Sympt. caus. 7. G.* anquiram, visurus, An sit tanti momenti? Dico ita- A

que in vniversum, Siquidem Gal. plerisque locis & sibi & rerum naturæ consentanea loquitur ; vno autem solo videtur aliorsum ire : fas est, vt vnus ille benignam interpretationem admittat. Et quia extra contro-
B versiam est, loqui Galenum multis illis locis de iis matribus, quæ sanæ sunt, & non nisi bonum sanguinem præbent : credibile est loqui illum in vno illo de iis, quæ non simpliciter sanæ sunt, sed in latitudine sanitatis. Hæ vt primis gestationis mensibus bonum sanguinem dare non possunt : ita nec posterioribus possunt, capiente infante, quod in promtu est.

Hoc simplex responsum longè anteit ambages illorum, quorum Rorar. meminit, qui sanguinem triplicem constituunt, optimum, mediocrem (de quo locutus sit Gal.) & vitiosum. Prosternit etiam falsam opinionem illorum, qui sanguinem menstruum suâ naturâ malum esse pertendunt, moti nescio quibus mirabilibus eventibus, quos sanguini isti adscribunt. Vt enim alibi definivi, In optimè sanis optimus est : in malè habentibus tantò dete-
C rior, quò vitiosior est corporis constitutio.

Quod verò negligendum non est, Accidunt non rarò veneficia, quæ omninò à causis naturalibus abscindere oportet. Quod Arist. attinet, quem Rorarius sociat cum iis, qui sanguinis huius malitiam fovent, frivola est ratio, ex imperitia quippe nata. Neque enim si Philosophus ὑπόλειμμα illum vocavit, propterea res mala est. Sunt enim apud ipsum ὑπολείμματα quædam χρήσιμα, *superflua* seu *excrementa vtilia*, quale etiam semen masculum est.

Tandem hoc quoque dubium est, Vasa hæc iunganturne per ἀναστόμωσιν cum vasis vterinis ? an potiùs sugant ex substantia vteri tumefacta, & ex
D sanguinis copia amplificata, spongiæ instar, quæ aquam imbibit ? Mihi olim placuit prior sententia : nunc ad posteriorem dedit mihi ῥοπὴν Ill. D. Riolanus. Sed ita fiet, vt neque venæ trahere possint suum sanguinem, neque arteriæ ? Non fiet : trahit enim vnumquodque, quod sibi analogum est. Et debet heic quoque Naturæ nomen satis esse. Vide *Com. in 14. Vs. p. extr.*

CAPVT CLXX.

De vsu eorundem edito fœtu.

A GAl. vox est *6. Vs. p. extr.* abire in funiculos quosdam tenues & inutiles. Atque hoc posterius ego addo, quia expressè ait, Quæ nulli vsui futura erant, ea ne esse quidem patitur Natura. Si excipias, Quomodo facere potest Natura, ne sint vasa vmbilicalia ? Si enim sunt funiculi, sunt. Dico, non simpliciter hoc accipere oportet : sed quòd talia non sint, qualia fuerant. Quin in multis individuis & visum & tactum fugere docebit te ὁ ἀνατομικώτατος Riolanus 2. *Anthrop.* 12. Quò magis diffidere incipio Leoni Afro, qui *in suo Hodeporico* scribit, Grallatores Ægyptios, dum à carnifice excoriantur, tamdiu vivere, quamdiu velit magister ille. Neque enim mori nisi tacto

vmbilico,

vmbilico, vt loquitur Ill.Scaliger *Exerc.*146.*n.*2. Et cautè quidem ille: quin etiam ad causæ inquisitionem invitat studiosos. B

Hanc cùm invenisse se putaret Laurentius, duobus locis inculcat historiam, sed sine autore, vt tantò maior esset ipse. Causam verò esse dicit, quòd vasa hæc fiant ligamenta hepatis, quibus incisis collabatur hepar, tractóque secum diaphragmate suffocatio sequatur. Mihi heic, primò, illud obversatur dubium, quòd Leo quidem ille non semper vera dicat: nullus autem præter ipsum peregrinator meminerit. Secundò, ex Riolano dico, In quibus vel non sunt, vel abrupta, quid ligant? Quod ad Fabricium Hildanum nostrum, potuit subitanea illa mors ab alia causa fieri.

1. *Hist. Anat.* 8. & 17. Assensum dat illi Bauhin. 1. *Theat.* 11. *in marg.* aut potiùs *in Errorib. prima edit.* 1. *Cent. Obs.* 53.

Superioribus annis cùm studiosus quidam, accepto vulnere in dextro latere abdominis, quod obliquè versus anteriora & vmbilicum repebat inter pinguedinem & musculos abdominis, subitò mortuus esset: disceptabatur de causa. Aiebant quidam hæmorrhagiâ obiisse. Quibus ego, Quomodo? cùm peritonæum non pertusum fuerit? cùm nullum vas insigne discissum sit, sed cutanea tantùm? Sed neque ab hac causa esse poterat, cùm vmbilicum neutiquam contigisset ensis, sed substitisset antequam eò pervenisset, palmi ferè latitudine. An igitur arteria vmbilicalis fuit discissa? C

Ego antequam hinc abeam, moneo lectorem ne patiatur sibi imponi ab iis, qui Galenum *l. c.* ligamenti meminisse volunt. Neque enim *αἱ λεπταὶ μήτεινθοι* subitò sunt ligamenta. Sed & ad hæc vasa non minùs quàm ad *ἀναστομώσεις* in corde pertinent, quæ sequuntur, *ἃ γὰρ ἐσί ὅλως ἔμελλεν ἔσεσθ χρήσιμα, καὶ τὰ ἐφ.*

CAPVT CLXXI.

De membranis fœtum involventibus.

HIs de quia scripsi *Com.in* 14.*Vs.p.*4.& iterum 2.*Gen.hom.*10. & 26. nunc summa sequar fastigia tantùm. Primò, Videri omnes generari ex sanguine. Secundò, Cùm Galenus tres statuat, Amnion, Farciminalem, & *χόριον* cum implexo hepate vterino: agnoscere me duas tantùm, primam & vltimam. Nam media, *ἀλλαντοειδὴς* Græcis dicta, est in brutis solis, quod habeo oculatâ fide, monstrante Patavij DD. VIRGINIO de ROSSIS, Florentino. Si placet, vide idem apud Arantium *l.de Hum.fœt.*10. Fallop. 4 *Obs.*14. Vesal. *in Ex.f.*150. Riol. 5.*Anthrop.*1. A

Consentit Riol. 6. *Anthrop.*3.

Quæ Spig. noster *l.de Form fœt.*5. pro Allantoide Vesal. 5.*Magn. Op.*17. potiùs, quàm Galeno, comminiscitur, aliena sunt. Nam neque Vesal. vnquam id voluit, neque vesica illa facilis est ostensu, si modò est. Pro eadem farciminali longam texit historiam Puteus *Apol. l.*5. *f.*163. de qua quid iudicet Cuneus *Ant-Apol.f.*115. videat, qui volet. De toto alioqui negotio multa Sylv. & Hen. *Cal. vlt.* B

CAPVT

CAPVT CLXXII.

De χορίῳ iterum, Hepate vterino, & Cotyledonibus.

A TO' χορίον vnà cum immiſſis carnibus, ſparsíſve cotyledonibus notum fuiſſe Ariſtoteli & Galeno, apud me extra dubium eſt. Ita loquor. Quia poſt multos errores, variáſque cogitationes, beneficio exercitatiſſimi in hac palæſtra Riolani, 6. *Anthrop.* 2. & 3. eò perveni, vt dicere poſſim, Eſſe quidem vtrumque horum eodem fine à Natura inſtitutum, paritérque notum vtrumque priſcis: ſed hac differentiâ, Hepar dictum eſt caro ſimplex, ſibíque continua, & in homine tantùm: Cotyledones ſunt carnes multæ, ſparſæ, tuberoſæ, in brutis.

Negat Fallop. 4. *Obſ.* 14. ait Veſ. *in Ep. ad Roland. f.* 143.

Hoc iacto fundamento, Cùm duplex ſit (triplex apud Veſal. 5. *Magn.*
B *Op.* 16.) apud veteres τῶ κοτυληδόνων acceptio, vt ex 5. *Aph.* 45. aliíſque locis claret, aut pro vaſis vteri, quibus ſanguinem maternum infans attrahit; aut pro carnibus illis multis, quæ in brutis per τὸ χορίον ſparguntur: ſi ſemel recipiatur analogia inter has carnes brutinas, & hepar humanum, non poteſt deinde adſtringi ad vaſa vterina. Eodem habito, Cùm antiqui loquantur modò de homine, modò de brutis: cauto opus eſſe, ne qua confuſio oriatur. Conſentio igitur eidem Riolano, in errore fuiſſe Ill. D. ab Aquap. cùm *l. de Form. fœt.* 3. de hepate noſtro accipit loca illa Gal. 14. *Vſ.p.* 4. *C.* 1. *Sem.* 7. *C. Aph.l.c.* quæ de cotyledonibus accipienda erant.

Fatendum quoque eſt, Galenum cùm *l. adv. Lycum*, 7. *B.* explicat id,
C quod Hipp. *l. de Nat. pu.* vidiſſe ſe ait in conceptu ſex dierum famoſæ illius pſaltriæ, de hepate noſtro, non minùs erràſſe quàm me, qui *Com. in d.l. de Vſ.p.* ſimpliciter illi credidi. Cùm enim, vt docui 2. *Gen. hom.* 26. ex Hipp. *l.c.* hepar illud ab initio non adſit, ſed longè pòſt, ὅταν κολπωθῶσιν οἱ ὑμένες, καὶ τὸ αἷμα δέξωνται, vt Hipp. loquitur, quod eſt, vt hodie loquimur, *cùm ſerviat, non* τῇ συςάσει, *ſed* τῇ αὐξήσει: non potuit adeſſe ſexto die. Quid igitur, inquis, fuit τὸ ἐρυθρὸν illud, καὶ στρογγύλον αἱμαλωπὲς? Conſenſi ego *l. d.* Galeno. Hoc reprehendit doctiſſimus Riolanus, Elegans hoc foret (vult dicere) ſi verum eſſet. Tria enim illa verba, inquit, ſenſu diviſo aliud ſignificant.

Quid verò, ô vir magne? Quia non explicas te, non habuiſſe putabo,
D quod diceres. Patet autem ex hiſtoria tota, ἔκτρωμα illud nihil aliud fuiſſe, quàm vocatum κύημα, μίγμα (inquam) πρῶτον ἐξ αἵματος, καὶ σπέρματος, *miſcella prima ſanguinis & ſeminis*, vt Ariſt. loqueretur. Si vrges τὸ στρογγύλον, quod infert formatum quid: dicam, Cor fuiſſe. Si enim in ovis tertio ab incubatu die oſtendere ſe poteſt: fortaſſis in noſtro genere tale quid eſt ſexto die. Fortaſſis ſanguis etiam adfuit in maiori copia, quàm debebat, quòd beſtia illa iterato ſaltu plus attraxiſſet, quàm ſecundùm naturam adfuerat.

Vide

Vide autem (ne dubites de mea assertione) quæ Hipp. paulò post historiam, commemorat de ortu placentæ huius, vt Fall. vocavit. Sunt autem illa ipsa, quæ ex *l. de Genit.* (tu puta, falsò) Riolanus petit ipsis Foësij Interpretis verbis. Hoc ego monere volui, non ob aliam causam, quàm vt mihi quoque venia detur, sicubi errem in afferendis autorum locis. Addere verò libet hoc quoque ex observatione recentiori, In placenta, quà vterum respicit, apparere protuberantias quasdam, non valde dissimiles sparsis illis brutorum cotyledonibus. Vt dici quodammodo possit, coniungi in homine vtrumque. Et hæc quidem hactenus. E

Cæterùm Puteus *Apol. l. 5. f. 163. b.* ex Gal. locis illis quatuor ex D. ab Aquap. modò allatis, evincere vult, scivisse illum, non esse in fœtu humano eiusmodi acetabula, qualia in bovillo, ovillo, aliis. Verùm si diligentiùs ponderâsset, & addidisset, quæ Vesal. loco non ita pridem dicto admonuit: verum esse deprehendisset, quod Cuneus scribit *Apol. f. 112.* Quoties cum Herophilo, & iis, qui homines secabant, loquitur, negat mulieri hæc acetabula: at quoties cum Praxagora, & iis, qui bruta, affirmat. Sed mihi iam tædium obrepit: tu, si vis, legere Fallop. etiam poteris 4. *Obs.* 14. Vesal. *in Ex. f.* 150. item *in Ep. ad Rolandum f.* 89. Sylv. & Hen. *Cal. vlt.* Peredam *in Paschal. l. 1. cap. 59. extr.* F

CAPVT CLXXIII.

De VRACHO.

CVm Allantoide in homine perire Vrachum, penè certæ veritatis est. Hoc monendum fuit propter Gal. qui 15. *Vs. p. 5.* eundem asserit. Si confirmatum vis, satisfaciat tibi Riolanus 6. *Anthrop.* 4. Plures enim non voco in subsidium.

CAPVT CLXXIV.

De MAMMIS.

SI actionum contiguitatem spectamus, vt spectamus, aut nullibi, aut heic de iis agemus. Quod præcipuè ambiguum est, consistit in eo, An eadem sit substantia mammarum virilium, & fœminearum? Iam hoc mihi sumo, glandulosam esse. Hanc tribuit Gal. 7. *Vs. p. extr.* virilibus etiam, & addit, Habere vsum tantùm posteriorem, vt quidem ipse disponit, Muniendi & tegendi cor. A

Hoc verò quei aliter fiat, quàm substantiâ glandulosâ? Idem interim 2. *Sem. 1. G.* adimit mammis virilibus glandulosa corpora, veluti loquitur. At

sic adimitur illis substantia illarum, & dici debet, iam ne esse quidem mammas. Distingue Galenum docentem à disputante. In *l. de Vs. p.* dicit, quod res est: in *l. de Sem.* stat armatus in campo gloriæ, nec vult concedere Athenæo, Testes & vasa spermatica in fœminis habere eandem rationem, quam mammæ habent in viris, esse scilicet vtrobique *μόνης ἀναλογίας ἕνεκα*, *notæ gratiâ*, vt hodiè loquimur. Tu verò vide, quisquis es, quàm turpiter labatur in duobus! Horum alterum est, Athenæus, ipso autore Galeno, vrgebat τοὺς τιτθοὺς, *papillas*: ille verò divertit aliò.

B

Has ego quoque vrgeo, & dico, quia papillæ indubitatò sunt in viris, constat ratio Athenæi. Alterum est, concedit τῶν ἀῤῥένων ὀλιγίστοις, *paucissimis viris* glandulosa illa corpora. Vnde ego concludam, Pauci illi secundùm naturam habent: reliqui præter naturam. Atqui, inquis, inter recentiores Anatomicos primi scribunt, Virorum mammas constare tantùm ex adipe & cute?

C

An ergo dici potest, quod sæpe dico, In quibusdam viris glandulæ sunt: in quibusdam non sunt? Fortassis. Interim hinc nihil mihi decedit, qui papillas vrgeo. Has enim audebísne negare cuiquam virorum? Vide *Comnostra in de Vs. p.* Si quæ alia cupis, Vesalius dabit 5. *Magn. Op.* 18. &, qui illi respondet, Bonamicus 5. *Alim.* 24.

CAPVT CLXXV.

De vasis earundem, & consensu cum vtero.

A

CVm Vesal. *loco iam cit.* item *Ep. ad Roland. f.* 191. aliquot Galeni πλημμελήματα notet, mirum est Puteum 5. *Apol. f.* 166. apprehendere voluisse tantùm vasa, quæ faciunt communionem, & fraternitatem, vt Hipp. vocat, inter vterum & mammas! Huic rectè Cuneus *f.* 116. respondet, Vesalium nunquam imposuisse hoc Galeno, quòd societas illa fiat tantùm per vasa extima, Mammarias, dico, in rectis abdominis musculis descendentes, & Epigastricas ascendentes. Reverà enim & viciniora & maiora in promtu sunt. Quin Vesal. *Ex. Obs. f.* 88. expresse ait, fieri consensum per maiora vasa. Gal. sententiam legeris 14. *Vs. p.* 8. *A.* & recitat illam Fall. 3. *Obs.* 7. Quid Vesal. & Laurent. obiiciant, ille quidem 5. *Magn. Op.* 18. hic autem 1. *Anat.* 14. videre potes. Interim tenet me Ill. Riolani observatio 3. *Anthrop.* 3. *extr.*

CAPVT

CAPVT CLXXVI.

De ABDOMINIS partibus continentibus.

De PERITONÆI substantia.

NOn tantùm expresè ait Gal. 5. *Ex. Anat.* 6. *ext.* ὁμοιομερὲς ἀκριβῶς esse, A
καὶ λεπτὸν ἐσχάτως, ἀραχνίοις πλατέσιν ὅμοιον: sed & 6. *eiusd.* 7. *B.* planè derogat illi fibras. Interim 3. *Fac.nat.vlt.G.* non minùs ac reliquis membranis concedit. Pro fibris duo dicit Fall. 4. *Obs.* 1. Alterum. Non minùs quàm in tendinibus membranosis, ἐν αὐγῇ λαμπρᾷ, *in clara luce,* apparent fibræ. Alterum. In omento, quod pars est, seu processus peritonæi, sunt fibræ: quidni etiam in peritonæo?

Huic ego succenturiabo tria alia. Primò, In omnibus dissimilaribus (ita
loquor) prima compositio est ex fibris. Est enim Natura textrix quædam. B
Secundò, Duplex est ad sensum omnibus suis partibus. Hoc post Gal. 6. *Meth.* 4. *D.* pulcrè demonstrat D. Riolanus 2. *Anthrop.* 10. Tertiò, Non est eiusdem crassitiei omnibus locis. Hoc iterum non diffitetur Gal. 6. *Ex. Anat.* 5. *F.* & deducit D. Bauhinus 1. *Theat.* 9. Quid moliatur Vesal. *in Ex. f.* 112. relinquo tibi arbitrandum. Mihi enim parum digna videntur tali viro. Iam ergo sto cum Gal. *in de Fac.nat.* & vbicunque fibras admittit.

CAPVT CLXXVII.

De Ortu.

NOn invito quidem Gal. 4. *Vs. part.* 10. scribunt Anatomici, & inter hos Vesalius 5. *Magn. Op.* 2. Oriri ex ligamentis vertebrarum dorsi, quòd ibi firmissimè alligetur: tamen Riol. *l. iam c.* de externa tunica tantùm id verum esse asserit. Quin Fallop. 4. *Obs.* 1. prorsus id negat, ibi ortum habere dicens, vbi sunt Mesenterij principia. Mihi cum Vesal. *in Ex. f.* 114. videtur res esse exigui momenti, & quæ in vsu loquendi consistat potiùs, quàm in rei veritate. Partes enim singulæ suum habent generationis modum, si leviter immutare mihi licet Vesal. verba.

CAPVT CLXXVIII.

De processibus vulgò dictis.

MEmini quidem huius rei *suprà*, sed in transcursu tantùm. Quare hæc addo. Non invito eodem Gal. *6. Ex. Anat.* 13. *D.* scripsit Vesalius *Magn. Op. l.c.* in viris tantùm esse. At postquam Fallop. *Obs. etiam l. c.* ostendit in fœminis quoque, causatur quidem *in Ex. f.* 113. lusum Naturæ, qui ad hermaphroditi conformationem accesserit in iis fœminis, in quibus Fall. viderit: sed tandem iubet diligentiùs inquiri. Dicto igitur audientes reliqui, viderunt Cremasteras vteri dictos elabi per hos processus. Vide Fall. 4.*Obs.*13. Vesal. *in Ex. f.*142. Plater. *in Anat. f.*165. Columbum, *l.* 11. *cap.*15. Schenck. 4.*Obs.*89.

CAPVT CLXXIX.

De vsibus.

A GAleno, 4.*Vs. p.9. D.* de vsibus peritonæi agenti, opponit se Vesal. 5. *Magn. Op.*2. vt & *Ep. ad Rol. f.* 171. in duobus, tertio & quarto. Quasi verò, inquit de tertio, idipsum non fiat musculorum abdominis operâ! Et, si omnino peritonæum id facit, etiam ope diaphragmatis: quid obstat, quò minùs & cutis & membrana carnosa, & pinguedo abdomini instrata, quin omentum faciat idipsum? Imò, si peritonæum hoc præstat in abdomine: cur non dicis pleuram facere tale quid in thorace?

Et hac in re videtur rectè mihi argumentari vir eximius. Quid obstrigilator Puteus? Initio *l.*4. *Apol.* obiicit illi elenchum compositionis & divisionis, quasi omiserit diaphragma, & soli peritonæo tribuerit compressio-
B nem illam. Hoc verò dici non potest. Coniungit enim manifestè, & negat vel sic facere posse. Deinde ridet argumentum à simili ex vulgato illo, Omne simile claudicat. Ego verò aio, similis est pleura peritonæo in iis, in quibus esse debet: tu dic, vbi sit dissimilitudo, quam crepas? Tibi si otium est, ô quisquis es, vide quàm egregiè ista stabiliat *f.*94!

An dissimilitudo in eo est, quòd pleura alligata nō potest contrahi?

Cæterùm, Laur. 1. *Anat. quæst.*5. & acceptat Bauhin. 1. *Theat.* 11. *in marg.* excusat Galenum, Peritonæum per accidens facere ad fæcum exclusionem, & ex eventu. Sed satis de tertio vsu: Quartum non negat Vesalius, & dicit, Communem esse illi cum musculis, & aliis,
C quæ abdomen ambiunt. Hoc cùm negare non posset Apologista, ad calumniam (ille, qui Vesalium toties calumniatorem vocat) conversus, de musculis obliquis, eorúmque vulneribus nescio quid invergit.

git. Quorum cùm nec vmbra sit apud Vesalium, miror si Cuneus inspexit locum!

CAPVT CLXXX.

De MVSCVLORVM abdominis situ inter se.

GAl. quidem hac in re mirificè varius est, ceu videre est 5. *Ex. Anat.* 6. *B. de Anat. musc.* 26. 5. *Vs. p.* 14. *B.* 6. *Meth.* 4. *D.* 5. *Loc. aff.* 7. *B.* Varietatis ratio est in diversitate scoporum, quos præ oculis habet. Cæterùm, Naturæ quidem vox est illa, quam habet tribus locis, *de Ex. Anat. de Anat. musc.* & *in Meth.* Primi & extimi omnium sunt Obliqui, externi dicti, qui iidem maximi sunt: sub his sunt Obliqui interni: his in medio epigastrio incumbunt Recti: infimi omnium, & peritonæo instrati sunt Transversi. Hunc ordinem negligit in *de Vs. p.* quia de vsu agit, & quid singuli ad illum conferant. Vsus est comprimere abdomen. Compressionem fortissimam quia edunt illi, qui secant se ad angulos rectos, Recti, inquam, & Transversi, ideò priori loco censentur. Minùs fortem quia Obliqui, ideò posteriori. A B

Eundem ordinem mutat in *de Loc. aff.* quia agit de agnitione tumorum præter naturam in his musculis, quæ tactu fit. Quamobrem seorsim agit de iis musculis, qui decipere nos non possunt: seorsim de iis, qui possunt. Hanc in Gal. pietatem debeo Doctori meo incomparabili, PH. SCHERBIO, qui accipere potuit, vt posteà comperi, vel à Th. à Veiga, *Com. in de Loc. aff. f.* 441. vel à Pacio, *Com. in Meth.*

Meminit Bauh. quoque 1. *Theat.* 8.

Si acquiêsse non potes, accipe hæc quoque. Vesalius quidem 2. *Magn. Op.* 31. penè *extr.* obiter tantùm monet lectorem de hac apud Gal. diversitate: at Puteus *l.* 2. *Apol. f.* 82. magnam excitat tempestatem, negando Galenum fuisse varium. Quod cùm sit oppedere ipsi Soli, Cuneus in *Antapol. f.* 50. paucis se absolvit. Sylvius licèt tantùm non digitum intendat in conciliationem prædictam: præ rancore tamen in Vesal. multa, eaque viro bono indigna evomit, quæ ideò Henerus (locus est *Cal.* 23.) egregiè illi ob oculos ponit. Debebat tale quid dici Pacio quoque, qui immerenti Vesalio graviter insultat. Tractat hanc rem Rotarius etiam *in ipso Contrad. Gal. vestibulo.* C

CAPVT CLXXXI.

De eorundem ortu, insertione & vsu.

DE his tribus lites sunt apud Nostros penè inextricabiles, quas sufficiat indicâsse. Primus omnium, quantùm mihi compertum est, opposuit A

se in quibusdam Galeno Columbus, *l.5. c.22.* Deinde, Ill.D.FABRICIVS ab Aquap. 2. *de Respir.*11. & Andr.Laurentius 1. *Anat.quæst.*13. Hunc, vt & Columbum studiosè refutat amiciss. olim Spigelius, 4. *Anat.*8. & 10. Privatim contra Laurentium tanto cum apparatu agit Riolanus, 2. *Anthrop.*8. vt sæpe miratus sim! Mihi de vsu pauca hæc libet aspergere.

B Duplex est, Primarius, quem dixi, est compressio abdominis, in vtroque quidem sexu ad egerendas alvi fæces: in femineo autem præterea ad promovendum partum. Secundarius est ad respirationem quandam. Triplex enim cùm sit, vt rectè docet D. ab Aquap. *loco iam dicto*, Libera, Coacta, seu vehemens, & Vehementissima: serviunt huic tertiæ seu postremæ tantùm. Potissimam autem operam præstat heic Obliquè descendens dictus, vt post D. ab Aquap. persuadet Riolanus 5. *Anthrop.*30. Hoc ipsum non tantùm negat Spigelius, sed & in vniversum pertendit Musculos hos nihil conferre ad respirationem.

CAPVT CLXXXII.

De pyramidalibus seorsim.

A CVm Fall. 2. *Obs.*14. inventorem horum se constituisset, expertus est hostes aliquot. Vesal. *in Ex.f.*63. non sibi tantùm notos fuisse ait, & descripsisse 2. *Magn.Op.*31. sub nomine alterius & carnosi principij Rectorum: sed & Gal. qui 5. *Ex. Anat.*6. *F.* dixerit, Rectos cum osse pubis iungi διὰ σαρκὸς, *carnis interventu*, vt Interpres loquitur. Quin vult, esse *Carnosum* illud *principium*, cuius *de Anat.musc.*16. *B.* mentio: qua in re fallitur. Statuitur enim ad costas, non ad pubis ossa. An est σφάλμα μνημονευτικὸν ipsius Galeni?

B Hoc ipsum carnosum principium vrget etiam Columbus 5. *Anat.*22. cui satisfacere conatur Fall. in vniversum probans musculos peculiares esse. Huius argumenta Bauh. etiam habet, 1. *Theat.*8. *in Marg.B.* De D. Riolano, duo habeo, quæ mirer. Primò, Cur 2. *Anthrop.*8. initio dispungat hos musculos, quos tamen *l.5. c.33.* describit! Secundò, Eccur Gal. illa, quæ *in Anat.musc. vlt.verbis* sunt de mictione, adstricta velit ad hos musculos, cùm de inferiori parte omnium abdominis musculorum dicantur! tantò magis, quòd 5. *Vs. p.*16. *C.* id ipsum repetitur!

Meum sensum si desideres, dico cum Bauh. *l.c.* & Spig. meo 4. *Anat.*10. esse musculos: sed de vsu valde humiliter me sentire. Cùm enim modò adsint, modò absint; modò alteruter tantùm adsit; modò crassi, modò graciles sint; modò alter quidem bene habeat, alter vitus sit: Natura quasi digito ostendit non esse magnæ rei.

Et hæc de Abdomine.

CAPVT

CAPVT CLXXXIII.

DE CAPITE, SEV SVPREMO VENTRE, eique appensa SPINA.

QVi *Caput* heic audit, nolit accipere in vulgi sensu, pro toto illo, quod collo insidet: sed pro *Cerebro*, eique præstructis munimentis. Ita qui *Spinam*, non ossa tantùm, seu vertebras dorsi: sed & inclusam *Medullam spinalem*, quæ alterum est Cerebrum apud Gal. vti audiemus. Vbi profiteri non erubesco, esse me alienum ab iis, qui huc trahunt Cerebri partem eam, quæ oblongari incipit. Quod enim in spina nondũ est, spinale dici non potest.

De CAPITIS partibus contentis, seu Cerebro, & primùm de vsu eius.

SI quis legat, quæ Gal. contra Arist. disputat 8.*Vs.p.2.* *& seq.* putet sententiam vtriusque distare δὶς διὰ πασῶν. Verùm, si inspiciat loca Philosophi 2.*Gen.6.* 2.*Part.7.* *&* 10. 4.*Part.*10. *de Sensu & sens.*2. incipiet nutare, credo. Si addiderit, quæ Averroës scribit *Paraphr. in* 2. *Part.* *&* 2. *Coll.*11. quæ Avicenna 1.3. *Can. tr.*1. *c.*2. quæ Albertus Magnus 3. *de Animal.*1. *c.*4. *&* 6. videbitur sibi translatus esse in alium mundum. Imò, vt dicam quod res est, Manifesta in luce cernet, Galenum quidem non intellexisse Aristotelem: Aristotelem autem tantò lucidiorem esse, quò magis probamus illum, qui non solùm dicit, quod res est, sed & explicat modum rei. A

Galenus dicit, Cerebrum, vsum spiritibus animalibus ipsi dictis, quos ex vitalibus, tanquam materiâ, fecit, obire officia sensuum tam externorum, quàm internorum. Arist. dicit, Cerebrum id facere refrigerato sanguine, qui ex corde in cerebrum ascendit. Hoc quia diu ante me natum viderunt optimi quique, quà Philosophi, quà Medici; nostri autem homines sapere nolint vltra Galenum: edidi hac de re Diatribam (ita enim appellare libuit) Lipsiæ 1619. facturus, si ita contingeret, etiam officium *in Com. de Vs. part.* vt res ad plures dimanaret, & innocentia Arist. esset conspectior. B

Nunc vt infame novatoris nomen à me amoliar, catalogum texam eorum, cum quibus sapere mihi licuit. Inter Philosophos (præter tres iam dictos) sunt, Conciliator, *diff.*38. Zabarella, *de Partib. animæ, cap.* 9. Cæsalpinus, 5. *Quæst. Perip.*3. quà de Nervis, iterúmque 5. *Artis* 2. Bonamicus, C
1. *Alim.*28. & posteà, *l.*3. *c.*34. Schegkius *in lib. de spir. anim.* Toletus, *Com.*

in 3.*de Anima* 2. *t.*149. *quæst.*5.Conimbric. *in eund.locum,quæst.*2.*art.*2. Cremoninus, *de Orig.& princip.membr.dict.*69.*& seq.*Montaltus,3.*Opticæ*,Cœl. Rhodig.3. *Antiq.*23.

Inter Medicos sit primus Capivacc. *Meth. Anat.*23. Langius, 1.*Epist.*54. Al.Benedictus 2.*Anat.*4. Ingrass.*Com.in l.de Oss.*1. *t.vlt.* Tidicæus, *Microcosmi tract.*5. Peramatus, *l.*1. *de Temp.*10. Costæus, *l.*1.*Disq. Phys.l.*6. Pacius *in* 6.*Meth.*6. Claudinus *in quæst.de Fac.princ.* Th. à Veiga , *Com.in* 3. *Loc. aff.*4. & iterùm, *Com.in Art.*10.*&* 28. Turrisanus,*in eandem,* Ferdinandus 1.
D *Theorem.*28. Horstius,1.*Nat.hum.Ex.*9. *quæst.*2. Spigel.10.*Anat.*8.Olhafius, *in Probl.*cuius aliàs memini, Prosp.Martianus , *Com.in* 7. *Epid.* Rorar. *Contrad.Gal.*141. *f.*502.

His superpondij loco addere licet Oddum , 2. *Apol.*2. *& seq.* quatenus Galenum & Aristotelem in quibusdam consentire concedit, Averroëmque pro genuino Arist.interprete agnoscit. Interim certus esto, quisquis es, nugari illum insigniter. Hoc præmoneo , ne quis thesaurum animo præmeditans, carbones inveniat. Idem accidit mihi , cùm in causa Gal. commendatum mihi Piccollominum 10.*Præl. Anat.*8. legerem. Inveni enim quâvis nive frigidiorem,tam in probando, quàm in refutando.

Mihi libet adscribere verba ipsa Gal. 1.*Prorrh.*20. vt οἱ φιλογάληνοι intelligant,quantùm absit ab hoc Arist. sensu! ὥσπερ τοῦ ψυχροῦ , inquit de Phrenitide agens , τὸ ποιεῖν στάσιμα , δυσκίνητά τε καὶ ἀκίνητα , ἐν οἷς ἐμφιλοχωρήσῃ · οὕτω τοῦ θερμοῦ τὸ κινεῖν ἀεὶ , καὶ μὴ ἐᾶν ἠρεμεῖν. *Quemadmodum frigus, sicubi diu immoretur, res facit stabiles,difficulter mobiles,quin imò immobiles: ita calor perpetuò movet,nec sinit quiescere.* De eadem , & contrario eius affectu, lethargo , verba sunt eiusdem , 12.*Meth.*21.*C. Ex frigore accidit segnitia : ex calore immodicus motus.* Non dissimilia legeris 2.*Loc.aff.extr.*

CAPVT CLXXXIV.

Πόρισμα *de situ.*

A SI hic consensus est inter Arist.& Gal. & is tam clarus , vt nemo sanus dubitare iam possit , vt mihi persuadeo : fortassis licebit nobis paulò aliter statuere de philosophemate Gal. *eiusdem libri* 8. *c.*5. Caput esse factum, non propter cerebrum , sed propter oculos. Primùm enim, argumentum ab imperfectis ad perfecta non militat, quandoquidem neque à perfectis ad imperfecta licet argumentari. Deinde , cùm caput sit sedes sensuum , non exteriorum tantùm , sed & interiorum , sive facultatum principum , adeóque Rationis ipsius , quâ differt homo à brutis : cur non dicamus propter Rationem esse potiùs factum , quàm propter visionem,Rationis satellitem? Certè in aliis quoque denominatio capitur à potiori.

B Nec sublevat distinctio, Propter Rationem quidem,& ei servientes reliquos

quos sensus est factum: sed propter oculos in sublimi est. Quidni enim de auribus idem dici possit? quamvis vt dicatur, nulla ratio nos cogat? Et cùm Gal. ad nervi Optici mollitiem divertit, si paululùm progrediaris legendo, videbis statim, illum etiam reliquis sensoriis dare nervos molles. Quod argumento mihi sit Galenum eò adigi posse vt dicat, Non propter oculos tantùm, sed reliqua etiam sensoria habuisse caput hunc situm. Tum verò si accuratiùs intuear vexatissimum illud dogma de distinctione nervorum in molles & duros: iam planè me pudet Galeni.

Propterea dico, Quia sensuum nullus in corde fieri poterat, licèt ibidem sit fons & scaturigo illorum, propter Calidum nativum, quod ibi hospitatur; de calidi autem natura sit ascendere: vtique superiùs debuit esse Cerebrum, & quod illi pro munimento est Cranium? vel ideò, quia in Cerebro serenitas est, cùm in Corde tempestates sint affectuum? Quidquid huius sit, propono duo consideranda. Alterum, Siquidem per ipsum Gal. caput in imperfectis non est: quomodo caput dici potest pars illa, è qua sensus exeunt externi? & cur non potiùs Cor dicitur? Alterum, Si in perfectis ex corde primò exeunt sensus: quo modo non cordi potiùs analoga est pars illa, è qua in imperfectis exeunt sensus? in medio quippe? C

CAPVT CLXXXV.

De forma Cerebri.

POst multa nugamenta *lib.7.* initio effusa, Puteus *f.179. b.* vellicat Vesalium, qui *l.7. c.4.* docuerit, Cerebrum non habere propriam figuram, sed talem, qualem cranium permittit. Hanc sententiam quia Cuneus *f.118.* ita stabilivit exemplo hepatis, pulmonisque, vt pluribus non sit opus, licebit porrò silere & Puteo, & mihi. An hoc saltem licet stabilire autoritate Gal. *3. in 6. Epid.18*?

CAPVT CLXXXVI.

De magnitudine in homine.

ARist. 2. *Part.7.2.Gen.6.* indefinitè ait, Plurimum & humidiss. esse, proportione habitâ ad corpus. Ruffus etiam 2. *Appell.2.* Pro corporis mole longè maius esse in homine, quàm in reliquis animalibus. Veterum quidam cum elephante componebant. Sed quia animal hoc incognitum est Europæ, rectè Vesalius 7. *Magn. Op.* 1. tribus boum cerebris grandius esse ait. Quam magnitudinem cùm duplo maiorem statuat Riolanus 4. *Anthrop.2.* non habeo quod dicam, nisi hoc, Consentire illum tamen Piccollom. 5. *Præl.*

*Anat.*2. & Bauh.3.*Theat.*11.consistentibus in 4.vel 5.℔.Medicis. Nimirum, non minor heic est libertas Naturæ, quàm in longitudine intestinorum, de qua *suprà*, aliísque. Cùm enim, vt *Epid.l.c.*Gal. ait, capita, seu (vt distinctiùs loquar) crania varient magnitudine, vtique variabit etiam Cerebrum.

CAPVT CLXXXVII.

Cur sit divisum in Cerebrum & Cerebellum?

A QVi ex 8.*Vs.p.*13.*A.* dicunt, cùm Cerebellum sit eiusdem cum Cerebro structuræ, esse etiam eiusdem vsûs, non respondent ad quæstionem. Qui ex *eiusd.Op.c.*8.*A.*aiunt, Ideò sic divisum fuisse, vt ex Cerebro quidem nervi molles pro sensu oriri possint; ex Cerebello autem duri pro motu: illi revocant communem opinionem, multis modis culpabilem, quin obscurum per obscurum explicant.

Qui propter quartum ventriculum id factum fuisse dicunt, nimis faciles sunt: imò alios pro fungis habent. Si enim rectè intuearis, ne ventriculus quidem est, sed spatium συμπτωματικῶς factum inter duo hæc corpora, Cerebri & Cerebelli. Qui ex Varolio *l.*1. *c.*6. Cerebrum quidem propter oculos esse
B factum volunt; Cerebellum autem propter aures: ne verisimilitudinem quidem attingunt. Sed & fundamento nituntur valde lubrico, fortassis etiam falso, Cerebellum esse durius Cerebro.

Qui Cerebellum in subsidium Cerebri esse factum volunt, vt scilicet transmissum è cerebri ventriculis spiritum conservet, & spinali medullæ adaptet, vti loquuntur: imaginantur sibi, quod non est. His omnibus sapientiores sunt, qui tacent, inter quos Spig.noster *l.*5. *c.*8. Mihi res perquàm mira videtur, quæri heic tot ambages! Cùm Natura opus haberet in Cerebro vasis tantùm non innumeris, iisque valde exilibus, quæ ipsa sine munimento in corpore tam vasto, quale præcipuè in homine est Cerebrum, dispergere
C non poterat: fecit pro muniendis vasis istis duas quidem meningas distinctas substantiâ & vsu, sed modo muniendi vsa est perquàm dissimili. In tenui dicta meninge (quamvis id huc non faciat) paravit mæandros illos verè admirabiles, qui interiora tam Cerebri, quàm Cerebelli penetrantes, deducunt vasa in profundum, vt sanguini, spirituíque paretur alteratio illa substantifica, quam *Refrigerationem* vocavit Arist. vt in vsu dictum fuit.

In crassa (quod huc facit) constituit διπλόας Galeno dictas, *duplicaturas*, quæ vasa è thorace ascendentia quasi in sinum quendam recipiunt, formántque dictos inde nostratibus *Sinus*. Ex his *Sinibus* cùm iterum egredi deberent vasa, quæ vasa *Ductus* hodie appellant, nec sufficeret via in longitudinem, ab occipite videlicet versùs frontem: addidit etiam latitudinem, ab
D aure dico ad aurem. Longitudo quia desiderabat, non tantùm divisionem Cerebri in partem dextram & sinistram, licèt vsque ad *Corpus-callosum*

tantùm; ſed & viam liberam in ipſos ventriculos: propter illam quidem factus eſt *Sinus* primus, is, inquam, qui inter dextram & ſiniſtram Cerebri partem ad frontem proficiſcitur; propter hanc autem quartus, qui & in ipſos ventriculos abit, ibidémque cum arteriis ſoporalibus aſcendentibus conſtituit πλέγματα χοριοειδῆ dicta: & ſupra *Corpus-calloſum* ingrediens, eodem itinere ad frontem properat. Latitudo fecit, vt ſecundus & tertius, ſive dexter & ſiniſter inſtitueretur, & diviſio illa, de qua agimus.

Hoc vt faciles habet explicatus: ita illud minimè, Cur diviſio ſit facta in partes tam inæquales? Sive, Cur tanta ſit Cerebri amplitudo: Cerebelli E contrà tam exigua moles? Do tibi, quod habeo. Cerebri tanta fuit amplitudo, vt efformari poſſit vnus ille & magnus ventriculus, quem à Varolio inſtituta ſectio oſtendit, quémque poſt Ariſt. ſecabant in tres. Sed cur hoc? In parte, tam ſuâ naturâ excrementoſa, quàm multas exhalationes ex inferioribus ſuſceptura, neceſſariò excrementorum vber proventus erat futurus, quibus expurgandis alia ratio non erat, quàm hæc, rectà ſcilicet deorſum in palatum. Cerebelli tantilla cùm eſſet portio, ſufficiebat etiam tantillus ventriculus, & qui pateret in vnum illum magnum, mediante quarto vulgò dicto ventriculo.

Iam illud planè inexplicabile eſt apud me, Cur, cùm ad facturam primi *Sinûs* ſatis fuerit duplicari duram matrem: ad ſecundi & tertij efformatio- F nem quadruplicari (ita homines non ignobiles) eandem duram matrem oportuerit? Quod verò magis vrget, Cur in animalibus quibuſdam (in cane, fele & vulpe ego vidi, & habeo in promtu crania) ad diſtinctionem Cerebri & Cerebelli, præter iam dictam membranæ duræ quadruplicem texturam, opus fuerit, non oſſe tantùm triquetro, ſed & proceſſu oſſis petroſi vtrinque ita exaltato, vt Cerebellum propriam quandam domunculam habeat, & quaſi alterum cranium?

Huius miraculi (ita meritò appello) conſcia fuit antiquitas quoque: ſed non explicitè. Gal. enim 4. *Ex. Anat.* 1. *E.* ſubſtantiam vocat vel oſſeam, vel cartilagineam. Hunc locum laudat Veſal. 1. *Magn. Op.* 6. *in Ep. ad Rol. f.* 99. & addit, In cane ſe vidiſſe. Hæc exaudire volo duo hominum genera, quo- G rum alterum negat Galenum meminiſſe huius oſſis, inter quos Euſtachius, *Ex. oſſ. f.* 192. & Bauh. 3. *Theat.* 6. *in marg.* alterum Veſalio imponit, quòd falsò Galeni *lib. de Oſſ.* citârit, inter quos Columb. eſt *l.* 1. *c.* 5. & Bauh. *l. c.* Sed, omiſſis errunculis iſtis humanis, cui bono eſt arcta illa Cerebelli cuſtodia? Me quidem, qui Anatomicus non ſum, non pudet liberæ confeſſionis, Nescio: Te verò, ὦ ἀνατομικώτατε Riolane, inprimis dedecet vel ſilentio faſſum eſſe. Quamobrem non ægrè feres, quòd προκέλευσμα illud ſuggeram tibi denuò:

Naturam, RIOLANE, magis penetrare memento!

Henetus *Cal.* 1. ait Galenum excogitaſſe. Vide Fabricij noſtri Hildani *Cent.* 5 *Obſ.* 1. vbi laudat & Bauh. 3. *Theat.* 6. & Pavvium 5. *Oſſ.* 4.

CAPVT CLXXXVIII.

Cur Cerebrum ſit diviſum in dextrum & ſiniſtrum?

A NIſi fallor, commodior hæc eſt locutio, quàm illa, Cur Cerebrum ſit geminum? Non enim reverà eſt, vt dicetur, Cæterùm, vera cauſa dicta iam eſt: falſa examinabitur porrò.

Docet Gal. 8. *Vſ. p.* 10. *B.* ideò eſſe, vt ventriculi gemini inſculpi poſſint, quorum vno læſo alter ſit in officio. Huic aſſertioni opponit ſe Veſalius 7. *Magn.Op.*4. *extr.* & in *Ep.ad Rolandum f.*180. Reverà, vult dicere, Cerebrum non eſt duplex, quemadmodum duplices ſunt oculi, aures, &c. Deſinit enim diviſura in corpore calloſo, quod veſtigium quidem habet diviſuræ totius corporis in dextrum & ſiniſtrum: ita autem iungit totum cerebrum, vt vnum in rei veritate ſit.

B Cui ego ſuppetias eo, Quo modo dici poſſunt duo ventriculi, quorum vno læſo ſit in officio alter, cùm coëant in tertio dicto ventriculo? Quæ cauſa eſt, cur nunquam intelligere potuerim διπλῆν σύντρησιν, *geminum foramen illud*, de quo Gal. *ibi.* Certè in vnum foramen, quod tandem in infundibulum, deſinit vterque ventriculorum ſuperiorum dictorum.

Nec eſt, quòd quis ſuſpicetur, Galenum loqui, non de vno hoc ſolo foramine, quod rectà deſcendit: ſed de tranſverſo quoque illo, quod ex quarto dicto ventriculo deſcendit in tertium. Si enim excutiatur locus, parebit, loqui illum de priore tantùm. Quare eius ſententiæ ſum, delenda eſſe illa τῆς κάτω συντρήσεως διπλῆς γεγενημένης, καὶ.

CAPVT CLXXXIX.

Cur non Cerebellum quoque ſit diviſum?

QVæſtionem hanc inſtituit Gal. *l.c.* impugnat Veſalius *Magn.Op.l.c.* defendit Puteus *l.*4. *Apol f.*142. increpat hunc Cuneus *Antapol.f.*184. Nugæ nugarum! Non enim inquirere oportet in actiones Naturæ, Cur hoc, illúdve aut fecerit, aut non aliter? Sed, cur hoc, illúdve factum ſit ita, & non aliter? Imò verò, quòd non potuerit quidquam meliùs fieri.

Et hoc eſt, quod Ariſt. ait *de Iuv. & Sen.*4. τὴν φύσιν ἐν πᾶσιν ἐκ τῶν δυνατῶν ποιεῖν τὸ κάλλιστον. Hoc Gal. toties repetit, vt labor ſit numerare. Et eſt alioquin Gal. aſſertio (Cerebellum eſſe vnum & ſimplex, propterea quòd ſpinalis-medulla etiam ſit vna) tam à vero averſa, vt Puteus neget Galeni eſſe. Sed eſt *cap. dicti extr.*

CAPVT CXC.

Cur vtrumque sit anfractuosum?

DIxi, quod satis esse poterat: visum tamen fuit addere hæc. Refutat quidem Erasistratum Gal. *l.c.* sed ipse causam non dicit, quod meritò reprehendit Vesalius *lib.* toties *dicto*. Et affert quidem Vesal. causam, Factum esse ad sustentandam cerebri & cerebelli mollem substantiam, adeóque vt nutritio sit commodior: sed non satis se explicat. Ita enim res habet, Coniungere oportet cum causa à me allata, quatenus in vasis molli substantiæ intertextis fit alteratio illa sanguinis, spirituúmque substantifica, de quâ dixi. Et hæc quidem causa primaria est: secundaria est nutritio. Vide, si placet, Puteum *l.c.* & iterum *l.7.f.139.* & Cuneum *f.78.& 119.*

CAPVT CXCI.

Vbi, & quod sit Torcular Herophili?

QVod dubium nunquam fuit, dubium fecit Riol. 4. *Anthrop.* 2. Galenum dicens non constare sibi in eo, quid sit ληνὸς Herophili? Modò enim dicere, ληνὸν esse concursum quatuor Sinuum: modò ex quatuor vnum illum tantùm, quem tertium facit, ego nuper quartum, qui, inquam, ingreditur in ipsum cerebrum. Sed ita est. Gal. 9. *Vs.p.6.* tam expressè ληνὸν vocat congressum quatuor sinuum, vt aliorum Anatomicorum nemo hactenus diversus fuerit. Deflectit autem Riolanus, propter vitium loci 9. *Ex. Anat.* 1. *ext.* A

Hunc ex illo *de Vs.p.* adeóque ex ipsius Naturæ libro nunc ita reformo. B
Ἔνθα συμβάλλουσιν ἀλλήλαις αἱ φλέβες, ἣν τινα χώραν Ἡρόφιλος ὀνομάζει ληνὸν. Ἔστι δὲ μία μὲν τῶν φλεβῶν διὰ βάθους μᾶλλον· ἑτέρα δὲ συμβολὴ τῶν φλεβῶν προσκειμένων τῇ ληνῷ ἐπιπολῆς, κατὰ τὴν παχεῖαν ὡσαύτως μήνιγγα γεγενημένη. Et mox. Ἀποφύεται δὲ ἡ εἰρημένη ἀπόφυσις ἡ ἐπιπολῆς κατ᾽ ἐκεῖνο τὸ μέρος, ἔνθα συμπέφυκεν ἡ λαβδοειδὴς ῥαφὴ τοῖς λεπιδοειδέσιν ὀστοῖς. Πρότερον οὖν τέμνε τὰς ἐπιπολῆς ταύτας φλέβας, ἕως τῆς ληνοῦ. Atque hæc erit descriptio trium posteriorum sinuum, vt ego quidem ordino: primus enim describitur *cap.seq.* Cæterùm, observatum est mihi *Notis in cap. præc.* 9 *Ex. Anat.* solere Galenum ληνοὺς vocare omnes quatuor hodie dictos *Sinus*, non minùs quàm φλέβας, *venas*, & διπλοὰς, *duplicaturas*.

CAPVT CXCII.

De substantia sinuum.

A NOtum erat Galeno, duram matrem, quibus locis dixi, sinuari, & venire
eò tam venas, quàm arterias. Non minùs notum illi erat, in quatuor istis
sinibus, perinde ac in venis contineri sanguinem, quamobrem etiam *Venas*
vocavit, 9. *Ex. Anat.* 1. & 2. Ignotum verò illi erat, quid fiat his vasis, post-
quam ad duram matrem pervenére? Hiéntne tantùm ad διπλοὰς, sanguiném-
que eò exonerent? An ferantur integra, quasi in complexu duræ matris, itáque
sanguis maneat in suis vasis? An tandem triplex hæc substantia ita miscea-
tur, confundatúrque invicem, vt ad sensum distingui non possit? Mihi per-
suasit αὐτοψία stabilita observatione Fallop. 5. *Obs.* 3. (quamvis is de duplici
substantia tantùm loquatur) vltimum hoc fieri.

Hinc adeò fit, vt (quod apud omnes in confesso est) ex hac triplici
B substantia confusa egredi possint vasa distincta (ὀχετοὺς vocat Gal. *Ductus*
nostri) & in piam matrem, cerebríque substantiam absumi, in qua etiam
substantia manifestè apparent puncta quædam sanguinea, Aristotelis sæcu-
lo incognita. Has sive venas arteriosas, sive arterias venosas voces, non pec-
cabis. Sunt autem ad sensum venis similiores, quàm arteriis, fortassis ideò,
vt alteratio sanguinis contenti sit facilior. Ignotum pariter Galeno erat,
Quot, & quæ venæ, arteriæque hoc modo copulentur cum dura matre?

Ego apud nostrates invenio in vniversum, Venas quidem tres: arterias
autem duas. Has, vnà cum iis vasis, quæ aliis in locis duræ matri implican-
tur, si accuratè descriptas velis, offendes, non apud Columbum, Laurentium,
C aliósque inferioris subsellij Anatomicos: sed apud Vesalium *l.* 3. *cap.* 14.
Fuchsium, qui huius vitulâ aravit, *l.* 6. *cap.* 2. Platerum *in Tab. de Capite*
f. 182. & rursus in *Fig. tab.* 47. *f.* 47. Bauh. *in Theat.* 10. & *tab.* 11. Hac in re si
diversitatem quandam inveneris, vel in autoribus, vel in sectione ipsa, ne
mireris. Vt enim iam alibi quoque, Natura vtitur libertate quâdam. Cogita
verò etiam te hominem esse, & fugere posse quædam diligentiam tuam.

CAPVT CXCIII.

De numero eorundem.

IN quaternarium numerum consentiunt omnes. Solus Fallop. 3. *Obs.* 5. & 6.
iterumque *l.* 5. *c.* 3. plures vidit. Hunc Vesal. quidem in *Ex. f.* 167. verbis
damnat: reliqui silentio. At vos, ô tales, cur non sequimini vestigia ipsius?
Nam & heic variam posse esse naturam, quis dubitet? inprimis in numero?

CAPVT CXCIV.

Contra Fallopium de Arteriis.

VAriam posse esse Naturam in his, iam bis dixi: ita verò variam, vt Arteriæ nullæ adsint, non credam, etiam vbi me credere dixero. Interim tam confidens est is, quem dixi, vt 3.*Obs.*11. his vtatur verbis: *Quòd nulla arteria ad sinus* (duræ) *membranæ perveniat, ita sensibus manifestum est, vt ne verbum quidem ea de re dici debeat.* Itáne, mi Falloppi? tam temerè mendacij arguis divinum Vesalium tuum? Annon verisimile est, te potiùs falli, quàm illum? Sed nihil tale sit: quid ait ipsus in *Ex.f.96*? Primò, Non obscurè habet in censu illarum observationum, quibus valde sibi placet Fall. cùm reverà verba sint sine re. Secundò, Manu prehensum ducit in theatrum Anatomicum, & in viva sectione demonstrat, non posse reddi rationem pulsûs in sinibus duræ matris, nisi admissâ arteriâ, ipsos sinus subeunte. Tertiò, Opponit autoritatem Gal. eorúmque omnium, qui ex Gal. ostendunt, sinus omnes fungi munere arteriarum. A

Alibi ait, Exactiorē esse, quàm par est, Tenebras dare pro luce, & siquæ sunt alia. B

Ego duo alia statuo illi ob oculos. Primò, Quadrigam nobilem Anatomicorum, quibus si obstrepere ausit, habebo illum pro homine parum pudente. Primi duo sunto duo Præceptores, Platerûs & Bauh.*ll.cc.* Alteri amici, Spigelius & Casserius, ille quidem *6.Anat.2.* hic autem in Tab. adiunctis, *lib.*10. *fig.*1.*tab.*11. Secundò, Falloppium ipsum, qui 5.*Obs.* docet, Quid fiat de venis, ad duram matrem perlatis, & quæram, Annon idem fieri putet in arteriis?

Hà, dicet aliquis, Si nulla arteria eò fertur, &c. Atqui ego testibus sufficienter convici, ferri. Atque heic interfari me oportet pauca. Scio fore, qui rideant, quòd picturas allegem: ego verò moneo illos, parciùs agant. Ridebunt enim totam antiquitatem, ipsam, inquam, familiam Asclepiadeam, in qua receptas fuisse probare possum ex Arist. Et quid ridiculi est, si attester fidem eorum, qui memoriæ gratiâ pinxerunt, quod viderunt? Huc enim audaciæ progredi non ausim, vt dicam, secutos esse alienam fidem: multò minùs mentitos esse.

CAPVT CXCV.

Contra Riolanum de iisdem, & sinibus.

SCripseram hæc, videbárque mihi è tenebris Cimmeriis emersisse. Cùm subitò mihi A

——*Cæruleus*

——— Cœruleus supra caput adstitit imber,
Noctem, hyemémque ferens. ———

Subveniebat enim memoriæ, legisse me tale quid apud Riolanum quoque. Conversus igitur eò reperi, illum 2. *Anthrop.*8. *f.* 346. & iterum *l.*4. *cap.*2. *f.*383. non solùm amplexari dogma Falloppij iam dirutum: sed & substantiam sinuum longè aliter describere, quàm factum est à me. Nimirùm, sinus quidem facit ex dura matre tantùm: in sinibus autem non esse alium sanguinem ait, quàm venosum.

Obstupui, steterúntque comæ!

B Cúmque diu sedissem cogitabundus, siquam causam invenire possem audaciæ tam profligatæ, tandem succurrit: *Quid si TIBI crucem figere voluit?* Quid enim causæ esse dicas, cur, cùm motum Cerebri contra Galenum, eiusdémque assentatorem Laurentium ita conculcâris, vt non videatur pertinacibus superesse vllum præsidium: cur non meminit eius rei? Imò, cur non refutat, si poterat? sed simpliciter cunei instar ponit, *Motus est Cerebri, non arteriarum?* Sit verò probatio hæc: Quia neque substantia arteriarum ingreditur sinus, nec sanguis arteriosus.

Inspiciamus obiter vtrumque. Primò, Si maximè à sanguine arterioso non fit hic motus, fitne propterea à substantiâ cerebri? Quod enim contra Laurentium vrgeo, Vbi est causa efficiens in corpore suâ naturâ frigido?
C Item, vbi est finis, qui est causa causarum? Vbi sunt instrumenta?

II. Adsint omnia: siquidem concedit, Arterias, non minùs quàm Venas, sanguinem efferre ad Cerebrum; si non, perinde vt Venæ, exonerant illum in Cerebrum, quid de illo fit?

III. Cùm omnes corporis partes indigeant duplici sanguine, vt alibi probavi: éstne probabile, in cerebro id non fieri?

IV. Si omnino Cerebrum carere potest alterutro, carebit venoso potiùs, quàm arterioso. Arteriosus enim est is, qui turget spiritu vitali dicto, è quo fit animalis. Sed sint hæc omnia protinus alba: Nisi vasa ipsa ingrediuntur sinus, vndè erunt *Ductus* nobis dicti? Vasa inquam, illa innumera, quæ per piam matrem disperguntur? imò, quæ in ipsam Cerebri substantiam passim dividuntur, & faciunt stigmata illa cruenta, quæ Riolanus ipse vocat? Ex vasis vasa exsistere possunt: ex dura matre non possunt. Sed desino plura, ne:

CAPVT CXCVI.

De plexibus χοροειδέσι.

A CVm quarti sinûs propagine, in ipsos ventriculos perductâ, & copulatâ cum arteriæ carotidis ramo, in eosdem ventriculos sublatâ, quia fiunt plexus ita dicti: heic est locus ipsorum proprius. De his duo moneo. Alterum,

Alterum*, Veram eſſe hanc ſcripturam, quippe appellatis ἀπὸ τοῦ χορίου. Hanc tamen negligunt propè dixerim, omnes ſcribentes χοροειδεῖς, aut Choroides. Alterum, Hanc eſſe ſubſtantiam illorum, texturam ex vaſis ferè ſimilem reti mirabili, de quo iam, hac tamen differentia, Quòd rete quidem dicendum ſit ex ſolis eſſe vaſis: plexibùs autem his noſtris interſperſæ ſint glandulæ plurimæ, eæque minutiſſimæ. Conſentit Spig. 10. *Anat.* 7. & 8.

Has cùm primus obſervârit Varolius *in Epiſt. ad Mercurialem*, editâ cum egregio ipſius opuſculo Anatomico: reliqui tam prolixè ſtuduerunt illi, vt non niſi glandulas agnoſcant heic. B Ideò monitos heic volui adoleſcentiores, ne temerè ſe agglutinent illis. Eoſdem moneo, rectè accipiant illud doctiſſimi Riolani 4. *Anthrop.* 2. Plexus hos noſtros eſſe ex venis. Venas enim ille appellat heic, non eas, quas vulgò iuxta arterias ponimus: ſed propaginem quarti ſinûs mihi dictam, quæ in rei veritate non magis ex venis conſtat, quàm ex arteriis, licèt ille excludere voluerit, ceu audivimus.

Interim quia Gal. (vt pariter audivimus) omnes quatuor ſinus vocavit *Venas*, poteſt hoc Riolano dari, modò non ſit fraudi aliis. At ſi vlteriùs progredi velit, negare, inquam, & ad conſtitutionem horum plexuum concurrere arteriæ carotidis aſcendentis ramum illum, quem dixi, & in his plexibus contineri ſanguinem venoſum tantùm, non autem miſcelam ſanguinis vtriuſque: ἀντιπαρωρητέον τοι ἐναντίῳ λόγῳ, vt cum Galeno loquar 2. *Vſ. p.* 8. vbi vide ſis *Com.*

CAPVT CXCVII.

De reti mirabili.

NOn dubito, Galenum 9. *Vſ. p.* 4. *A.* 7. *Sent. Hipp.* 3. *H. de Anat. ven.* 10. A rectè deſcripſiſſe. Propterea nollem Veſalium 3. *Magn. Op.* 14. *& rurſus l.* 7. *c.* 12. alióſque, tam multa verba profudiſſe. Eſt enim in homine quoque, licèt non æquè magnum ac in brutis. Fortaſſis nec in omnibus hominibus eſt eiuſdem magnitudinis. Præter hoc quòd alterum rete in ſcenam infert Riolanus *l. iam cit.* quódque ſit propago plexuum chorioidῶν, fateor me nunquam vidiſſe. Sed neque ſatis imaginari mihi poſſum, ſi eſt in baſi cerebri, iuxta Galenicum, extra, inquam, duram matrem, quo modo pervenire eò poſſint plexus chorioideῖς? Vt hactenus quidem iure me accuſet imperitiæ Anatomicæ! An eſt vnus ſinuũ Fall. de quibus c. 190?

Si delitiari tibi placet heic, vide Puteum *l.* 7. *Apol. f.* 182. & Cuneum *f.* 123. B Sylvium & Henerum *Cal.* 18. Si de foramine calvariæ, per quod arteria, poſtquã rete hoc conſtituit, aſcendit, aliquid vis, dabunt iidem antagoniſtæ, Sylv. quidem & Henerus, *Cal.* 3. Puteus autem *f.* 31. *b.* & Cuneus *f.* 20. Si ampliùs de eiuſdem in cerebro diſtributione ambigere libet, habebis occaſionem ex

Sylvij & Heneri *Cal.19.* Ego ad minutias tales nauſeo, præſertim, vbi ſcio Naturam variare.

CAPVT CXCVIII.

Loci duo paralleli Gal. perpenſi.

A ANtequam à vaſis abeam, inſpicere placet, quæ Gal. *9. Ex. Anat.3.* & fuſiùs *9. Vſ.p.5.A.* prædicat, vel ideò, quia noſtrorum quidam penè pro ſecreto habent. In cerebro, dicit Gal. non eunt venæ cum arteriis; multò minùs συναναστομοῦνται: ſed venæ quidem deſcendunt, arteriæ autem aſcendunt. Heic primo ſtatim intuitu obverſatur mihi inſigne chaos! Si enim ſermo nobis ſit de vaſis ad conſtitutionem ſinuum concurrentibus, ipſa αὐτοψία, teſtimonio tot inſignium virorum firmata, convincit, non venas tantùm, ſed & arterias aſcendere.

Galenus verò cùm dicit venas deſcendere, loquitur de quarto mihi dicto ſinu, quem Venam magnam appellat. Idem cùm dicit arterias aſcendere,
B loquitur de arteria carotide illa, quam ramo quarti ſinûs occurrere dixi ad conſtitutionem plexuum chorioidῶν. Quòd ſi præter hanc aliæ etiam arteriæ (quemadmodum venæ quoque) per ſubſtantiam duræ matris aſcendunt: de illis Galeno ſermo non fuit. Iam ſi ad *Ductus* nobis dictos eamus, certo certiùs illi deſcendunt: ſed quid contrà aſcendit? De iiſdem ductibus nuper dixi, ad ſenſum dignoſci non poſſe, Venæ, an arteriæ ſint? Vtraſque eſſe rationabile eſt. Vtræque enim aſcenderunt.

Non venas tantùm deſcendere, ſed & arterias, non iam rationabile eſt, ſed neceſſarium. Pulſant enim, non *Sinus* tantùm, ſed & *Ductus*, quod vidi Patavij hiſce oculis meis, partim in viva canum Anatomia, partim in
C vulneribus capitis maioribus. Et in his tantò evidentiorem pulſum eſſe veriſimile eſt, quò *Ductus* ipſi in homine patentiores ſunt, admittentes ſtylum ſic ſatis magnum.

Ego in tranſcurſu illud noto, Veſalium & Columbum facere Galeno iniuriam, cùm negant meminiſſe quarti mihi dicti Sinûs. Non meminerit, qui *9. Ex. Anat. 2.* his verbis: Hæc vena in altum declivis deſcendit, &c. quaſi digito oſtendit? Loca plura ſi vis, dabunt tibi *Comnoſtra in 9. illum Vſ. part.*

CAPVT CXCIX.

De motu & sensu Cerebri.

HActenus quia non semel inclinatum fuit eò, Motum cerebri, qui apparet in vulneribus illius, præcipuè in omnibus infantibus, quà *Fontana*, seu *Fontanella* ab Italis dictus *locus est*, se prodit: non Cerebri esse, sed Arteriarum cerebro implexarum, oportet eius quoque rei sigillatim mentionem facere. Antiquitus etiam dubitatum fuisse constat ex 4. *Diff. puls.* 2. *D.* Arteriis (vt paucis me expediam) quemadmodum concinit omnis ratio: ita Cerebro repugnat tota rerum natura. A

Quid igitur Galenum traduxit in sequiorem partem? Cùm semel admisisset dogma illud, solâ antiquitate fultum, Spiritus fieri, non ex solo sanguine, sed ex sanguine, cui aër sit mixtus: veluti in vitalibus ipsi dictis res probabilis est, ita in animalibus quoque dictis probabilitatem quandam dogmati illi conciliare voluit. Sed reverà laboravit frustra! Vt enim non ita pridem dixi, Nulla ex causis continentibus favet illi, non, inquam, Efficiens, non Finis, non Instrumenta: quare rectè illi dici potest, O Galene, arces ædificas in aëre! Quod ipsum quia in Digressione huic liti dicata *Com. in* 8. *Vs.p.* abundè demonstravi, nefas sit heic resumere. Multò minùs huc accersere debeo, quæ contra Laurentium (ὑπὲρ σάθμιον πόδα ἐκτείνοντα, vt est apud Suidam) 4. *Anat.* 8. *sed potiss. q.* 11. scripsi. Sed nec examinare debeo, quæ Bertachin. habet 4. *de Spirit.* 10. *& seq.* B

Audeat heic aliquid MARGITES Hectore dignum!

Fortassis autem de Riolano licet tria verba addere. Postquam triarium in primo aggressu amisit, ceu vidimus *cap.* 192. longè pòst 4. *Anthrop.* 2. *f.* 385. submittit hunc fiduciarium, Vidi manifestè in quodam &c. Viderunt, inquam ego, duo (quid enim plures advocem?) summi viri, Fallop. *in calce Obs.* & Vesal. *in Ex.* contrarium. Dicésne, vel oculos illis defuisse, vel iudicium? Profectò, nisi fingeret homo, tam timidè non ageret! tam desultoriè, tam contracto supercilio prætervolaret hostes! quin mortuis leonibus extremo vngue barbam velleret! C

Et ita quidem de motu cerebri statuo: de sensu absolvo me vno illo Gal. loco 1. *Caus. sympt.* 8. *A.* Cerebrum non est conditum, vt sit sensorium: sed vt sensoriorum sensorium. Vide Pacium *in* 6. *Meth. f.* 1255.

CAPVT CC.

Sitne distantia aliqua inter calvariam, durámque matrem? & inter duram, piámque matres?

A HAc in re quia magnum robur collocant Cerebri motores: age videamus, quantum sit illud, tam apud Gal. quàm in rei veritate! De distantia vtriusque meningis inter se, verba sunt Anatomici 8. *Vs. p. 9. A.* seiunctas esse, vasisque excidentibus tantùm cohærere. *Cap. 12. seq. C.* ait, Cerebrum (intellige cum pia matre) à dura quidem esse seiunctum: duram autem contingere calvariam, licèt non adhærescat ei. Et *l. 9. c. 16. C.* Crassam quidem locis quibusdam cum calvaria colligari ait, partim per suturas, partim per ligamenta; quibusdam locis nullátenus annexam esse: cæterùm, à cerebro abesse tantum, quantum contractio & dilatatio requirit.

7. *Aph.* 58. agnoscit χώραν κενὴν etiam in spina, eiúsq; medulla.

Qua in re ne quid prætermisisse videar, dico, Galenum vocare spacium
B illud εὐρυχωρίαν ἄφθονον: sed dico propterea, vt notem Int. errorem, qui *Laxitatem spaciosissimam* vocat. Hellenismum enim non admittere nôrunt ij, qui Græcè nôrunt. Quod vt confirmem imperitioribus, accipiant hæc Gal. verba *ex l. 13. c. 8. C.* ἡ παχεῖα μῆνιγξ ἀφέστηκε τοσοῦτον (τῶν περικειμένων ὀστῶν) ὅσον ἱκανὸν ἦν ὑποδέχεσθαι διαστελλόμενον τὸν ἐγκέφαλον, *Crassa meninx à cranio tantùm abfuit, quantò opus fuit cerebro ad motum.* Qua de re agens 4. *Præs. puls. 9. A.* ἐπὶ πλεῖστον ἀφεστηκέναι, *Longissimè abesse*, ait Interpres.

Hoc spatio ne porrò sibi placeant isti homines, dicam illis in aurem, Galenum, ab Adrastéa coactum, fingere illud, cùm in campo gloriæ est, & defensat motum suum: extra verò fervorem illum negare. Hoc probo ex 3. *in 6. Epid. 1. D.* vbi ait, ἐπὶ τῶν νέων ὁ ἐγκέφαλος ψαύει τοῦ κρανίου, ἅπασάν τε τὴν ἔνδον εὐρυχωρίαν κατείληφε, *In iuvenibus cerebrum contingit cranium,*
C *adeóque occupat totam interiorem capacitatem.* Nec me moratur, quod & in vestigio, & paulò superiùs scribit, ἐν τοῖς γηρῶσι ἀφίστασθαι τῶν ὑπερκειμένων ὀστῶν, *In senibus abscedere ab incumbentibus ossibus.* Satis enim mihi est, εὐρυχωρίαν nullam esse in habentibus secundùm naturam; at in senibus (si modò verum est fieri hoc posse in latitudine sanitatis) qui præter naturam habent, nihil moror. Sperem autem satis fore demoliendæ comparationi, quam Col. Laur. & Piccoll. instituunt, vt rem amplificent, *Quantùm* (dicunt) *à corde abest pericardium: tantùm dura mater à pia, conclusúmque in ea cerebrum.* Hoc vt demonstrent, ablatâ paterâ, vt loquuntur, incidunt duram matrem, immissóque calamo inflant, Videte, inquiunt,
D quanta sit distantia duræ matris! & considerate, an hoc intervallum vlli alij rei paratum sit, præterquam motui!

Admittit Arist. 2. Gen. 6.

Ego verò serenâ fronte dico, τέρθρευμα hoc est, vt multa talia, quod agyrtam potiùs decet, quàm virum honestum! Primùm enim quæro, An possit

esse eadem conditio Cerebri secundùm naturam habentis, & morbo consumti hominis? Procul enim dubio considet. Sed sit Apoplectici, qui eodem momento vixerit, & mortuus sit, sit militis, latronísve sani, iamiam occisi: verisimiléne est, dum cerebrum malleo, serrâ, cultro validè, & satis longo tempore, tunditur, (quanto scilicet opus habet, qui duram matrem servare vult integram) non collabi illud? præsertim, cùm fornicis instar suspensum sit, vt ostendit nova Varolij sectio? Sed nihil patiatur cerebrum vsque ad avulsionem pateræ: dum non sine violentiâ insigni avellitur, & renitentibus suturis deripitur, fierine potest, vt non dilatetur? E Sed neque in vulneribus capitis observatio omninò tuta est. Inflammatio enim, coniuncta cum febre vtplurimùm vrente, nihil mutet? Plaga ipsa & hæmorrhagia, absque symptomatis aliis, vomitibus biliosis, syncopis &c. non absumant spiritus, vt detumescat cerebrum?

Vrget hoc etiã Facius *Com. in 6. Meth. 6.*

Quid pluribus? Audiamus virum diligentissimum, & ab omni falsimonia alienum, Olhafium nostrum, *in θ. suprà laudatis. In vivente corpore,* inquit, *non esse intervallum tale, quale Columbus sibi imaginatur: constat inde, Quòd duræ meningis æquabilis & permanens sentitur durities & tensio, tam in constrictione, quàm in dilatatione. Vnde manifestum fit, Cerebrum cum tenui meninge substerni crassæ immediatè.* Quid nunc, ô socij?

Ὄρος μὲν ὤδινεν· τέκεν δὲ μῦν κακόν. C

Mons parturit: sed ecce prodit musculus!

Nimirum, quod dicit nescio quis, Nullum mendacium veterascit. Ideò necessariò omnes illi qui in comendo, & poliendo scorto hoc occupati sunt, pudefiunt, defluente subitò cerussâ omni, stibióque, abstersò Tornesole Hispanico, breviter, fuco inani in auras abeunte. Et hoc facit MAXIMA DEARVM VERITAS, vt ex Polybio dixi *suprà.*

CAPVT CCI.

De VENTRICVLORVM *cerebri numero.*

FVisse olim quoque, qui non nisi vnum statuerent, paret ex Hippoc. 7. A *Aph.* 51. *Arist.* 1. *Hist.* 16. imò etiam Medico, seu *Introd.* 11. Et collineat quidem eò nostri sæculi præstantissimus Anatomicus, Varolius *in Ep. ad Mercurialem*, cuius nuper memini: verumtamen ex mente ipsius dicendum esse video, Modo quodam duos esse: modo quodam vnum. Duos, quátenus in superiori cerebri parte, subitò sub corpore calloso, vtrinque, à dextris, inquam, & sinistris duæ sunt cavitates, eiusdem figuræ & magnitudinis. Vnus, quátenus duæ illæ cavitates desinunt in foramen quoddam commune, quod vulgò pro tertio ventriculo numeratur, & finem habet in infundibulo.

Ex hac oratione intelligitur, duos hos ventriculos minùs commodè com-

8.*Vſ.p.*10. *B.* parari cum duobus oculis. Neque enim ſeorſim conſiſtunt: ſed ſubitò confluunt in vnum, vt ita dicam, ventriculum. Quò fit, vt neque alterutro læſo
B poſſit alter eſſe in officio: neque in ſtatu ſecundùm naturam poſſit alteruter agere quidquam abſque ope alterius. Hinc ſubitò ſuſpectus fit vſus, qui vulgò obtinet. Cùm enim deſinant in infundibulum, per quod, de omnium voluntate, vacuantur Cerebri excrementa aquea & pituitoſa: cui non oboriatur veriſimilis hic metus, fore, vt cum excrementis vacuentur ſpiritus? Sed hac de re poſteà.

Qui præter hos duos ventriculos oſtenduntur vulgò alij duo, *Tertius & Quartus*, meræ ſunt deluſiones, vt *in Ep. dicta* idem oſtendit Varolius. Quos vltra hos omnes obtrudit nobis *Hippocampos* Arantius, *Obſ. Anat.*1. *& ſeq.* nihil aliud ſunt, quàm partes duorum priùs dictorum, neglectæ à
C noſtris, cùm veteribus eſſent notiſſimæ. Ita enim ſcribit Gal.7.*Sent.Hipp.*4.*C.* Quod (foramen) in ſuperiori origine latet, ex anteriorum ventriculorum obliqua converſione, omnibus ferè ignotum eſt. Nam cùm vterque ipſorum inferiorem partem habeat, vbi naſi meatuum radix eſt &c. paulatim in anguſtum contracti, inſtar cornu, non ad amuſſim directi, ſed ſenſim retorti, deſinunt. Ex loco hoc corrigo alterum *de Anat.nerv.*2 vbi pro κῶνυ lego κέρατος. Idem volunt αἱ ἀποφύσεις εἰς τὰ πλάγιά τε καὶ κάτω φερόμεναι, *proceſſus obliquè deorſum lati,* 8.*Vſ.p.*11. *extr.*

CAPVT CCII.

De Cerebelli ventriculo.

A CONdoleo Naturæ omniparenti, quæ in opificio cerebelli tam ſupinos habet interpretes! Ex ſuperioribus nihil repeto: loquar autém de ventriculo ipſius tantùm. Notum fuiſſe Eraſiſtrato, apertum fit ex eodem 7.*Sent.Hipp.*3.*D.* Sunt enim hæc ipſius verba, à Gal. recitata, ἐν τῇ ἐπεγκρανίδι ἑτέρα τις μικρὰ κοιλία, *In Cerebello alius quis, & ille quidem exiguus eſt ventriculus.* Notum fuiſſe Herophilo, certum eſt ex eodem 8.*Vſ.p.C.*Diſtinguens enim à quarto vulgò dicto ventriculo ait, Herophilum τὴν ἐν παρεγκεφαλίδι κοιλίαν, *Cerebelli ventriculum* exiſtimâſſe præſtare reliquos omnes. Et *c.ſeq.* eſt κοιλία τῆς παρεγκεφαλίδος, quæ à quarto noſtro diverſa eſt.
B Idem dico de vltimis verbis *c.*10. Quid Galenus? Omnibus his locis confundit cum quarto vulgò dicto. Eidem culpæ affinis eſt Veſal.7.*Magn.Op.*6. & alij, quos numerare nihil ſit neceſſe.

Hunc errorem cùm detexiſſem *Com. in de Vſ.p.* nihil illa moratus Ill. Riolanus pertendit, non differre à quarto ventriculo. Atqui, ô præſtantiſſime, Arantius *Obſ. Anat.*6. *& ſeq.* longè aliud te docuerat. Interim, cùm ſibi tranſſcribit inventum Arantius, & *Ciſternam* nominat, errat ipſe quoque. Nôrant enim, veluti vidimus, antiquiſſimi quique. Quid reliqui Anatomici

tomici post Arantium? Partim negant expressè: partim, quod paulò deterius est, silentio prætereunt. Hei mihi, quò non penetrat se Invidia! At vos, ô tales, DEO tribueretis hanc laudem potiùs, quàm malitiosè premeretis opus ipsius tam superbum! De me si dicendum est, testor meâ fide, & sciunt discipuli mei, in præexercitationibus meis sæpe me ostendisse in cerebris vitulinis non planè flaccidis.

CAPVT CCIII.

An ventriculi interiùs tegantur piâ matre?

EX vniversali Naturæ consilio, quod Gal. sæpe prædicat (Illam nihil relinquere sine munimento) arguo, ne heic quidem immemorem fuisse sapientiæ suæ. Sed & Arist. dudum id docuit 1. *Hist.* 16. & sensus ipse convincit nos, In anterioribus dictis ventriculis repere vasa sub membranula tenuissima, quam in acie cultri sæpe exhibui spectatoribus meis. Hoc ipsum Gal. ait 8. *Vs. p.* 8. *A.* Piam matrem descendere μέχρι τοῦ κοιλιῶν εὐρύτητος, *eousque vbi ventriculi sunt ampliss.* Huc se referens *c.* 12. *seq.* inquit, Eandem διαζωννύειν τὰς ἔνδοθεν κοιλίας, *subcingere interiores ventriculos.* A

Et hactenus ille bene: at cùm in vestigio ait, quartum ventriculum, & contenta ibi corpora non indiguisse διαζώσματος, *succinctu, velamento,* malè. Quò magis miror magnum Vesal. *l.* 7. *c.* 3. negare omnibus ventriculis hoc munimenti! Hunc in ordinem redigit Columbus *l.* 8. *c.* 1. ostenso in anterioribus iam dictis ventriculis Infundibulo, cum quo continuatur ventriculorum ipsorum membrana. Cæterùm, nec Puteus *Apol. l.* 7. *f.* 181. *b.* satis cautus est in accusando Vesalio: nec Cuneus *f.* 121. in excusando. B

Consentit Spig. noster 10. *Anat.* 4.

CAPVT CCIV.

Quis sit vsus ventriculorum?

OMnibus credo seculis disputatum fuit, Quâ cerebri parte, In corporéne, an ventriculis? fiant spiritus, instrumenta sensuum tam exteriorum, quàm interiorum? Apud me res certa est, fieri quod Gal. scribit 8. *Vs. p.* 13. *A.* 7. *Sent. Hipp.* 3. *G.* 3. *Loc. aff.* 7. *G.* vno verbo, *In corpore.* Hæc Gal. sententia quia cum re adæquata est, æquum est amplectamur illam, relictis περιττώμασι, quæ alibi de ventriculis aspergit. Sed enim quia Gal. contemni non vult, protrahere oportet in mediam lucem, communem illam sententiam, & patefacere futilitatem ipsius. A

Consentit Platerus *in quæst. posth. num.* 46.

I. Ibi spiritus elaborantur, vbi actio est, Atqui actio debetur corpori cerebri. Nimirùm, si animæ substantia, quæcunque illa sit (sic aliquoties lo- B

quitur

quitur Gal.)in ipſo cerebri corpore habitat: cur primum animæ inſtrumentum (ſic iterum ille ſpiritus vocat) non ſit etiam in ipſo corpore? De adoleſcente Smyrnæo, cuius mentio 8.*Vſ.p.*10.*B.* 6.*Aph.*18.*C.* non dicam. Novimus heic adoleſcentem Noricum, qui globo bombardario ſupra aurem dextram à poſterioribus ad anteriora tactus, vulnus habebat adeò magnum, vt non tantùm partes extimæ, cutis, cranium cum vtraque meninge abruptæ eſſent: ſed & cerebri portio tanta, vt dexter ventriculus pateret tanto foramine, quantus eſt dimidius Thalerus nobis dictus. Hic tamen læſionem nullam habuit, vel in ſenſu, motúque, vel in facultatibus principibus, & vixit ad diem decimum-ſeptimum vſque. Vnde ita infero. Si actiones cerebri fiunt
C in ventriculis, quei potuit hic durare tamdiu? &, quod rei caput eſt, cur non ſubitò convulſio ſupervenit, aut paralyſis, ſiquidem nervi cum ventriculis continui ſunt?

II. Spiritus ſi ſub imperio animæ eſſe debent, oportet maneant in vaſis. Atqui ſi in ventriculos incidunt, non ſunt ampliùs ſub imperio illius. Hoc declaro. Quemadmodum ſanguis tamdiu ſanguis eſt, quamdiu in vaſis eſt, quibus vbi exciderit, grumeſcit: ita ſpiritus diſperit, quamprimùm vaſis egreſſus fuerit.

III. Sed ſit metus hic inanis. Obducuntur ventriculi interiùs piâ matre, vt conſtat, non tantùm ex duobus *de Vſ. part.* locis pronuper citatis, ſed & ex 9.*Ex. Anat.*5.*A.* Hæc cùm ſatis denſa ſit, non permittit ſpiritibus exitum. Quin ſi finem ſpectes, non erit is alius, quàm prohibere effluvium hoc.

D IV. Sed effluant. Cùm de natura ſpirituum ſit diffundere ſe, ſiquidem ſemel anguſtiis vaſorum ſe liberârunt, quis, aut quid cogit illos denuò redire in carcerem illum? & quidem arctè clauſum à pia matre?

V. Sed fiat hoc quoque. Cùm, vt ſuprà dictum eſt, ſuperiores dicti ventriculi deſinant in palatum, & quidem foraminibus tam patulis, quàm ſunt in oſſe ethmoide, vt credit Gal. 9.*Vſ.p.*1.*D. Et ibid.*3.*A.C.*11.*Vſ.p.*11. 1.*Fac. nat.*15.*B.* quis ſpondebit pro illis, ne hàc exeant?

VI. Sed faciant ſaltum. Vbi in quartum dictum ventriculum pervenerunt, & in ſpinalem medullam immergere ſe debent: quis non metuat regreſſuros potiùs per meatum illum obliquum, cuius mentio 9.*Vſ. part.*3.*A?*

E VII. Aboleantur verò iſta omnia. Nihil ex ventriculis in nervos pervenire poteſt, niſi nervi fiant ex ventriculis. Scribit id quidem Gal. locis *infrà* citandis de Opticis peculiariter: ſed præter ſenſuum fidem. At de reliquis tam non audet idem, vt ex ſubſtantia ipſa in ſe coacta fieri planè putet. Subſtantia verò illa cùm poſtulet etiam duram matrem: quis ad ventriculos vſque rapiat illam?

Et quid muginor? Cùm Natura hac ipsâ ventriculorum conſtructione (quâ, inquam, in infundibulum deſinunt omnes, cui ſubſtrata eſt glandula pituitaria, &c.) quaſi digito oſtendat, quid velit; imò, cùm quotidiè, præ-

cipuè

cipuè in frigidioribus, videamus, adeóque praxis in morbis capitis iubeat, non minùs per palatum, quàm per nares vacuare pituitam: quid heic opus F est cum Iureperitis Terentianis ampliori deliberatione? Sed non vocetur hoc in considerationem. Estne verisimile cum corpore illo lucido, & tantùm non æthereo stabulari istas sordes? Heic aliquis τῶν σκαιῶν: Sed hoc novum non est, quin à Gal. sæpe doctum, ventriculos esse receptacula propriorum cerebri excrementorum. Ita est: & hic ipse est vsus ventriculorum, quem Adrastéa à Gal. expressit.

8. Vs.p.6 O. 9. eiusdem 3. A 9. Ex. Anat. 4. Instrum. odor. 6. D. 3. in l. de Alim. 1. N.

Hui, inquit alius, tam admirandam structuram fuisse institutam propter opus tam vile? Vile, inquam ego, quod, autore Gal. *9. Vs.p.1. A.* est ἐν τοῖς μάλιστα διεσπουδασμένων, *in censu eorum operum, quæ Natura maximè accurat, sive, de quibus valde solicita est!* Qua de re si dubitas, vide sodes, partes G imi ventris, & cogita, plures esse dicatas excrementis colligendis, retinendis, egerendis, quàm sanguificationi ipsi! Vide medij ventris, & considera, quâ solertiâ sit vsa Natura in ablegandis iis ad imum ventrem! Hanc duplicem sapientiam si compones cum hac, quam adhibuit in summo ventre, fatebere maiorem esse illis duabus Ibi enim spacium erat collocandis seorsim partibus purgantibus excrementa: heic non erat. Erat verò eius rei tantò maior necessitas, quò maior copia excrementorum, tam propriorum, quàm alienorum (puta ex inferioribus ascendentium) heic est.

Necessitatẽ huius structuræ ostẽdit Varolius *in Ep. priore ad Mercurial. f. 138.*

Quid igitur miri, si in ipso meditullio celsæ huius arcis cavitatem fecit insignem, in quam confluant sordes à dextris & sinistris, à superioribus & inferioribus, ab anterioribus & posterioribus! Ita, qui vrbem condit, aut H conditam vult splendidiorem facere, vel maximè solicitus est de exportandis sordibus, vt aër sit quàm purissimus. Qui domum struit, vel inprimis deliberat de statuenda cloaca quàm commodissimè, ne fœtidi odores obturbent. Qua fronte igitur tu vile vocas, quod superat omne ingenium?

9. Vs.p.1. C.D.

Hoc ampliùs mirabere, si sternutationem cogitabis, quâ mediante purgatur cerebrum. Equidem non dubito, cieri illam stimulatis meningibus: sed hoc apud me superat omnem admirationem, quòd non tantùm sensilis fiat motus ille, sed & tam validus, vt non tantùm validissimè cerebrum concutiat, sed & ad thoracem delatus ita vibret illum, vt desinat in motum convulsorio non dissimilem, & quidem cum strepitu manifesto!

Hinc adeò circumspectiores Anatomici, Varolius 1. *Anat.* 3. Bauhinus 3. I *Theat.* 28. Spigelius 10. *Anat.* 8. statuunt, In toto quidem corpore Cerebri & Cerebelli gigni spiritus animales: ventriculos autem colligendæ & exportandæ pituitæ factos esse. Sed cur in ventriculis sunt plexus chorioideis? Non sunt, vt dixi, sola vasa implexa: sed sunt, vt pariter dixi, vasa cum glandulis. Et glandulæ quidem imbibunt pituitam: vasa autem recalefaciunt locum ab excremento hoc frigido aliàs valde refrigerandum.

Tu, quisquis es, disce hinc spernere buccinatores nostros, qui ex 7. *Sent. Hipp.* 3. *F.* 3. *Loc. aff.* 7. *C.* βαυκαλισμοὺς suos de ventriculorum inter se præstantiâ tibi occentant! Gal. enim refert tanquam communem, & ab Herophilo

K profectam sententiam. Eiusdem valoris sunt, quæ ex Thoma, *Scoto*, aliis Practici recentiores inædificant ventriculis, Facultates principes differre locis, ideóque provt afficitur facultatum hæc, vel illa, imponenda esse topica vel syncipiti, vel occipiti, vel vertici. Rectè enim Massaria 1. *Pract. cap. de Melancholia* docet, Galenum imponere medicamenta syncipiti in omnibus istis malis, quà scilicet os tenuissimum est.

De Vesalio, propter vitilitigatores, hoc addere placet. Acceptat ille *6. quidem Magn. Op.*1 sententiam pervulgatam, quòd ventriculi sint spirituum officina: at *c.*7. fluctuat. Non acceptat: sed, vt alibi se explicat in genere, dicit, quod in promtu habebat, cùm melius non suppeteret. Et hunc dubitare alibi, quid admirandi? Idem eodem *c.*7. vt & *in Ep. ad Rolandum f.*180.
L Galeni illa *7. Sent.* non consentire ait cum iis, quæ *8. Vs. p.*11. *C.* Hoc Puteus exagitat *l.*7. *f.*180. affirmans, Galenum *in* 8. *Vs. p.* locutum esse ex Herophili sententia. Ego verò etiam *in de Sent.* cum illo loqui censeam. Cuneus *f.*120. concedit adversario, quod vult: sed emendat Vesalij scripturam, vt commodior sensus eveniat. Sed reverà non est tanti totum hoc litigium. Mendacium enim incurrit in se ipsum.

Dicis fortè, Quid de Cerebelli ventriculo? Colligit excrementa cerebelli, & in quartum creditum ventriculum deponit, è quo in tertium perveniunt per anum à Recentioribus dictum, & consequenter in χοάνην, *9. Vs. part.*3. *A.* Huc me comitantur gemini in palatum meatus, tam *l. c.* quàm *8. Vs. part.*6. *ext.*

CAPVT CCV.

De Glandula pineali, Natibus & Testibus.

A Κωνάριον (ita Græcis dicitur hæc glandula, à similitudine cum nuce pinea) claudere posse quartum ventriculum, nego cum Vesalio *7. Magn. Op.*8. Et quid opus est clausione, cùm patere debeat semper ventriculus ille? vt illi quidem iudicant. Esse stabilimentum eiusdem ventriculi, non intelligo. Et quo modo differt à clausione? Non esse partem cerebri, monstro simile est apud me. Cuius enim tandem pars est? Propterea non credam scriptum esse à Galeno, quod legitur *8. Vs. p.*14. *A.* Nates & Testes venustè comparat idem hoc ipso loco cum natibus & femoribus iunctis. Si enim inspicias, videbuntur tibi repræsentare aversas illas partes.

B Vsum quem habet Noster *ibid. H.* putabam me intelligere cùm Commentarium scriberem: nunc dubito. Sed neque capio, quæ alij ænigmata mihi proponunt. Quin iungo me cum Varolio *in Ep. ad Mercur.* Nihil esse aliud quàm portiones spinalis medullæ hoc loci initium capientis. Vt fortassis dici de illis possit, quod de quarto ventriculo dicit idem, Ex accidenti esse, non ex intentione Naturæ. Vide autem, quò non intrudat se pruritus

vitulantium

vitulantium ingeniorum! Cùm haberent ab Herophilo hæc nomina, ne quid desit nequitiarum, addidére Penem, Vulvam & Anum! Anus non est corpus, sed foramen illud obliquum, quod ex quarto ventriculo antrorsum tendere dixi ex *9.Vſ.p.3.* Quid sit id, quod non inconcinnè, imò verò pereleganter (ita loquitur perelegans Columbus) vulvam refert, nescire me fateor. Penis nihil aliud est, quàm Conarium.

CAPVT CCVI.

De Glandula pituitaria.

POnam hanc iuxta illam, ne contingat tibi, quod aliis. Commonefaciam autem duo. Primò, Vti dispiciant Anatomici nostri, habeátne αἰσθητὴν κοιλίαν, *cavitatem sensibilem*, quod Gal. ait *9.Vſ.p.3.A?* Secundò, Vti accurent iidem, An duæ potiùs sint, quàm vna, quod Riol. scribit 4. *Anthrop.2.*

CAPVT CCVII.

De processibus vermiformibus.

ECcur, dicat quis, non numerasti cum Natibus & Testibus, exemplo Gal. 8. *Vſ.p.vlt.* aliorúmque? Quia erravit Gal. σφάλμα μνημονευτικὸν, cùm Cerebro adscripsit, quod de sensu cæterorum Anatomicorum Cerebello debetur. Horum corporum quis sit vsus, non puto quemquam hominum scire. Non descendam cum Vesal. *(in Ep.ad Roland.f.181.)* eò, vt dicam Galenum fuisse ridiculum, cùm *l.c.* tribuit illis vsum, quem Conario dederat: sed dicam lusum esse Naturæ pulcritudinem affectantis, 11.*Vſ.p.13.*

CAPVT CCVIII.

De numero nervorum Cerebri.

CErebrum heic voco, quidquid calvariâ continetur. Ex hoc oriuntur septem coniugationes, vt Marinus olim numeravit, quem sequitur Gal. *de Anat. nerv. 2. vſque ad* 8. 8.*Vſ. p.6.* 9.*eiuſd.* 8.*vſque ad* 12. Hæc coniugationes, earúmque officia continentur hoc disticho. A

Optica prima: oculos movet altera: tertia gustat,
Quartaque: quinta audit: vaga sexta est: septima linguæ.

Hic numerus licèt accuratus non sit: sinimus tamen ita vel propter Marinum, vt Gal. loquitur *de Anat. nerv.6.* Non enim Galenus tantùm addit

Gg 2 nervos

nervos odoratorios, vt *infrà* videbimus: sed & Vesalius 4. *Magn.Op.6.&* 8. tertij & quinti paris duplicem radicem constituit, crassiorem alteram, graciliorem alteram.

B An tertij graciliorem novit Gal. *9.Vs. p.8. E?* Hoc valde contendit Sylvius *Cal.21.* De quinti graciliore molitur idem: sed non concedit illi Heneru*s in Apol.* Quidquid sit: Sapienter hac in parte agit Vesalius, accepto exemplo à Galeno. In artibus enim sæpe sufficit παχυλῶς egisse. Et hoc volo exaudire Puteum *Apol. l.4. initio.* Sed ambitiosè Columbus, qui *l.8. cap.3.* ex duabus his gracilibus radicibus fecit duo alia paria, quorum prius, quod tertio adiacet, efficiat octavum: posterius, quod quinto, nonum.

Huius noni inventionem cùm sibi tribuit idem, equidem quid dicam, non habeo. Multò minùs invenio, cùm video Eustach. *Ex. Oss. f.227.* sibi transscribere. Ambitiosior Fallop. 3. *Obs.17. &* 18. cùm ex tertio & quarto Gal. aut, si mavis, Marini, facit par tertium: ex graciliore tertij radice quar-

C tum. Eiusdem criminis reus est idem Fall. cùm ex graciliore quinti facit octavum.

Ambitiosior (dicendum enim est, quod res est) Bauh. cùm 3. *Theat.19.& seq.* ex graciliore tertij facit tertium: ex tertio & quarto Gal. quartum: denique ex graciliore quinti octavum. Quorsum enim temerariæ illæ limitum artis loco-motiones? His omnibus superaddendi sunt nervi olfactorij, sive anteponas, sive postponas.

CAPVT CCIX.

Cur ex capite potiùs, quàm viciná spiná eant nervi in viscera omnia inferiorum duorum ventrium?

GAl. *9.Vs. part.11. B.* misero suo effugio vsus, Viscera (ait) opus habuisse nervis mollibus, quales ex spina oriri non poterant. Quasi verò non ex cerebro etiam oriantur nervi duri, qui motui famulantur! Quasi non etiam ex spina molles, qui sensui! Tantò verò miserius est heic effugium, quò certius est, illum 16. *Vs. part. 4. B.* propter vocem, & præcipuè propter *Recurrentes* dictos, id factum esse scribere! Hi enim musculis inseruntur, adeóque ex hypothesi Gal. duri sunt. Tu quidem, dicat aliquis, hæc impugnas, sed meliora non affers? Malo nihil afferre, quàm falsa. Interim hoc afferam ex 15. *Vs. part.1. extr.* SIC VOLVIT OPIFEX NOSTER.

CAPVT CCX.

De CAPITIS partibus Continentibus, & primùm de OSSIVM numero.

COnstans est alioqui doctrina Galeni, quam profitentur etiam Anatomici penè omnes, octo in vniversum esse, quorum sex sint propria, duo communia: at *l. de Oss. 1. E.* enumeratis sex propriis subiicit communium alterum tantùm, τὸ σφηνοειδὲς, *Cunei-forme* dictum, relicto τῷ ἠθμοειδεῖ, *Cribriformi*. Ego quidem in edito iam libello hoc Græco-Latino à VVechelianis Francof. ad Mœnum 1630. sivi ita: posteà autem veni in has cogitationes, quas etiamnum foveo, actuarij incuriâ id factum esse, legendúmque, χωρὶς τοῦ σφηνοειδοῦς καὶ ἠθμοειδοῦς. Quid enim facilius? A

Hoc errore semel admisso, mansit ita vsque ad nostra tempora. Scio, quid pro ingenuitate loci afferat doctiss. Riolanus *Com. in h. l.* & iterum *cap. 32.* B
Verùm id tanti non est. Increpo enim cum Ingrassia *Com. in h. l. t. 6.* Facit ad constitutionem cranij. Neque me movet, quod idem Ingrass. tacitè obiicit, Non fieri *text. præced.* mentionem suturæ, quæ illam includit. Non enim hoc solùm, sed alia multa desiderant in suturis ibi recensitis ij, qui ἀκρίβειαν in hoc libello quærunt. Cæterùm, quæ contra numerum octonarium dici possunt ex Fall. 1. *Obs. 4. & 5.* item Vesal. *in Ex. f. 18.* de duplicitate ossis frontis, de multiplicitate item ossis occipitis, legi possunt apud ipsos.

CAPVT CCXI.

De eorundem suturis.

COnstans pariter est Gal. doctrina, eiusdem *l. de Oss. 1. A. 9. V s. p. 17. B.* ex Hipp. *l. de Vuln. cap.* Suturarum alias esse veras, eásque numero tres; alias spurias, λεπιδοειδεῖς, *squamosas, seu squamiformes* appellatas, numero duas: quarum hæ quidem perpetuæ sint in omni capitis figura; illæ autem varient, tam numero, quàm situ. In naturali enim figura quæ sphæram refert vtrinque leviter compressam ita, vt & anteriùs & posteriùs sit προβολή, *eminentia* quædam, suturas ipsas simul iunctas repræsentare literam H. At in præternaturali, cùm vel anterior deest eminentia, vel posterior, vel vtraque: mutari simul suturas, & numerum minui. (Et hi omnes dicuntur Græcis φοξοί.) Siquidem, si absit anterior προβολή, abesse simul suturam coronalem, reliquas habere figuram literæ T, sed cubantis ⊢. Si posterior, exsistere hanc contrariam figuram, ⊣. Tandem, si vtraque, fieri χιασμόν, X. A B

Hanc triplicem varietatem Anatomicorum diligentiſſimi, Falloppius, Columbus, Euſtachius, Ingraſſias, alij animadverterunt fictitiam planè eſſe. Tu verò, ne decipiare, intellige, A Natura quidem nunquam eſſe, vt, pereunte hac vel illâ προσβολῇ, pereat ſimul ſutura: aliquãdo autem (in ſenibus præcipuè) perire vel hanc vel illam, qualis-qualis etiam ſit figura capitis. Quæ de quarta præternaturali figura iactantur, legas licet apud Veſal. 1. *Magn. Op.* 5. *Fall.* 1. *Obſ.* 3. *&* 4. Veſal. iterum in *Ex. f.* 18. Puteum, *l.* 1. *Apol. f.* 18. Cuneum, *f.* 14. De noſtro negotio peculiare lemma habet Ill. Riol. *Com. in l. de Oſſ. f.* 780. De ſuturis communibus, quas vocant, nihil ego heic, quòd ferè eadem ſit illarum ratio, quæ oſſium maxillæ ſuperioris, de quibus *cap.* 255.

CAPVT CCXII.

De Oſſe ethmoide & ſphenoide.

A SEmper licere philoſophari, ſed non ſemper ſine errore, Fall. ait in *Obſ.* Signarus interim de ſe quoque dici poſſe. Vt enim oſtendit Veſal. *Ex. f.* 32. graviſſimus error ipſius eſt, quòd *l.* 1. *c.* 9. *&* 10. *Vomerem* dictum tribuit, modò ethmoidei, modò ſphenoidei: quin inter maxillæ ſuperioris oſſa etiam habet. Eſt pars ſolius ſpongioſi, quod ipſum appendix eſt (ſi modò admittis hanc diſtinctionem, propoſitam *Com. in* 8. *Vſ. p.* 7.) Cribriformis.

Non error, ſed præcipitantia eſt, quòd inſtabilia illa, vt Veſal. appellat, quæ in pueris anniculis occurrunt in oſſe ſphenoide, adſtringere vult certis numeris. Ita enim mihi perſuadeo, πολύμορφον dictum fuiſſe à priſcis hoc os, non à varietate ipſius in adultis, ſed in pueris, in quibus id indicâſſe ſufficiat.

B Περιεργία eſt, quòd vſum ſinuum geminorum in eodem ſphenoide tam ſolicitè inquirit. Vno verbo, ſunt levitatis causâ tantùm, vt Veſalius docuit. Interim hoc verè docet Fall. Sinus hos neutiquam eſſe continuos cum ſinibus pariter geminis oſſis frontis. De quibus ipſis quia Veſal. etiam loquitur, aſpergam ego quoque pauca. Inveniri in illis ſinibus veluti mollem medullam, quam ego pituitam nominare malim: aliquando membranas molles, & quidem in media cavitate, non autem lateribus adhærentes: aliquando vermes craſſos & ſulcatos.

Et hæc omnia contingere videntur pro maiori aut minori aſſatione. Quò
C fit, vt putem Veſalium fruſtra reſtitiſſe venatoribus, qui in cervorum capitibus vermes ſe reperiſſe affirmârant. Non enim credo de Cerebro id dixerant, ſed de ſinibus, de quibus ago. Si enim in ovibus, in quibus vidi non ſemel, vt ſcribo *Com. in.* 7. *Vſ. p. n.* 446. gigni poſſunt: in cervis quis ſe opponat? Sed hæc quidem levidenſia ſunt: graviſſimum eſt, & in praxi apprimè neceſſarium,

CAPVT CCXIII.

An & quomodo per hæc ossa vacuentur cerebri excrementa quædam?

ITa loquor. Duplicia enim cùm sint, fuliginosa quidem, & in rei veritate crassa (quippe calori nostro invicta) sursum educit, partim per suturas, partim per ossa cranij rara & cavernosa, vti Gal. docet *9.V.s.p.1. & 2.* aquea autem, & iterum in rei veritate tenuia, deorsum per palatum & nares, vt est intelligere ex *8.V.s.p.6.extr.* Hæc res vt planior fiat, ita est habendum ex recentiori distinctione. A

Tam Cerebrum, quàm Cerebellum dividitur in Corticem & Medullam. Corticem constituit pars extima cinerea, quæ circumvolutiones & gyros habet, qui gyri tam altè descendunt, quàm alta est divisura cerebri in dextrum & sinistrum, ad corpus, inquam, callosum vsque. In his gyris nata excrementa truduntur in divisuram iam dictam, vbi corpori calloso insculptus est canalis quidam naturalis, *9.Ex.Anat.2.B.D.* per quem deorsum declivi semità ad os ethmoides labuntur. B

Medullam facit substantia alba interior, quæ à corpore calloso incipiens dilatatur per vniversum illud æquor, vt sic loquar, cui ventriculi sunt insculpti, per quod etiam sparsa sunt stigmata, seu vt Eustachius vocat, stillæ sanguineæ. In hoc corpore orta excrementa sunt illa, propter quæ vetriculos esse factos assero, & quæ in iis collecta descendunt in χώανω toties iam dictam. Prior via ad nares apud Gal. expedita est, cùm os ethmoides ad sensum sit foraminulentum: posterior per sphenoides tam impedita, vt Theseo sit opus. Si enim os hoc densum & durum est, quod scribit Gal. *11.V.s.p.19.D.* quomodo iter præbere potest excrementis? Rursùs, si ossi cribriformi simile est, *eod.11. c.11.B.9. eiusd.3.A.& C.1.Fac.nat.15.* quin si orificia eius conspicua & magna sunt, *9.V.s.p.1.D.* quis non contrarium dicat? C

Heic si in gratiam Gal. aliquid dicere voles, Bauh. id tibi suppeditabit, *3. Theat.7.in marg.* sed frigidiusculum. Mihi incumbit hoc negotij, vt per partes agam. Quæ per nares purgantur excrementa, dixi colligi in cortice cerebri. Heic intercedit Vesal. *l.7.c.11. Non fit per hanc partem vacuatio capitis, nisi præter naturam affecto homine, & cum gravibus symptomatis.* Quasi verò, inquam ego, excrementorum, vel per anum, vel per vesicam non sit naturalis, quia aliquando cum gravibus symptomatis fit, quæ ibi quidem lienteriam, diarrhœam, dysenteriam constituunt: heic autem dysuriam, stranguriam, ischuriam! Si dicam, Atqui videmus subinde aliquid vacuari hàc? *Vacuatur,* inquiet, *verumtamen non descendit per os ethmoides.* Per quam viam autem? *Pervenit primùm in infundibulum, deinde in glandulam pituitariam, è qua in nares defluit.* Si vrgeam, Quâ viâ illuc venit? *Beneficio tenuis membranæ,* D

branæ, dicet. Quod tu mihi *Beneficium? Viam* ego exſpectabam. *Ea eſt*, aiet, *per duos meatus, per quos è cerebri ventriculis, &c.* Obtundis! Vt enim iterum dicam, Viam volo mihi oſtendi, per quam è cortice cerebri pituita in ventriculos devenerit. *Devenit*, inquit, *ſive ab anteriori calloſi corporis ſede, ſive à poſteriori ad cerebri baſin, & hinc paulatim in infundibulum illabi poteſt.*

E Non exſpectabam ego hoc à tanto viro? Planè enim inimaginabilis eſt hæc via, nedum Natura vnquam tentaverit illam. Propterea cum Galeno oſtendo tibi, ô Veſali, vias ſatis patulas, per quas prono lapſu ad nares pervenit pituita. His neglectis ſi placet tibi obſcuras & abſurdas indagare, per me ingenioſo tibi eſſe licet. Concludens igitur dico, Vſum ethmoidis primarium quidem eſſe odorum receptionem: ſecundarium autem excrementorum dictorum purgationem. Nam quod de aëre ad ſpirituum generationem dicitur, tralatitium eſt. Et hæc quidem de priori via: poſteriorem Gal. ipſe difficilem facit, cùm tot cumulat miracula de duritie oſſis ſphenoidis. Reverà enim, exceptis proceſſibus aliformibus, totum eſt poroſum: interim cum ethmoide comparari vix poteſt.

F Quidquid ſit, Tota ventriculorum constructio, & præcipuè ſubiectum ipſis infundibulum cum ſubſtrata eidem glandula, oſtendunt manifeſtè, Pituitam purgari debere per ipſum os, non quidem magnis fruſtis, qualia ſæpe exſpuimus. ſed vi caloris extenuatam, vt alicubi Euſtachius loquitur, adeóque in vaporem ſolutam. Hinc, puto, veſtigiis Gal. inſiſtens Puteus *l.* 1. *Apol. f.* 24. oſtendit in craniis valde exſiccatis foramina in ipſa ſella ſphenoïdis. Quod quia inſtantiam habet, Ingraſſ. *Com. in l. de Oſſ.* 1. *t.* 8. *f.* 107. oſtendit infra ſellam circumcirca. Sylvius *Cal.* 2. etiam in ſella, cui teſtimonium præbet cranium meum, quo vtor in oſtenſionibus. Quò magis miror, Fuchſium (vt eſt apud Henerum in Apol.) voluiſſe caput nuper decollatum!

G Sed vt ad Sylvium redeam, habet ille præter ſenſum certa, meáque opinione infallibilia experimenta, quibus probat pituitæ per ſellam ſphenoidis tranſcolationem. Quæ quia *Com. in* 11. *Vſ. p.* exſcripſi, parco nunc operæ. Nec curo ſupercilium Riolani, *Specioſa eſſe, & ſolâ ratione fulta, quæ fallacia & inania demonſtret αὐτοψία.* Facilè enim perſuadeo mihi, nunquam illum in experientiam duxiſſe, aut certè non debito modo. Sed & ſublato hoc vſu, cui denique bono erit hoc os? corpus, inquam, ſine proceſſibus conſideratum?

Nam quæ Gal. dicit *in illo* 11. *Vſ. p.* iam à me *ibi* refutata ſunt. Et in vniverſum, quò digniora hæc ſunt prudentiæ Naturæ, puta, vt operoſæ
H machinæ pro colligendis excrementis reſpondeat operoſus apparatus excernendi: tantò indigniora ſunt, quæ Veſalius & complices comminiſcuntur. Quid enim? Vacuet Natura per foramina illa, per quæ aut ingrediuntur vaſa, aut egrediuntur? & poſſit illud ſine periculo functionum principum fieri? Neutrum in æternum credam. Loquor autem de ſtatu ſecundùm naturam. Cùm enim animal præter naturam habet, & hæc, & alia graviora fieri poſſunt

&

& solent. Tibi si placet immorari diutius, Ingrassiam adire poteris *Com. in de Oss. f.* 104. *& seq.* Puteum 7. *Apol. f.* 179. *b.* Cuneum *in Ant-apol. f.* 119.

CAPVT CCXIV.

De vsibus duorum processuum ossis temporum, Mammillaris, & Styliformis.

APud Gal. est *l. de Oss.* 6. *extr.* maxillæ inferioris processum alterum & minorem infigi ossi temporum, quà processus mammillaris est. Et 11. *Vs. p.* 20. *B.* distinctiùs, processum mammillarem esse tutum præsidium articulationis huius maxillæ cum osse temporum. At verò cùm inter articulationem & processum dictum intersit meatus auditorius, inquit Ingrass. 1. *de Oss. t.* 7. quo modo id admitti potest? Vesalius 1. *Magn. Op.* 6. non meminit quidem huius vsûs: sed duos alios ei assignat, alterum, vt musculi capitis habeant tutiorem insertionem: alterum, vt cavitatibus suis serviat auditui. Huic in vtroque consentit Columbus *l.* 1. *c.* 5. Fall. 1. *Obs.* 6. admittit quidem priorem: refutat autem posteriorem hoc argumento, Ossicula, inquit, statim sunt perfecta, non maiora in puero recens nato, & sene decrepito: at processus in puero planè nullus est, licèt auditus eorum sit integerrimus, vt Vesal. subsumit *Ex. f.* 27. Idem Vesal. tam doctè defendit vsum suum, vt ratio ambigendi apud me nulla sit. Quò magis miror Nostros, qui diligentiâ superare volunt alios, huius rei ne meminisse quidem! A B

Ego confirmo hunc vsum hac meâ observatione. In canibus, vulpibus, felibus, leporibus & sciuris processus hic non est spongiosus, sed cavus totus, solidissimúsque instar ossis petrosi, cui adhæret. Certum autem est animalia hæc omnia acutissimi esse auditûs. Et heic quidem subsisto, non autem cum Ingrassia dirimo in quatuor vsus. C Styloides processus (ita loquor cum veteribus & Vesalio, licèt non ignorem, quòd Fall. 1. *Obs.* 7. appendicem faciat, & eò concedat Ingrassias *l. c.*) duos quoque vsus habet. Alter, & principalis, vt os hyoides ab omnibus dictum illi affirmetur, idque ob motum linguæ stabiliorem, tam in loquendo, quàm in masticando. Hinc dolor in ea parte cùm contentiùs loquimur, ridemus, &c. Alter, & minùs principalis, vt musculi quidam habeant inde ortum suum.

CAPVT CCXV.

De MOTV capitis super spinam.

A REm hodiéque obscurissimam ne veteribus quidem satis claram fuisse, hinc incipiam ostendere. Cùm Gal.12.*Vs.p.6.B.* dixisset, Capitis motus obliquos fieri super secunda spinæ vertebra, & consequenter rectos super prima, probaturum se rationibus non verisimilibus, sed scientificis, & propemodum Mathematicis; arcuisset etiam à lectione libri sui eos omnes, qui in Analyticis versati non sunt: quid facit? Exspectes enim sine dubio magnum aliquid: quin dicas cum Flacco,

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Ex conformatione processuum vtriusque vertebræ *initio cap.7.* deducit, Primam quidem servire motui recto: secundam autem obliquo. Eiusdem verba sunt *de Oss.8.A.* Cùm capitis motus sit duplex, alter quidem, cùm vel

B annuimus, vel abnuimus, qui rectus est puta; alter autem, dum ad latus circumagimus, qui obliquus est: Illum processus secundæ vertebræ, πτερυγοειδὴς dictus, potissimùm præstat; hunc vertebra prima, quà capitis processus κορώνας dictos excipit. Quid his clarius dici poterat? quid constantius? Rectus motus fit super secunda vertebra: obliquus super prima. Tamen 4.*Ex.Anat.8.A.B.* res invertitur, tribuitúrque rectus motus primæ vertebræ: obliquus secundæ.

Hunc locum posteriorem cùm Vesalius 1.*Magn.Op.15.* vt & *in Ep. ad Roland.f.150.* sine vlla in Gal. iniuriosa vocula exponendum sibi duxisset: cur, ô Sylvi, *Cal.4.* Calumniatoris nomen meretur? Idem de Eustachio *l. de*

C *Mot.cap.* dico, qui Conviciatorem appellat. Et Sylvius quidem meâ opinione parum præstitit, quod vel ex solido Heneri responso intelligas: Eustachius autem ex arena funem nexuit. Re enim verâ, non solùm animus à cogitatione huius motûs resilit: sed & aures à commemoratione eius abhorrent. Fortassis idem videbatur Ingrassiæ, qui loco iam dicto præter morem acerbè agit.

(Sequitur illum Columbus *l.1. cap.15.* In grass. *Com. in l. de Oss 7.t.2.*)

Et quâ fronte, ô Eustachi, tuam quidem sententiam Galenicam esse dicis: Vesalij autem Galeno indignam, quæ tamen Galeni non minùs est, quàm tua? Cæterùm, Vesalius quidem videtur mihi cum iis esse velle, qui nihil quidem in alterutra priorum duorum locorum lectione mutant: censent autem Galenum aliter institutum aliter sentire cœpisse. Idem vult Costæus *Notis marg. in locum de Ex.Anat.* Idem iudicat Riolanus *in Schol.Anat. an-*

D *ni 1608.f.124.* vbi non tantùm dexterrimè explicat priorem sententiam: sed & διαῤῥήδην dicit, se probare posteriorem.

Quid igitur causæ dicemus esse, cur 5.*Anthrop.f.566.* scribat, Capur super secundam vertebram moveri tam rectis, quàm obliquis motibus? Maximè, quia

(Vide hunc etiã *Com. in l. de Oss. lemmate, De motu cap.*)

quia ait, hanc esse Vesalij & aliorum sententiam, eámque verissimam? Quin Celsi quoque *l.8. c.1.* opinationem coincidere cum illa ait. Ac ne quis putet, me Vesalij sensum non rectè percepisse, audiat Eustachium hostem *lib.cit.f.235.* Eâ igitur (priore) spretâ, inquit, suam sententiam (quæ est posterior) proponit, super primam vertebram flecti caput & reflecti, super secunda converti, & in vtrumque latus solius colli beneficio moveri. Fortassis cupias scire, quid fervidissimus Galeni patronus, Puteus? NIHIL. Quamobrem iure etiam Cuneus tacet. Putem igitur locum *in de Exerc.* corrigendum esse ex reliquis duobus.

CAPVT CCXVI.

De musculis capitis.

DE his, quátenus Galeni interest, videri potest Fallop. 2. *Obs.13.* & Vesal. *in Ex. f.59.*

CAPVT CCXVII.

DE SPINA, ibique contenta MEDVLLA-SPINALI.

QVia Medulla-spinalis dicta pullulat à Cerebro tanquam à radice, 1. *in 6.Epid.3. C.* imò quia est veluti alterum Cerebrum, 12.*Vs. p.11.D.* & *ibid.15. C.* fortassis totum hoc dici possit alterum Caput? Verùm, quia nominibus ditescere parum est, maneamus intra limites positos, & totum quidem hoc *Spinam* vocemus, ab acuto fortè vertebrarum ipsius processu: contentum autem *Medullam-spinalem.* Hinc resultabunt πορίσματα quædam. A

I. Esto, Quátenus sit, vel *alterum Caput,* vel *alterum Cerebrum?* Non quòd ad præstantiam capitis accedat, quátenus ibi domicilium est facultatum principum: sed quòd afferat tam partibus vtriusque ventris inferioris Continentibus, quàm Artubus sensum tactûs, vnà cum subsequente motu.

II. Quátenus Medulla hæc sit germen Cerebri? Gal. quidem 8.*Vs.p.10. extr.* deductam vult ex solo Cerebello. At verò sensus ocularis cogit nos fateri exsistere ex Cerebro & Cerebello simul, quátenus vtrumque præbet geminam propaginem, quibus quatuor coalescentibus, & quidem in ipsa etiamnum calvaria, fit corpus vnum, quod per postica in Spinam elapsum constituit Medullam dictam. B

III. Pulsum habere, non minùs quàm Cerebrum & Cerebellum. Ita enim censeo, quamvis nemódum, quod sciam, scripserit, Cerebellum etiam pulsare: quia Ductus ex Sinibus habet non minùs quàm Cerebrum. Ij verò

sunt, vt scitur, non ex venis tantùm, sed ex arteriis etiam. Hæc ratio sit ὁρμητήριον quibusdam μεγαλαύχοις, iis, inquam, qui crepant frequentes suas
C Anatomias, vti observent hunc motum. De Medulla nostra primus id scripsit Piccollominus, 5.*Præl.Anat.*5. necessariâ ductus ratione, *Quia est eiusdem naturæ cum cerebro.* Hanc necessitatem eludere volens doctiss. Riolanus 5.*Anthrop.*49. aliter format argumentum, *Quia est pars Cerebri.* Atqui Piccoll. nihil de parte dixerat: sed vrserat substantiæ identitatem. Hæc verò consistit, non tam in corporis similitudine, quòd ad mollitiem & albedinem, quàm in communicatis vasis, præcipuè arteriis. Quare iam non valet fuga Riolani, Non est *ἀπόφυσις, processus, seu pars* cerebri: sed *ἐπίφυσις, appendix.* Tam non est ἐπίφυσις, vt sit prorsus continuum quid cum medulla cerebri, præcipuè ratione vasorum. Atque hinc est medullæ huius distin-
D ctio præceptoris Bauh. 3.*Theat.*17. in globosam & oblongatam. Vide Spigel. 10.*Anat.*6. *&* 7. Sed motus non est sensui obvius? Non refert. Omnes arteriæ per vniversum corpus pulsant: nos tamen non nisi superficiarias assequimur.

IV. Ventriculum habet, aut si hoc incommodiùs dictum est, cava est, & sensibiliter quidem vsque ad lumbos: posteà duplex, vt lingua. Hoc, post Piccoll. & Platerum, ostendit idem Bauh. *l.c.* duobus argumentis. Primò, Leviter cocta dextrè potest dividi in duas partes. Secundò, Huius divisionis ratione paralysis fit, modò dextri lateris, modò sinistri. Sed cui bono est hæc cavitas? Vt animal sit bifidum. Nam quò minùs de excrementis cogites, causa est, quia exitus heic nullus est. Sed & sanguis in cerebro tam accuratè est purgatus, (vt in homine secundùm naturam vivente) nulla supersint.

Iacch. *in* 9. *Rhasis c. de paralysi* invenire non potuit, ne in cocta quidem.

E V. Luculentissimè falluntur, qui eiusdem cum medulla ossium naturæ esse volunt. Ita loquor: quia certus sum, Aristotelem ab hoc errore immunem esse, licèt amicissimi ipsius hoc admittant. Inter hos Accorambonus est *Notis in* 2.*Part.* & Ill. Cremoninus *in Apol. de princip. part. dict.*68. Cur ita putem, causa est, Quia 2.*Part.*6. de generatione, temperamento, aliis medullæ ossium essentialibus locutus, contradistinguit medullam spinalem, ἥκιστα, inquit, ὁ ῥαχίτης τοιοῦτός ἐστι μυελὸς, *Minimè omnium talis est spinalis medulla, qualis ossium.* Sed cur? *Quia* (addit) *oportuit illam continuari cum cerebro* (hoc enim subaudiendum esse res iubet) *& transigere totam spinam,*
F *in vertebras divisam. At verò* (subinfert) *si pinguis & adiposa esset* (Quo modo medulla ossium est,) *Cerebro iungi, continuarique* (sic Cremon. loquitur *dict.seq.*) *non posset, friabilis quippe & humida.* Inquis. Contrarium dici videtur *cap.seq.* Videtur. Hoc enim video ego, comparari cerebrum, non cum medulla spinali, sed ossium. Referendo enim aliorum de cerebro sententiam, ait, *Videtur cerebrum quibusdam medulla esse, adeòque principium omnis medullæ, quòd contiguam habeat spinalem medullam. Sed non est ita. Cerebrum enim frigidiss. est omnium in corpore: at medulla* (ossium) *calida est. Hoc inde constat, quia medulla* (ossium) *pinguis est, & vnctuosa.* In hoc sensu quæ violentia

violentia est ? & vbi meminit ſpinalis medullæ calidæ ? Sed neque ſtringit ratio adverſariorum. Illi enim hoc ſibi ſumebant, & quidem argumentabantur à ſolo nomine. Interim ſequentia corrupta eſſe iudico, & ſic concipio. Ὁ ἐγκέφαλος δὲ ψυχρός. Διὸ καὶ συνεχὴς ὁ ῥαχίτης τῷ ἐγκεφάλῳ ἐστίν. G

Quæ iam ſequuntur, aliena ſunt ab hoc loco, & pertinent ad vſum cerebri, de quo vſu mox ratiocinabitur Philoſophus. Sed & inepta ſunt, ſi referas ad ea quæ *cap. antec.* dicta ſunt de continuatione duri & mollis. Verum quidem eſt, durum cum molli non cohæret: at quæ *ἰσότης, æqualitas* inde ſperari poteſt ? Calidum & frigidum poſſunt ſe invicem alterare, & ad æqualitatem quandam pervenire: durum & molle non poſſunt, niſi miſceantur, adeóque confundantur, quod heic fieri nullátenus poteſt.

Quamobrem ita pergo. *Ὅτι μὲν οὖν ὁ μυελὸς θερμός ἐστι, δῆλον ἐκ πολλῶν· ἡ δὲ τοῦ ἐγκεφάλου ψυχρότης φανερὰ μὲν κατὰ τὴν θίξιν.* Vt totius loci ſenſus hic fiat. H *Cerebrum autem eſt frigidum, quo fit, vt ſpinali medullæ* (frigidæ) *iungi poſſit. Et medulla quidem* (oſſium) *calida eſt, probaríque poteſt multis argumentis: ſed cerebrum eſt frigidum etiam tactûs iudicio.* Quaſi hoc vellet, Calidam eſſe medullam oſſium, probavi ego ex ſubſtantiæ proprietate, & poſſet probari ex aliis quoque, v. g. quòd facilè inflammetur, quòd calefaciat corpus, ſive in cibo ſumta, ſive exteriùs illita. At verò cerebrum eſſe frigidum etiam tactus iudicat.

CAPVT CCXVIII.

De numero NERVORVM hinc ortorum.

NE cui minùs circumſpecto vmbra fiat, monendum eſt, Aliud eſſe loqui de nervis, aliud de nervorum paribus. De nervis loquitur Gal. cùm 12. *Vſ. part.* 15. *C.* ait, In nervos octo & quinquaginta fuiſſe dividendam ſpinalem medullam. De iiſdem, cùm 7. *Sent. Hipp.* 8. *B.* numero eſſe ἑξήκοντα πε. Quibus ex verbis ſtatim repugnantia quædam elucet, quam conciliavi *Com. in Vſ. part.* hoc modo. Cùm minùs circumſpecti ſumus, imò cùm diſtinctè loqui nos nihil neceſſe eſt, vtimur ferè numeris iſtis æqualibus, per denarios aſcendendo, vt *in de Sent.* loquitur Gal. Hoc ſi pluribus demonſtratum voles, vide laborioſiſſimum Druſium *l.* 3. *Præterit. ſ.* 87. Et hæc quidem de nervis: de paribus cùm loquimur, vltra 30. non aſcendimus.

CAPVT CCXIX.

De Continentibus Medullam-ſpinalem, & primùm de VERTEBRARVM inter ſe articulatione.

A VEtuſtiſſimi Hipp. ſententia eſt 3. *Art.*34. γίγγλυμον eſſe. Agnoſcit hunc Gal. *procem. l. de Oſſ. F.* Opponit ſe Veſalius 1. *Magn. Op.* 4. & inquit, Neutiquam Galenus expendit, ſe hac ratione tribus oſſibus opus habere ad γίγγλυμον. Ohe verò, ô Veſali, Galenus certè expendit, vt tecum loquar! Propoſitis enim *l.c.* duobus τοῦ γιγγλύμου exemplis, vertebrarum inter ſe, & brachij cum cubito, hanc quidem fieri ait *duobus oſſibus mutuò ſe ingredientibus*: illam verò τοῦ μέσου σπονδύλου τὴν ἀντέμβασιν ἑκατέρῳ τῷ πέριξ ποιουμένου, *cùm media vertebra viciſſim ingreditur & ſuperiorem & inferiorem.* Quò magis miror diligentiſſ. Foëſium non agnoſcere pro vero ginglymo,
B quòd non fiat per duo oſſa! Sit ita, duplex ſtatuatur ginglymus, verus & ſpurius: quid obſtat, quò minùs recipiamus ſpurium, quandoquidem Galenus recepit? Interim idem Foëſius concedit eſſe diarthroſin. Contra quam dearticulationem dico, Vtvt admitti poteſt ſpinæ motus manifeſtus, ſiquidem vel totam moveri dicamus, vel maximam eius partem: ita motus obſcurus planè eſt, cùm ſingularum vertebrarum motum animadvertimus.

Et hoc debeo Ingraſſiæ *Com.in d.l.t.*12. Vbi moneo, cùm ambigit vir honeſtiſſ. quò referat, ad ἐνάρθρωσιν? ad ἀρθρωδίαν? ad γίγγλυμον? apertè oſtendit ſe à Galeno deſciſcere ad Veſalium. Tribuit enim τῇ συναρθρώσει, quod ille τῇ διαρθρώσει. Sed parùm hoc ſit: iam video induſtrioſiſſ. quoque Rio-
C lanum, *Com.de Oſſ. c.*13. acceptare duplicem γίγγλυμον, ſimplicem & compoſitum, quorum hic in vertebris ſit. Cui ego, Si hæc eſt ſententia Gal. de hoc negotio, quei dicere poteſt, ipſo te Riol. animadverſore, 12.*Vſ.part.*16. *ext.* Vertebras anteriori quidem parte iungi per ἁρμονίαν, quæ ad συνάρθρωσιν pertinet: poſteriori autem per ἐνάρθρωσιν, quæ ad διάρθρωσιν?

Nec iraſcatur heic aliquis mihi. Nam διηρθρῶσθαι expreſsè ait, & quidem ἄρθροις οὐ μικροῖς, *articulis non exiguis.* Qui articuli quid aliud eſſe poſſint, quàm cùm caput magnum ingreditur cavitatem magnam? An ſiſti poteſt procella deleto τοῦ οὐ? In ginglymo enim ſunt parvi articuli. Et hunc retineo, dimiſsâ inani ſubtilitate de duplici articulatione, præſertim in vno plano. Si enim in ſuperiori & inferiori parte illam feciſſet, probabilius fortaſſis fuiſſet.

CAPVT CCXX.

Quam figuram habeant vertebræ inter ſe iunctæ?

Iθυκόλιον, *recticurvam* rectè dixit Hipp. & conſenſit Gal. 3. *Art.* 40. & 41. A Cur ergo idem Gal. 12. *Vſ.p.*15. *F.*& 13. *eiuſd.* 2.*C.* fornici comparat, in qua decima quidem vertebra habeat rationem tholi: illæ autem, quæ ſurſum ſunt verſus caput, proceſſus habeant κατάντεις, *deorſum ſpectantes*; quæ deorſum verſus os coccygis, ἀνάντεις, *ſurſum nutantes*; decima tandem illa ſit ἀῤῥεπὴς, *in neutram partem inclinet?*

Vt paucis me expediam, In homine quidem recticurva figura planè locum habet, & ſpinæ omnes ſunt κατάντεις: in animalibus autem pronis fornix locum habet. Tu verò, ſi me audis, in homine accipis hoc de proceſſibus cum vocula ὡς ἐπιτοπολὺ, *Vtplurimùm.* Hinc enim ſunt lites illæ, his qui- B dem dicentibus hoc, his autem illud, & rurſus, his quidem concedentibus, quod de decima dicitur, his autem vel ad vndecimam, vel ad duodecimam referentibus: quin totum negantibus.

Profectò variat Natura, & ſunt variationes illæ in cenſu minutiarum illarum, quas ſoleo contemnere, & liberali cognitione indignas putare. Si quis tamen delectetur talibus, ſylvam ingrediatur Euſtachij *Ex. Oſſ. f.*209. *& ſeq.* Ingraſſiæ *Com. in l. de Oſſ.*8. *t.*4. Inveniet etiam apud Veſal. *Ep. ad Roland. f.*48. Puteum *l.*1. *Apol.*45. vt & Cuneum *f.*26. Tu verò, lector, non de rectis tantùm, ſed & de tranſverſis obliquíſque proceſſibus hoc monitum accipe. Nam heic quoque ſunt lites, his quidem Galenum accuſantibus, his autem defendentibus, quas eò ablego, quò minima Prætor, vt in hoc veſtigio etiam feci.

CAPVT CCXXI.

De cavitate vertebrarum.

AVtor eſt Gal. 12. *Vſ.p.*15. & ſequitur illum Veſal. 1. *Magn. Op.*14. vt & A *in Ex. f.*36. ſpinam, quò capiti vicinior eſt, eò ampliorem habere cavitatem, minui autem ſemper vſque ad Os-ſacrum. Hoc falſum eſſe ait Riolanus *Com. de Oſſ.*13. Verumenimverò non debuit ita ſimpliciter pronunciare, ſiquidem veram invenit obſervationem Fall. 1. *Obſ.*17. & rurſus *l.*3. *c. vlt.* à quo Ingraſſ. habet *Com.* iam ſæpè dicto *c.*6. *t.*1. & fortaſſis alij. Obſervatio illa eſt, Eadem eſt amplitudo in inferioribus quoque, niſi quòd duobus locis, quibus nervi in brachia & crura exeunt, & cavitas eſt maior, & medulla ipſa amplior. Quod profectò egregium eſt!

CAPVT

CAPVT CCXXII.

An vertebræ habeant appendices?

A NE qua ſubſit obſcuritas, hinc ordiendum fuerit. In ſingulis vertebris tria conſiderantur, Corpus, Proceſſus & Appendices. Corpus conſtituit rotundum & cavum illud, per quod Medulla iter habet. Proceſſus, vt modò innui, triplices ſunt, recti, tranſverſi, obliqui, quorum duo priores habent appendices, de quibus heic non agitur. Inter ſingulas vertebras (inter baſin, dico, ſuperioris, & caput inferioris) corpus quoddam eſt miſtæ naturæ, partim cartilagineæ, vnde ligamentum cartilagineum dicitur: partim oſſeæ, de quo controvertitur, Appendíxne ſit?

Heic primùm taxanda venit oſcitantia Veſalij, quæ ad plures emanavit. Cùm enim 1. *Magn. Op.* 14. deſcripſiſſet ſolum ligamentum, pinxiſſetque *ſub lit. RR. cap. ſeq.* meminit tantùm appendicum, quaſi duo corpora fo-
B rent. Ab hac culpa alienus quidem eſt Fall. 1. *Obſ.* 17. ſed videtur mihi eius loco inducere inanem λογομαχίαν. Cùm enim cartilago heic præpolleat, vult cartilaginem dici tantùm, atque ita excludit appendicem. At verò cùm concedit quâdam ſui parte oſſeam eſſe, quid lucratur? Veſalius propterea *in Ex. f.* 36 rectè vrget appendices ſuas, & iungunt ſe illi Anatomicorum plerique omnes.

Porrò, cùm idem Fall. *cap. ſeq.* voluptuatur (ita Veſal.) in vertebris puerorum, indignum facit promiſſis, titulóque libri, vt idem Veſal. iudicat. Idemmet obiicit eidem Fall. *f.* 38. in appendicibus coſtarum, de quibus ille *c.* 22. In hoc digitum intendiſſe ſatis ſit.

CAPVT CCXXIII.

De MVSCVLIS ſpinalibus dictis.

QVanta ſit difficultas, tam in ſeparandis, quàm in numerandis his muſculis, Galenus ipſe indicat *de Anat. muſc.* 24. Indicârunt noſtri quoque, inter cæteros Arantius, *Obſ.* 41. Fall. 2. *Obſ.* 18. (in quo quid deſideret Veſalius, videre eſt *in Ex. f.* 67.) Bauh. 4. *Theat.* 9. Quæ cauſa eſt, cur quidam etiam veterum non niſi vnum eſſe velint, alij plures, pauciores, prout viſum fuit vnicuique. Propter eandem, credo, cauſam Veſalius *l.* 2. *cap.* 38. tam amicè agit cum Galeno. Primò enim conſulit lectori, conferat ſua cum Galenicis. Deinde affirmat, fuiſſe Galeno aliquot muſculos incognitos. Eundem fuiſſe animum Columbo *l.* 5. *c.* 19. video. Quò minùs curo Putei *l.* 2. *f.* 87. *b.* ſuperſtitioſam diligentiam in examinanda

posteriori Vesalij assertione! Sed & satisfacit illi Cuneus *f.52.* vt pluribus non sit opus, si modò his fuit.

CAPVT CCXXIV.

De OSSE-SACRO, ex quot constet ossibus?

GAl. quidem *in de Oss.11.* ex tribus componit: sed 12.*Vs.p.12. A.* ex quatuor. Nostri homines, & inter hos primus Vesalius, tam *in Magn. Op.* quàm *in Ex. Obs.* Fall. ad numerum senarium ascendunt, sed ita, vt quidam dicant, vtplurimùm sex esse, aliquando quinque: quidam vtplurimùm quinque, aliquando sex. Ego olim persuaseram mihi, cardinem rei simpliciter versari in correctione numerorum, supponendúmque vtrobique esse senarium: nunc credo doctiss. Riolano, *Com.17.* integrum quidem, & ad mentem Gal. esse locum & numerum, qui *in de Oss.* falsum autem illum *in de Vs. part.*

Nec me tenent Eustachius, Sylvius, Falloppius, Puteus, Ingrassias, alij, qui laborant pro hoc posteriore, accensentes os-coccygis. Nam licèt *in lib. de Vs.p.* non fiat mentio huius ossis: non subitò tamen habuit Gal. pro particula ossis-sacri. Sed nec potuit. Cùm enim idipsum *l. de Oss.* componat ex tribus, non iam quatuor erunt, sed septem. Quamobrem concludo, Os-sacrum apud Gal. quidem est triplex: in rei autem veritate quintuplex aut sextuplex.

CAPVT CCXXV.

De processibus eius.

QVid dicemus pro Gal. qui eodem *de Oss.* 11. magnos ait esse & latos: at 12. *Vs.p.vlt. C.* tenues? Ingrass. *Com. in de Oss.10. t. 2.* descripsisse ait ibi Os-sacrum hominis: *in de Vs.p.simiæ.* Eustach. *Ex. Oss. f.220.* & qui inde describit Riolanus *Com.17.* ipsis verbis, dicunt, Magnitudinem *in de Oss.* referri ad amplitudinem: tenuitatem *in de Vs.p.* ad crassitiem. Hæc conciliatio reapse non differt à Fall. *Com. in l. de Oss.22.* licèt Riolanus pro diversa habeat.

Ne morer tua tempora, Mihi videtur vitium esse *in de Vs.p.* legendúmque ex *l. de Oss.* κατὰ τὴν ὀσφυῶ· μεγάλαι δὲ κατὰ τὸ ἱερὸν ὀςοῦν. Sursum, an deorsum spectent hi processus, discere tibi licet ex Sylvio & Henero, *Cal.11.*

CAPVT CCXXVI.

De annexis ossibus.

NOn omnia in omnibus autoribus esse aurea, vel hinc discas licet. Labor est Falloppij in scribendis observationibus hederâ dignus: cauto tamen opus est lectore, qui grana à paleis distinguat. Tales paleæ sunt apparatus ille insignis, Cur ossa sacro contigua, ilium, coxæ, pubis, acceperint peculiaria nomina, cùm in aliis factum id non sit? Desinit enim tandem in risum, vt Vesal. iudicat *Ex. f.*45. Idem aliis in locis gravissimè illum accusat, iubet discere, &c. Vide 193.

CAPVT CCXXVII.

Digressio in Riolanum.

A PRæter πάρεργα, περίεργα, καὶ περιοῦργα, quæ vir latè doctus *in Anthrop. sua* passim aspergit, vehementer mihi displicet, quòd, vbicunque potest, lascivè prurit in explicatione carminũ Priapeiorum, & aliarum spurcitierũ, quas æternis tenebris obruere præstiterat! Huius generis est, quod *l.5.c.*39. iactat de motu ossis ilium cum osse sacro in συνουσίᾳ maris & fœminæ. Cùm enim, ipsomet fatente, ossa hæc iungantur per σύμφυσιν, & quidem arctè, quo verbo vtitur: quæ insania est (vtitur ipsemet) motum illis tribuere? Vno verbo, LVMBORVM est hic motus, & numerat ipsus musculos huc præcipuè pertinentes. Quid igitur concludit, se hæsitare de hoc motu, referre inter motus obscuros?

B De mea assertione si quis dubitet, afferam sacrarum literarum testimonium, quæ liberos egredi dicunt è lumbis seu femoribus patrum, qua de re videri potest vir summus, Fr. Vallesius *Sacræ Phil. c.*13. His scriptis, incidi fortefortunâ in Spigel. nostri 4. *Anat.* 10. vbi, allatis quibusdam suis experimentis, probare vult ossium horum innominatorum, vti loquitur, motum. Verùm ego parum illis tribuo.

CAPVT CCXXVIII.

De OSSE COCCYGIS.

A VIx sine bile recordor bonarum horarum, quas collocare me coëgit, Vesalius quidem *l.1. c.*18. & rursus *in Ep. ad Roland. f.*49. in accusando

do Galeno: Eustachius autem *Ex.Oss.f.*219. *& seq.* in defendendo. Sed nec satis æquus sum Puteo *l.*1. *Apol. f.*43. & Sylvio *Cal.*10. Manet enim hoc, quod Vesalius scripsit, confirmaruntque Cuneus *f.*24. & Henerus, In simia ita se habet, vt Gal. scribit. Picturam si vis, dabit tibi Ingrass. *Com. in l. de Oss.*11. *t.*1. cuius verba *t. seq.* hæc sunt: Quæ Gal. de coccygis nervis prodidit, in homine desunt, vt cuius ossicula, neque perforata sunt neque concava, neque spinalis medullæ quidquam continent, nec vllum nervum producunt.

Cum his penè gemina sunt Spigelij *l.*2. *c.*22. Substantiam habent, inquit, ossicula hæc admodum mollem & spongiosam, nullo neque processu, neque foramine, neque cavitate donata, nec medullam continentia spinalem. Ab hoc eodem didiceris, quamvis illo prior Fall. docuerit 1.*Obs.*20. ossa hæc modò tria esse, modò quatuor, prout ossis sacri partes, vel quinque, vel sex sunt. Quod ita intelligo. Vtriusque huius ossis partes semper esse novem. Heic illud est addendum ex Fall. *Obs.seq.* Quod dictum est de simiis, intelligendum esse de non caudatis. B De nervis his Vesal. agit. *d. Ep. f.*77. & Bauhin 3. *Theat.* 27. *in marg.*

Sed quis est vsus ossis huius? Gal. tacet, & faciunt idem plerique nostrûm, qui etiam sapientiores esse videntur. Nam quæ de defensione & sustentatione recti intestini ex Falloppio & Ingrassia dicuntur, parum verisimilitudinis habent. Quin enim in caudatis fit? Et alioquin istæ partium mutuæ incursationes & defensiones, parum prudenter videntur mihi excogitatæ esse, cùm vnaquæque pars rebus suis præesse possit absque alterius ope. Parum igitur abest quin credam, notæ gratiâ duntaxat factum esse hoc os. Natura enim vnitatis studiosa est. Sed cuius rei? Caudæ in caudatis. At Vesal *in Ex.f.*37. applicat etiã caudatis.

Et hæc de Capite & Spina.

CAPVT CCXXIX.

De Qvinqve Sensoriis, & primùm de Ocvlis, & visione.

NERVI OPTICI an sint continui cum Cerebri ventriculis?

Valde celebrat Gal. 16. *Vs.p.*3.*D.* hoc Naturæ opus admirabile, & causam affert, cur Anatomicis anterioribus fuerit incognitum, ὅτι μὴ ἠκολούθησαν τοῖς πέρασι τῶν κοιλιῶν, *quòd fines ventriculorum perscrutati non fuerint.* Atqui noverant hos fines, & scribit ipsus 7. *Sent. Hipp.* 4. *C.* inculcatque adeò τοῖς εἰσαγομένοις suis *de Anat.nerv.*2. quomodo descendant ventriculi cornu intorti instar, vt *suprà* dixi *c.*198. constituántque *Hippocampos* Arantij hodie dictos. A

Hanc ob causam Herophilus & Eudemus solos hos nervos vocabant πόρους, quòd soli habeant manifestam cavitatem, vt autor est Gal. *de Sent.* & *de Anat. nerv. ll. cc.*10. *V s. p.*12.*B.* 1.*Caus. sympt.*2. *D.* 4.*Loc. aff.*2.*B. C. l. de*

B *Libr.prop.3.H.* Quin *in de Sent.Hipp.* tres cautelas proponit, quibus observatis πόρος ille in conspectum veniat. Ego heic primùm vehementer miror, quo modo dici possint tam vicinum oculo ortum habere, siquidem (vt mox
10. *Vs.p.14.* pluribus dicetur) vterque suo loco exiens, super sellam sphenoidis congrediuntur, sed antequàm ad foramen proprium, eidem sphenoidi insculptum, veniant, iterum digrediuntur? Tale quid si fieret, verisimiliùs ex posteriori, quàm anteriori ventriculorum superiorum deorsum obliquatione, vt loquitur Gal. fieret. Vt rectè capias: Si originem habent prope oculum, seu prope nasum, quo modo possunt oriri primùm diversis radicibus, posteà coniungi, iterum disiungi, & tandem extra calvariam ferri?

Hæc igitur duo quia ἀσύστατα sunt, quis diiudicabit? SENSVS procul du-
C bio. Is quia dicit, nec ipse Gal. ignoravit, oriri vltra sellam sphenoidis, in illa vniri, superatâ illâ iterum disiungi: quid pluribus est opus? Verumenimverò, vt dici possit sensus ἐπιστημονικὸς καὶ ἐῤῥωμένος, *scientificus & infallibilis*, addamus quid recentiores viderint in nova illa cerebri sectione, quam Varolius instituit, quámque Bauhinus, Spigelius, Casserius, alij sequuntur. Hæc sectio docet, Nervos opticos oriri, quà cerebrum quidem desinit, incipit autem medulla spinalis, atque ita in occipitio ferè, & aliquousque progressos, super sellam sphenoidis coniungi, &c.

Huius rei quæ sit consequentia vel puer viderit: solum Riolanum non videre, non possum mihi persuadere! Interim video, & cum stupore volvo, revolvo, quæ tribus locis scribit, 4. *Anthrop.2.f.387.* & mox *f.392.* iterúmque 396. tum denique *c.4.f.424.* Verum quidē esse ortum horum nervorum à
D posteriore cerebro, sic enim ferè loquitur: veram tamen simul esse Gal. sententiam. Quei autem, mi homo? *Vbi* (verba sunt Gal. 16. *Vs.p.*) *vterque anterior ventriculus desinit in obliquum, ibi nervorum Opticorum origo est, adeóque ille ipse ventriculorum quasi thalamus propter nervos hos factus est. Atque hic est locus* (vult dicere Riolanus) *vbi Hippocampos suos collocat Arantius, cuius pedes, fornicem dictum constituentes, sunt productiones dictorum nervorum. Fornix hic* (pergit) *tria habet crura, quorum vnum retrorsum* (ita enim scribendum fuisse coniicio) *est, tertio dicto ventriculo supertensum: duo reliqua antrorsum & deorsum, vbi thalamus Gal. consistit, Arantiique Hippocampi. Hi faciunt Eminentias, monticulos, colliculos superiores, sub quibus sunt alia, Testium & Natium nomine à priscis descripta, &c.*

E Heic ego Primò video tres locos distinctos confundi. Quo enim modo *Thalami* Galenici, qui anteriùs sunt, & deorsum ad oculos, possunt esse iidem cum *Fornice*, qui superiùs est, tegítque tertium dictum ventriculum? Quo modo hic idem *Fornix* iungi potest cum *Natibus & Testibus*, quæ posteriùs sunt in quarto dicto ventriculo? Secundò, *Hippocampis* quis tam subitò pedes dedit? Arantius certè ne somniavit quidem, comparans ventriculorum curvitatem cum cauda istius animalculi retorta, quam subinde motitat, alio scilicet remigio destitutum, quod videre me memini quondam in littore Veneto, à Lio, *cum placidum ventis staret mare.* Tertiò, Quæ similitudo

ſimilitudo eſt *thalami*, ſeu conclavis cum *natibus & teſtibus*, quæ corpora ſunt? Fortaſſis, inquis, in nova ſeu Varoliana ſectione apparent? Vidi ego aliquoties in Italia demonſtrantibus amicis, ſed apertiſſimè Baſileæ, adminiſtrante præceptore Bauhino; ſecui ipſe in hunc modum cerebra vitulina: nihil tale vidi, nec ſperem videre me poſſe. F

De natibus & teſtibus hoc teſtor, nihil aliud eſſe, quàm initia protuberantium quatuor radicum medullæ-ſpinalis, quâ regione etiam eſt exortus nervorum, de quibus agimus. Hæc regio quia poſteriùs eſt; adeóque nervi optici oriuntur à poſteriore cerebro, quæ Riolani verba ſunt: quei ſimul credam anteriùs eſſe? *Negat Hofmannus (anterius eſſe, Com. de Vſ. p.) p.238. ſed fruſtrà.* Quid hoc dictu eſt, ô vir eximie? Sed ſit ex medio Latio: falſum me eſſe volebas dicere! Falli me poſſe non nego: homo enim ſum. Heic falſum me eſſe fatebor, poſtquam probaris, poſteriùs & anteriùs eſſe eandem loci differentiam! poſtquàm eò me perpuleris, vt negem me videre, quod video! poſtquàm: Sed ſatis eſt, fortaſſis etiam nimiùm. *Suprà quoque eſt cap. 101.*

Huic contigua quæſtio eſt, Síntne perforati ad ſenſum, vt veteres volebant? Non ſunt. Sufficiunt enim foramina illa inſenſibilia, quæ vaſa è cerebro delabentia conſtituunt, vt explicui me, cùm de Nervorum origine agerem. G

CAPVT CCXXX.

Iidem an faciant χιαζμὸν?

HEic illa inprimis diſtinctio eſt tenenda ex 10. *Vſ. p.12. B.* χιασμὸς dicitur, aut de toto nervi corpore, cùm quæritur, Vtrum è dextro fiat ſiniſter, & è ſiniſtro dexter? Et hoc Gal. vocat ἐπαλλάττειν, καὶ ὑπερβαίνειν ἀλλήλους, *permutare locum, & alterum ſupervenire alteri.* Aut dicitur de fibris nervi confuſis inter ſe. Hoc appellat ἑνοῦν τοὺς πόρους, καὶ σχῆμα ποιεῖν ὁμοιότατον τῷ τοῦ χ γράμματι, *coniungere & vnire cavitates ſingulas, vt figura evadat literæ χ ſimilis.* Illa eſt decuſſatio ſimplex, cùm corpora tranſverſim ſe tangunt tantùm: Hæc eſt compoſita, & propriè dicta, niſi fallor. χιάζειν enim eſt *Cancellare*, cùm idem ſignificat, quod *diſpungere, eradere, delere*, vnde ſunt *Cancellarij* noſtri. Aliûs originis eſt χιασμὸς, cùm χ literâ ſignatur, quidquid exigui valoris eſt, ſive à Chiis originem habeat, quorum falſa moneta primitus ita ſignabatur, deinde & calcei viliores ita dicebantur: ſive ab Attico χίβδηλον, quod reliqui Græci κίβδηλον dicunt. A B

Ad rem noſtram. Concedit quidem Gal. poſteriorem modum: negat autem priorem, quin negligentiæ in Anatomiis accuſat eos, qui illam admittunt. Atqui ante Gal. Aretæus 1. *Dig. Chron.*17. id docuit: docuére etiam poſt illum Haly-abbas, Caſſius, & Felix neſcio quis, vt autor eſt Th. à Veiga, *Com. in 4. Loc. aff.*1. Imò inter noſtros Cæſalp. 2. *Quæſt. Med.*10. vt & 5.

Artis Med. 42. tam luculenter id deducit, vt nihil ampliùs desiderem, quàm sensus fidem. Atqui cùm aliquando deficiat, & sufficere nobis debeat ratio: C quid opus est aliis? Sed & addi potest hoc. Mundinus, & post illum Columbus observârunt, In opticis avium quarundam fieri hunc χαζμὸν, nec tamen quidquam mutari in vsu ad visionem: quidni igitur in aliis quoque animalibus id fiat, licèt sensus eò penetrare non possit?

Hoc admisso respondere poterimus ad problema difficilimum, Quei fiat, quòd læsâ parte corporis dextrâ, paralysi aut convulsione afficiatur sinistra, & contrà? Nimirum, hoc præsupponere oportet, Quod fit in opticis ad sensum, id fit in nervis aliis omnibus, sive è cerebro sint, sive ex medulla spinali, etiamsi sensus ei rei non attestetur.

CAPVT CCXXXI.

Iidem cur vniantur in sella sphenoidis?

A AGit Gal. hanc rem multis fine *lib.* 10. *Vs.p.* & quidem divinitus monitus, vt ait. Summa totius negotij est, Factum hoc esse à Natura, ne obiecta appareant nobis gemina. Oportere enim inquit duos visionis conos incidere in vnum planum, si res debet apparere vna. At si, subiicit acutiss. Cæsalp. *Quæst. Med. l. c.* coitus nervorum, in eodem plano constituendus est cum axe vtriusque coni, immobiles oculos esse oportebit. Cùm enim flectuntur, si conus vltra crystallinum protenditur, ad nervorum coitum frangi axem necesse est. Sed quid opus talibus? Visio fit in oculo, & non in cerebro. Et quorsum aliàs constituit Galenus crystallinum huius actionis principem? Porrò autem, in quibus vnio non est, cuius rei historia apud Vesal. est, quomodo his non apparent omnia gemina? Eodem modo, in quibus cruciantur, vt barbarè cum Mundino loquar, quid ibi fit? Scio, & memini *Com. in d. l. Vs. p.* quid Montaltus *in Opt.* pro Galeno meditetur: sed id exile est.

Vide Casserium *l.* 5. Περὶ τωδ. *sect.* 3. *c.* 12.

B

Omni admiratione dignum est, quod Riolanus affert 4. *Anthrop.* 2. *f.* 392. Duplicem ait esse vnionem, quarum altera sit hæc, de qua agimus, cuius vsus sit causari fluxum & refluxum spirituum ab oculo in oculum: altera sit intra ventriculos, vbi (ceu loquitur) in vno puncto nervi optici inter se coëant, quæque sit illa, quæ ad vnitatem specierum instituta est. Inde enim (ait) spiritus opticos depromi, tanquam ex ipsâ scaturigine, *certum est, ac indubitatum.*

Hoc si demonstres, ô Riolane, VIR es!

C Vereor autem immensum, vt possis! Quin vsus iisdem verbis, *Certum*, aio esse, *indubitatúmque*, posteriorem hunc coalitum à Natura esse alienissimum: imò ne imaginabilem quidem. Quàm enim falsum est, interiorem ventriculi thalamum iungi cum sella ossis sphenoidis: tam falsum est vniri simul

ſimul & ſemel vtrobique. Intereſt enim *Infundibulum*, quod ſpacium occupat ferè tranſverſi digiti. Et heic, vbi (inquam) conflues eſt excrementorum cerebri, vt *ſuprà* demonſtravi, ſit ſcaturigo ſpirituum viſilium! Vt dici iam debeat, quod Syneſius alicubi, Riolanum κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα, quod Latinè dicam, *Glomerare arenas*. Quid igitur fit de priore? Nescio. Hoc cùm tacitè confeſſus eſſem *Com. in de Vſ. part.* ſugillat me Plempivs *l. 3. Ophthalmogr. c.16. Oſtentare me loca confragoſa: ſed elabi, relictis lectoribus ſub cultro*. Quaſi verò παντεπιστήμονα me eſſe vnquam dixerim! Sed quid ille præſtat? Tantundem. Robur enim ipſius, & periculum à deſtillationibus tam aliena ſunt à providentia Naturæ, quàm quæ alieniſſima.

CAPVT CCXXXII.

De TVNICIS oculorum.

EX nervis Opticis quia Gal. deducit tunicas, conſequens fuerit de his agere. Huius rei tantò maior neceſſitas eſt, quò involutius negotium A
eſt. Tot enim ferè ſunt ſententiæ, quot libri Anatomici. Vt expediamus nos, primùm omnium obſervanda eſt diſtinctio Tunicarum in Internas & Externas. Externæ ſunt duæ. Prima dicitur χιτὼν ἢ ὑμὴν ἐπιπεφυκὼς, *Tunica agnata*. Reverà autem ligamentum potiùs eſt, ex pericranio deſcendens, oculúmque orbitæ alligans eâ præcipuè parte, quâ eſt *Oculi album* dictum. Quare etiam minùs rectè περιοφθάλμιος dicitur. Secunda eſt, quam Gal. 10. *Vſ. p.2.G.* ſextum oculi circulum facit, & habet originem ex tendinibus muſculorum ocularium. Meminit eiuſdem Galenus *c.3 ſeq. C.* ſed clariùs *c.8.C.* Quâ igitur fronte Columbus dicit, ſe inveniſſe hanc tunicam? Interim *In-* B
nominata Columbi ab omnibus dicitur.

Internæ pariter duæ ſunt, ortum ducentes ex duabus cerebri membranis, vt Gal. vult. Prima exſiſtit ex dura matre, & κερατοειδὴς *Cornea*, dicitur, quòd cornu lævigato & pellucido ſimilis ſit ab anteriori parte. Hanc Arabes dirimunt in duas, anteriorem quidem partem pellucidam, de qua dixi, antiquo nomine *Corneam* vocantes: poſteriorem autem craſſam, & non pellucidam *Scleroticam*, noſtri σκληρώδη, *duram*. Secunda fit ex pia matre, vnde etiam χοριοειδὴς, *Secundina* ſeu *Secundiniformis* appellatur. Hanc Gal. 10. *Vſ. p.3. & 4.* ῥαγοειδῆ, *Vveam* ſeu *Vviformem*, ſeu *Aciniformem* nuncupat. Item κυανῆ, *Cœruleam* ſeu *Nigram*. Arabes hanc quoque in duas dividunt, anteriorem quidem, quà foramen eſt, *Vveam* dicentes: poſteriorem autem *Se-*
cundinam. Huius germen eſt *Ciliaris* vulgò dicta, quam alij pro ligamento C
habent. Duabus his internis accenſetur à priſcis, & conſentit Gal. 7. *Sent. Hipp.4.* & alibi ἀμφιβληστροειδὴς, *Retina* ſeu *Retiformis*, licèt fateatur eſſe ſubſtantiam potiùs cerebri, in vivo animali ita dilatatam, vt tunica eſſe videatur. In mortuo enim concidit in vnum acervum.

Et hæ quidem tunicæ veteribus notæ fuére: à nostris proponuntur duæ aliæ, duobus humoribus, Crystallino & Vitreo (nam tertius seu Aqueus dictus) non includitur certis terminis, nec tunicam habet) propriæ, à quibus etiam nomina habent *Vitreæ* & *Crystallinæ*. *Vitream* Galeno notam fuisse non puto. Fall. 5. *Obs*.1. *Ruffo* 1. *Appell*.23. fuisse pertendit. Sed locus adeò
D est depravatus, vt certi nihil possit elici. *Crystallinam* Galenum novisse, sub nomine τῆς ἀραχνοειδοῦς, *Araneæ*, seu *Araneiformis*, 10. *Vs.p*.6. 1. *Meth*.6.*C*. planè credo. Ruffus eandem 2. *Appell*.3. φακοειδῆ καὶ δισκοειδῆ, *Lentiformem* & *Disciformem* appellitat. De origine vtriusque si quæras, respondebo, esse processus τοῦ χοροειδοῦς potiùs, quàm τῆς ἀμφιβληστροειδοῦς, vt quidam volunt. In hoc negotio diligenter præ cæteris versati sunt Casserius πενταισθητ. *l*.5. *sect*.1.*c*.20. *& seq*. Riolanus 4. *Anthrop*.4.*f*.411. *& seq*.

CAPVT CCXXXIII.

Arantius adiutus in Internis.

QVam tetigi modò internarum originem, adeò omnibus, quà priscis, quà novis Anatomicis accepta est, vt hactenus firmiter crediderim veram esse. At verò cùm legerem, quæ scrupulosissimus (in laude duco) Arantius, *Observ*.18. *extr*. contrà disputat, nutare cœpi. Orta, inquit, attestantur principiis suis. At verò quæ similitudo est, vel Corneæ cum dura matre, vel Vveæ cum pia? Et hoc posterius apud me valde vrget. Et concludit is quidem, Reticulari exceptâ, omnes fieri ex semine: ego verò hanc etiam inde esse dico.

Hoc confirmo ex historia ovi incubati, vel apud Coiterum *in Exerc. Anatomicis*, quà de ovis & pullis gallinaceis *f*. 33. vel apud Aldrovandum 14. *Ornithol*.1. E quibus quia deprompsi, & proposito meo applicui 2. *Gen. hom*.28. nolim heic πολυπραγμονεῖν. Fuerit itaque vetus illa sententia vna ex communibus, quam excusare licet ex Vesalio, Vbi pars aliqua alteri firmissimè alligatur, ibi solemus dicere oriri.

CAPVT CCXXXIV.

De secundo Nervorum pari.

GAl. *l. Anat.nerv*.3. & alibi indistinctè scribit, ferri ad musculos oculorum. Hoc plerique nostrûm acceptant. At Fall. 3. *Obs*.16. de quatuor rectis tantùm concedit. Columbus *l*.8. *c*.3. extendit ad quinque. An variant ista ratione individuorum?

CAPVT CCXXXV.

De MVSCVLIS oculorum.

COnsensus ferè inter nostros est numero sex esse, quatuor recti sunt, duo obliqui. Columbus *l. c.* obliquorum alterum, *Trochleatorem* Fall. expungit, & palpebris adscribit. Gal. 10.*Vs.p.*8. *C.* sex illis septimum addit, quem in plures dividi posse concedit. Hunc admittere Vesalium 2. *Magn. Op.*11. est quòd mireris, præsertim, quia Galenum tam diligenter & toties à sectione brutorum sevocat! Ampliùs, quòd tribus locis (*in Exam.f.*51.*&* 126. iterúmque *Ep.ad Roland. f.*157.) cupiat defensum errorem illum! A

Huic ipsi insistunt Fuchs.2.*Anat.*8.*&* *Car.* Stephanus (qui aliàs magnam industriæ laudem habet apud quosdam) *l.*3. *c.*9. Reverà ita est, vt Fall. observat, In homine non est: sed in brutis, quæ prona incedũt. His enim vtilis est: nobis inutilis. Sed in quo, aut quibus? Assentior Spigelio nostro 4.*Anat.*5. vbi motui tonico præficit. Hic motus quia in homine locum non habet, adeóque in praxi nihil mutat: tantò faciliores esse possumus lapsibus istis humanis. Interim credo Vallesio *Com.in* 4.*Loc.aff.*1. quatuor rectos, dum simul agunt, obire hoc officij in nobis, si quando necessitas id velit, cùm videlicet diutius pendulum habemus caput. Mihi duo epidorpidis loco libet addere, *Primum*, Et Vesalium & Falloppium decipi, cùm musculos oculorum è dura matre petunt. Sunt enim ex osse sphenoide, vt rectè Arantius, *Obs.*19. *Secundum*, Rorarium (fortassis alios quoque Contradictores) fingere aliquando, vt habeat quod conciliet. Eius rei exemplum esto, quòd dictus Rorarius *Contr.*103. ex 10.*Vs.p.* & 1.*Mot.musc.*3.*D.* affert, Galenum non nisi quatuor oculorum motus fecisse, & consequenter non nisi quatuor musculos. Tu verò, quisquis es, lege vtrumque contextum totum, & videbis, Galenum non opus habere frigido isto conciliatore.

B An hausit ex Gal. *l.de Anat.musc.* 5?

C

CAPVT CCXXXVI.

De PALPEBRARVM musculis, earúmque motu.

GAl.10.*Vs.p.*9.*&* 10. cùm præsupposuisset, superiorem quidem palpebram tantùm esse mobilem, inferiorem autẽ immobilem: superiori duos (*c.*9. *G.*) tribuit musculos. At 4.*Loc.aff.*2.*D.* duobus illis addit tertium, quẽ sursum ait trahere, cùm duo illi deorsum trahant. Vesalius quidem 2.*Magn.Op.*9.& describit & pingit illos duos: at *in Ep.ad Rol.f.*157. fictitium vocat tertium illum. Idem meliùs institutus à Medicis Romanis, vti fatetur *Ex. Obs.f.*47. excitatus verò etiam à Gal. tam *in de Loc.aff.* quàm *in de Vs. p.*10. agnoscit etiam tertium, & eum quidem levatorem. Eundem describit Fall. 2.*Obs.*4. A

ex 25.*Coll*.29.Oribasij, Vbi monendum est, Esse ipsissima Gal. verba *l.* iam *cit.*
B *B*.Hoc habito fundamento, fortassis inepti sit quærere, Qualis sit motus? Qui enim alius esse possit, quàm voluntarius? Et hæc res apud Gal. tam certa est, vt sophistas vocet eos, qui naturalem aiebant esse. Pungit autem Arist. 2.*Part*.13. Sed quid dicas? Qui tam certus videbatur sibi esse, is *extr. cap. dicti*, accenset motibus dubiis, sive (vt ego loqui soleo) mistis, ex animali puta & naturali.

Huic opinioni adstipulatur Valles. 5. *in* 6.*Epid*.2. Idem dicit, sed verbis incommodioribus, doctiss. Riol. 4. *Anthrop*.4. Motus, inquit, vtriusque palpebræ licèt musculis peragatur: nihilominus ex arbitrio nostro non dependet. Ita ferè Bauh. quoque 3.*Theat*.33. Licèt voluntarius sit motus, inquit: tamen partim liber est, partim coactus. Liber, ratione musculorum, vt ego
C quidem capio: coactus, ratione affectûs corporei. His verbis vt procul dubio respicit ad illa 2.*Mot.musc*.6.*extr*. quâ de respiratione: ita imparitatem video, paritatem non video. Ibi enim *affectus corporis*, sive *necessitas*, vt Gal. appellat, consistit in ebulliente sanguine, qui pulmonem inflat, & cogit nos respirare, quamvis nolimus: heic nihil tale est. Ita in egestione excrementorum alvi & vesicæ, est copia & acrimonia eorundem: at heic quid est? Dico igitur, Motus est merè voluntarius, quem cohibere difficile quidem est, non tamen impossibile. Hinc apud Gellium *l*.2. *c*.1. de Socrate scribitur, per totum diem ἀσκαρδαμυκτὶ, *inconniventer* intuitum esse solem. Difficultas consistit, partim in consuetudine, partim in copia & varietate rerum externarum oculos turbantium. Cæterùm, quid Vesalio de musculis oggan- niat Puteus 2. *Apol*.*f*.61. & quid respondeat Cuneus *f*. 38. videre licet apud ipsos.

CAPVT CCXXXVII.

De modo visionis.

A VVlgaris est opinio, Galenum in hoc negotio secutum esse Platonem, cuius sententiam, ex Timæo expressam, his verbis proponit Ill. D. ab Aquapendente, *de Visione p.*1. *c*.4. *Ignem, seu lucem, quæ in nostris oculis continetur, foràs extra oculum emanare, & cum diurno lumine coniungi. Ex hac coniunctione resultare passionem quandam, quæ ad animam* (per refractionem) *evolet, & ipsam protenus intùs moveat, itáque visio fiat.* Cum hoc consentire Galenum disertè affirmat idem Aquapendens. At verò Curæus, homo, si quisquam alius, vt nomen cluet, hoc est, diligentissimus, 1. *de Sensu & sens*.28. scribit, Galenum aliter pinxisse Platonis sententiam. Hanc picturam cùm nondum offenderim, moneo te, quisquis es, lector, inquiras in illam.
B An illa est, quòd Gal. *Spiritum* appellat id, quod Plato *Lumen*? Vide Casserium πεντεσθησεῖον *lib*.5. *f*.2. *c*.51. Ego per satyram hoc aspergo, Falsum esse dogma,

dogma, quod ait, visionem fieri per emissionem: fit enim per receptionem vt Arist. docuit. Obiectum visile imprimit qualitatem suam aëri illuminato. Aër hoc modo affectus recipitur in oculo, & ita fit visio. Hæc si doctissimè explicata videre voles, adire potes iam laudatum D. Aquapend. doctorem meum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Si ampliùs voluptuari tibi libeat, inspice Kepleri *Paralip. in Vitell. cap. 5. n. 2.* vbi etiam iudicium reperies de sententia Portæ, 17. *Magiæ nat. 6.*

Rungius, *de Visu sympt. θ.* 30. ait, Gal. ad Platonem accessisse, magnâ cũ Veritatis iniuriâ

CAPVT CCXXXVIII.

De AVRIBVS & auditu, primúmque de AVRIS interiore structura, præcipuè meatu auditorio.

IGnorasse Galenum verè admirabilem auris internæ structuram, Tympanum, inquam, cum innexis tribus ossiculis, Concham, Cochleam, & Labyrinthum, ne de Cavitatibus aliis, tam nominatis, quàm innominatis dicam: A puto me probare posse ex vltimis verbis 6. *Meth.* vbi de meatu auditorio ita loquitur, quasi pertineat, non tantùm ad duram matrem, sed & contingat ipsum nervum auditorium. De Tympano scio multum esse Casserium 4. *Anat.* (vt posterior τῶ πεντααισθησείω inscriptio habet) 1. *c.* 8. De ossiculis molitur aliquid Puteus 1. *Apol. f.* 51. sed resistit illi Cuneus *f.* 21 *&* 29. Officiosus etiam est Bauh. 3. *Theat.* 50. Quæ ego commemoro, non vt legas, sed vt negligas, Ita enim est, Nos, qui omnia ista exactè pervestigavimus, scimus quidem τὸ ὅτι: τὸ διότι nescimus. B At illi, qui singularum particularum vsus non minùs solicitè metiuntur, quàm ille apud Aristophanem pulicum gressus: verbis quidem divites sunt, rerum inanes. Manet enim hoc, quod Vesalius quoque monet 1. *Magn. Op.* 8. vt & *Ex. Obs. f.* 29. Nescimus, quo modo fiat auditio. Sed & vbi sciverimus, non magis id iuuabit nos in praxi, quàm scire quo modo fiat visio. Quò faciliores esse debemus in tegenda Gal. ignorantia! Sunt quæstiones Logicæ, dicet ipse.

CAPVT CCXXXIX.

De cæco foramine ossis petrosi.

TVrbat heic aliquid Fallop. 1. *Obs.* 8. cùm impugnat appellationem hanc vetustam. Huic quia operosiùs, quàm res volebat, respondit Vesalius in *Ex. f.* 30. honestiùs ego tacebo, quàm vel verbum dicam.

CAPVT CCXL.

De canali ex aure in palatum.

A MIreris, cùm Arist. 1.*Hist.*11. expreſsè dicat, τὸ οὖς ἔχειν πόρον εἰς τὸν τοῦ σόματος οὐρανὸν, *ex aure viam eſſe in oris cœlum*, cur Gal. non meminerit? vel ideò quia in praxi res admodum ſcitu neceſſaria eſt? Ampliùs miror noſtrorum ſupinitatem, quorum quidam prorſus non meminére, quidam vix verbo. Præter D.ab Aquap. & Caſſerium, tractatibus propriis, diligenter deſcripſit CL. Bauh. 3.*Theat.*49. Ab his diſſentio, cùm tot confingant vſus, quot præſtare nec poteſt, nec debet. Vnicus enim reverà eſt, is videlicet qui apud Bauh. primus eſt. Sed nec illum ſine limitatione recipio. Non enim ſervit purgandis cerebri excrementis, cùm via illis nulla penitus ſit, vel ex cerebro in os petroſum, vel ex petroſo in Concham. Servit
B autem purgandis ſolis excrementis propriis, & iis quidem pituitoſis ſeu aqueis tantùm, veluti cerebri excrementa etiam diſtinxi. Vt enim ibi calida & fuliginoſa inſenſibiliter per ſuturas & cavernas cranij exeunt; frigida & aquea per nares & palatum: ita heic calida & tenuia per tympanum exſudant; frigida hàc exeunt.

Quod cùm conſiderare placet, conſidera, quæſo, iterum ſapientiam Naturæ in abducendis excrementis, quam celebravi nuper *cap.*204! Deinde duo alia tibi habe, alterùm à præceptore Aquapendente, alterum à me. Ille ſæpius vidit cavitates auris internas craſſo muco refertas. Ego ſuperioribus annis curavi heic βαρυηκοΐαν, à febre maligna relictam, in filio Medici cele-
C berrimi, quam Pater percurare non poterat. Quo ille intellecto popoſcit à me ſecreta iſta. Riſi, & oſtendi illi canalem hunc, vnà cum medicamentis vſualibus pro apophlegmatiſmis, ſingulis anni quadrantibus, poſt corporis totius vacuationem, vſurpandis, &c.

CAPVT CCXLI.

Locus Gal. huc faciens.

A CVm notas conderem in *l. de Oſſ.* inclamavi verba illa extremo prooemij, καὶ ἡ τὸν ἀκουστικὸν περιέχουσα πόρον, licèt nihil præтереà opis afferrem. Poſtquam autem intellexi, quoſdam exſtruere inde falſiſſimum dogma, quod Galeni autoritate defenſant: diligentiùs cogitandum fuit. Dicunt, *Galenum in proceſſu capitis Styloide collocaſſe meatum auditorium.* Hui, inquam ego, in proceſſu tam gracili, vt cum acu, aut calamo ſcriptorio comparetur! Et Bauh. quidem 3. *Theat.*6. *marg.* patrocinium Gal. ſuſcipit, Loqui illum, non de

proceſſu,

processu, sed de osse petroso, in quo reverà est meatus auditorius: mihi verò è re Gal. esse visum fuit, si ipsis verbis etiam medicina afferri possit.

Ita ergo transponere & legere placuit: ἣν ἐγὼ βελονοειδῆ, καὶ γραφιοειδῆ καλῶ· ἕτερον δὲ μέρος ἐφεξῆς τοῦδε, τὸ κατὰ τὰς ἐκφύσεις ἐστὶ, τήν τε μαστοειδῆ καλουμένην, καὶ προσέτι τὴν τοῦ ζυγώματος, ὅπου καὶ ἡ τὸν ἀκουστικὸν περιέχουσα πόρον χῶρα. Nimirùm, dividit Gal. os petrosum in partem posticam & anticam, in quarum illa processus est styloides, in hac mammillaris, & pars altera ossis iugalis, intra quos duos processus reverà consistit meatus auditorius. B

Iámque ita verto, *Quem* βελονοειδῆ *aut* γραφιοειδῆ *appello: alteram verò huic contiguam, in qua sunt processus, tam ille, qui mammillaris dicitur, quàm ille, qui constituit alteram ossis iugalis partem, vbi* (in quorum complexu) *meatus est auditorius*. In rei enim natura ita est, & facilis lapsus fuit scribæ obaudientis τὸ χῶρα, ob similitudinem quandam soni cum τὸν πόρον. C

CAPVT CCXLII.

De MVSCVLIS *auriculæ.*

CVm intueor illa *7.Sent.Hipp.vlt.A. Aures in plerisque animalibus moveri à musculis capitis,* videor mihi duo inde certa habere. Alterum, in homine non esse musculos peculiares aurium. Alterum, Motum aurium, si sit in quibusdam, esse à capitis musculis. Rursus, cùm video illa 11.*Vs.p.*12. *D. Aures in homine, aut nihil omnino moveri, aut non nisi obscurè:* de priori quidem sententia decedere cogor, manet autem in dubio altera. In dubio quoque retinent me illa, quæ dicit 16.*Vs.p.*3.*C.* τοῖς κινεῖσθαι μέλλουσιν ὠσὶν, *musculis iis, qui aures movere debent, immissos fuisse nervos duros.* A

At dubium omne tollit, quod sequitur eiusdem *libri c.6.D.* Contradistinguens enim ab homine & simia animalia illa, quæ & magnas habent aures, & facilè, multúmque mobiles: de posterioribus ait, τὴν ὤτων οὐσίαν σχεδὸν ἀκίνητον εἶναι. Quo loco noto Interpretis errorem. Nam illa, ὅτι μὴ παντάπασιν ἐλαχίστη τισὶν αὐτῶν ἐστιν, hoc sibi volunt, *Ne dicam, in quibusdam horum* (in simiis puta) *minimas prorsus esse auriculas.* Vnde concludo, Musculi auricularij non tantùm reverà in homine sunt: sed & auricularum proprij sunt. Quibus superpondij loco addo, In quibus hominibus sunt, notæ gratiâ tantùm sunt. Hinc in brutis quidem perfectos musculos vocat Riolanus noster 4.*Anthrop.*5. in nobis autem (præeunte Gal. in *superius* laudatis) delineamenta tantùm quædam. Quæ scribillat de his musculis Puteus. 2.*Apol.f.*69.*b.* si legere vis, gratulor labori. B

CAPVT CCXLIII.

De NARIBVS, & olfactu, primúmque de OSSIBVS internis.

FEci ſanè *ſuprà* quoque eius rei mentionem: ſed nunc latiùs explicanda venit. Gal. 8. *Vſ.p.7. A. 9. eiuſdem* 3. *C.* mavult dicere σπογγοειδῆ, quàm ἠθμοειδῆ. Hoc cùm invertiſſet Veſalius 1. *Magn. Op.6.* quà de octavo capitis oſſe, Puteus quidem 1. *Apol.f.26.* accuſat illum: Cuneus autem *f.17.* quoquo modo defendit. Ego *Com.in d.l.8. Vſ.p.* diſtinctione vſus, ἠθμοειδῆ vocanda eſſe cenſui duo illa capitis oſſicula, quæ interiùs in cranio dividit proceſſus quidam oblongus & acutus, *Criſta-galli* dictus: σπογγοειδῆ additamenta illa, quæ extra cranium in naribus ſeparat à ſe invicem *Vomer* dictus.

CAPVT CCXLIV.

Ariſt. ex Gal. expoſitus de defenſaculo ſenſorij olfactûs.

A CVm his diebus inquirerem in philoſophema Gal. eodem 8. *Vſ.p.6.G.* Quomodo conſuluerit Natura tribus his ſenſoriis, Oculis, auribus & naribus, quò minus ab extrinſecùs occurſantibus lædantur? in duobus quidem prioribus nihil hæſitavi: in poſtremo autem ſubſtiti cogitabundus, An non idemmet voluerit Philoſophus? Cùm enim intuerer σκέπασμα ἢ ϛέγασμα illud, quod odorum quidem tranſitum non impedit, externas autem iniurias propellit: viſus ſum mihi quaſi in obſcura nube agnôſſe ἐπικάλυμμα ἢ πῶμα illud Ariſt. 2. *de Anima* 9. *t.* 100. vt & *de Senſu* 5. quod idem Gal. *de Inſtrum.odor.*5. acerbiſſimè exagitat. Viſus autem ſum vel ideò certi quid apprehendiſſe, quod iiſdem penè verbis vtitur Gal. εὐρύτητα τῶν πόρων requirens.

B Hæc coniectura vt fiat clarior, paucis deducam mentem Philoſophi. Cùm videret, animalia quædam percipere odores ſine reſpiratione, quædam cum illa, Quemadmodum (vult dicere) τὰ μαλακόδερμα habent palpebras, quæ ſunt illis φράγμα, καὶ ὥσπερ ἔλυτρον, quibus non motis non vident; & rurſus, Quemadmodum μαλακόϛρακα palpebras non habent, ſed vident ſine illis: ita animalia, quæ ſine reſpiratione odorantur, τὸ ὀσφραντικὸν αἰσθητήριον habent ἀκάλυφες, *nudum, & non contectum*; quæ cum reſpiratione, habent ἐπικάλυμμα, *operculum*, ὃ ἀναπνεόντων ἀποκαλύπτεται, διευρυνομένων τῶν φλεβίων, καὶ τῶν πόρων, *quo in reſpiratione aperto*, Quo modo? *dilatatis venulis & meatibus*, odores percipiunt.

L. de anima l.c.

C Eodem ferè modo loquitur in *de Senſu*, *Dum reſpirant*, inquit, *ſpiritus aufert id, quod operculi inſtar ſuperiacet.* Quid heic obſtat, ὦ φιλογάληνε, quò

quò minùs hæc intelligas de dura matre perforata, quà illa incubat oſſi ἠθμοειδεῖ? Illa, dices, auguror, τῶν φλεβίων. Quomodo enim foramina illa dici poſſunt *Venulæ*? Non poſſunt, inquam ego. Sed πόροι quid obſtat, quò minùs ſint & dicantur? An igitur tralatitium eſt τὸ φλεβίων? Eius rei argumentum ſit, quòd *οἱ πόροι in ſeq.* ſæpiculè ſint, τὰ φλεβία nuſpiam, niſi heic.

Sed vt ad duram matrem redeam: Cogitandi de illa occaſionem præbuit mihi Gal. ipſe, qui initio *cap.* laudati, opercula Ariſt. vocat σώματα ὑμενώδη λεπτά, *corpora membranea tenuia.* Et hæc quidem pro Ariſt. commentari mihi libuit. Pro Gal. qui velit, legat Caſſerium 3. *Anat.* 1. *c.* 6.

CAPVT CCXLV.

De primo OLFACTVS *inſtrumento.*

HEic primùm, avertendæ confuſionis gratiâ, hoc eſt tenendum, Res diverſæ ſunt, Proceſſus Cerebri (non oſſis petroſi, de quibus *ſuprà*) mammillares, & nervi odoratorij. Proceſſus ſunt pars cerebri, in bubus, ovibus, aliis brutis, papillæ mammarum inſtar in cavitatem cranij, quam os ethmoides duplex facit, arctè inſinuati: in homine vix contingunt. A

Nervi, de quibus mox ſeorſim, ſunt corpora duo nervorum inſtar, rotunda, quæ tamen cranio non excidunt. Hæc duo qui & quot inſignes Anatomici inter ſe confuderint, ſi dixero, fortaſſis parum gratus ero. Sed & licet mihi tacere, loquentibus ſingulorum libris. Quæro itaque, Vtram partem habuerit Galenus pro inſtrumento olfactûs? Nervos huc pertrahere non potuit. Noverat enim, aliud eſſe ſenſorium ipſum: aliud nervum ad ſenſorium miſſum, qui portet ſpiritus ſenſificos. B

Habuit itaque pro olfactûs inſtrumento proceſſus dictos, qui conſtituunt apud ipſum fines ventriculorum ſuperiorum.

Hæc aſſertio cùm duplex ſit, fas eſt ſigillatim inſpiciamus vtramque. Prior & vera eſt, proceſſus dictos eſſe primum olfactûs inſtrumentum. Quod enim obſervavi *Com. in* 8. *Vſ. p.* 6. manuductore Fall. 3. *Obſ.* 14. in proceſſus hos in vitulo & ove inſeruntur nervi odoratorij, adeóque poſſunt eximi toti ex proceſſibus. An autem proceſſus hi, quà contingunt prætenſam oſſi ethmoidī duram matrem foraminulentam, ſint pervij, non vidi equidem, ſed prorſus perſuadet ſtructura tota. Poſterior & falſa eſt, ex ſuperioribus ventriculis foramen patere in proceſſus toties dictos, adeóque ventriculos potiùs eſſe olfactûs inſtrumentum, quàm proceſſus.

At Fallop. vidit? Mihi ſatis eſt, Veſal. in *Ex. f.* 101. non vidit. Et profectò, neque ſtructura id permittit, neque Gal. doctrina. Structuram ventriculorum vrget inprimis Veſalius, quo loco dixi. Ego etiam in Varoliana ſectione ſpeculatus totam illam capacitatem ventriculorum, nunquam vel imagina- C

tione

tione concipere potui foramen. Interim, si quis seipsum, aliósque decipere velit, facilimum factu sit. Gal. doctrinam esse audivimus, ventriculos dictos desinere in nervos opticos: quo modo ergo simul in processus mammillares? Atqui Piccollominus etiam vidit foramen 5. *Prælect. Anat.* 3. & notat Bauh. 3. *Theat.* 13? Bauhinum notare quis prohibeat? Piccollominum decipi
D potuisse quis mihi iure neget? Vt enim hoc tantùm dicam, quàm insignitè deceptus fuit in tribus illis bullis, de quibus ego 2. *Gen. hom.* 28? Atqui Riolanus etiam 4. *Anthrop.* 2. *f.* 386. vidit *ventriculos anteriores aliqua ex parte pervios esse in nares?* Quæ vox ne te ambiguum teneat, *ibid. f.* 391. *ventriculos dictos perforatos esse lateraliter ait in processus, adeóque foramen illud instar fissuræ evidentius apparere in senibus?* Novi ego: sed & novi illa *l.* 5. *c.* 50. *f.* 564. *Ventriculi anteriores non sunt antrorsum perforati, & in nares pervij.*

Tantæ molis erat vagrandem condere librum!

Atqui Gal. etiam docuit 8. *Vs. p.* 6. *M.* & demonstraturum se promisit *l. de*
E *Instr. odor.* 4. *C*? Vellem ego Galenus fecisset, quæ fabulator Æsopus illum iubebat, *Heic Rhodus, heic salta!* Et hoc est, quod laboriosissimus Foësius alicubi ait, *Pulcrum est aliò reiicere, de quo diffidas.* Apud me enim certum est, non magis illum hoc præstare posse, quàm motum cerebri demonstrare in *l. de Vsu resp. extr.*

Venerunt quidem boni viri in eas cogitationes, & hunc *de Vs. resp.* librum, & illum *de Instr. odor.* esse mutilum: ego verò vtrumque promissum in censu τῶν ἀδυνάτων habeo. Cæterùm, quoniam processus hi sunt nervis odoratoriis instar operculi, quid si sint illud, de quo ex Arist. *cap. sup.* dixi? Cer-
F tè Posthius *Obs. in Columbum*, digitum eò intendit. Qui ambagibus delectantur, ire possunt ad Fuchsium 6. *Anat.* 13. Sylvium & Heneruum, *Cal.* 13. Puteum 4. *Apol. f.* 131. Cuneum, *f.* 83. Mea sententia si cui non satis confirmata videbitur, non mirabor: quin dicam cum Vesalio 7. *Magn. Op.* 13. & *Ex. Obs. f.* 29. *N L.*

An pro stabilienda illa hoc etiam dici potest, propterea animalia prona, & inter hæc præcipuè canes & feles tantoperè præstare hoc sensu, quòd in illis, & processus sint valde insignes, vaccini vberis instar ingredientes ipsum os ethmoides, & nervi ipsi magni, quos etiam processus quasi in sinum suum recipiunt, quod video Vesalium quoque docere *in Examine*: in homine contrà processus ipsi vix vmbram præ se ferunt papillarum, &
G nervi vix contingunt? Certè Arist. ob id, *l. de Sensu*, 4. & Theoph. *l. de Odor.* docent, nos sensum hunc ideò habere χείριστον, *deteriorem.* Ita enim capiendum esse Superlativum pro χείρονα, docuit me Ill. Casaubonus *in Charact. Theoph. f.* 243.

CAPVT

CAPVT CCXLVI.

De NERVIS odoratoriis.

CVm Gal. 8.*V∫.p.6. M.9.* eiusdem 8.*A.* & rursus 9.*A.* disertè habeat in numero nervorum, adeòque in prima acie collocet: quid causæ dicemus, cur non octo potiùs paria faciat, quàm septem? Iam dixi *superius*, sequi illum Marinum, qui propter duas causas excludebat, vt Gal. ipse est autor. A

Primò, Non excidunt calvariâ. Secundò, Non producunt ex se alios nervos. At, ô Marine, tu nervos dicis reliquos omnes etiam antequàm calvariâ excidant? antequàm de se dent propagines? Præterea, nervus opticus non producit vlla germina. Igitur, quia nervi sunt, & habent officium nervi, nec vlla causa sontica inveniri potest, cur excludantur numero nervorum: quò collocabimus? Non secundo loco post opticos, quod facit Piccolominus, ne turbetur ordo receptus: sed vltimo, vt fiat octavum par. Huius facti ducem habeo Spigel. meum *l.7.c.2.extr.* B

CAPVT CCXLVII.

De MVSCVLIS narium.

GAl. 11.*V∫.p.17.A.* 2.*in* 6.*Epid. agr.7.A.* & alibi docet, Motum alarum nasi servire magnis inspirationibus & exspirationibus. Et est ita: sed reverà servit etiam odoribus, vt eruditè observat Varolius 1.*Anat.*5. Sed quibus & quot musculis fit? Gal. *de Anat.musc.*3. duos tantùm proponit. A

Hos Columbus *l.4. c.5. & 6.* dicit esse portiones musculorum labij superioris: ideò substituit duos alios. Vesal. *l.2. c.13.* quatuor facit, externos seu dilatantes duos, qui iidem sunt Galenici: internos, seu constringentes duos. Fall. 2.*Obs.5.* octo proponit, quatuor externos, qui aperiunt: quatuor internos, qui constringunt. Hunc sequitur præceptor Bauh. 3. *Theat.64.* Quod verò tu mireris, Casserius *l.3.s.1.c.7.* vno contentus est.

Quare hoc accipe. Variat numerus pro constitutione nasi. In bene nasutis, qui iidem calidiores, & indigent validis inspirationibus, multi sunt: contrà in iis, qui nasum habent compressum, ferè frigidi sunt, & paucioribus indigent. Hoc meum dogma verisimilius tibi faciat exercitatiss. Riolanus, qui ait 5.*Anthrop.*12. se in nasutis tantùm invenisse numerum octonarium, quem ille tamen paulò aliter init. Hoc igitur obaudiendum fuerit Spigelio quoque nostro 4.*Anat.5.* B

CAPVT CCXLVIII.
De LINGVA, & gustu.

A SCitè ingeniosiss. Riolanus 4. *Anthrop.* 8. lingua pars quidem minima: sed quæ totam navim aut evertit, aut servat. Hoc vt ad Politicos pertinet: ita ad Medicos illud, quod Hipp. Arist. Gal. vnanimiter docent, ex linguâ indicium sumi posse de plerisque omnibus morbis.

Huius rei causam diu quæsivi, etiam postquàm intellexi, Sanctorium 10. *Error.* in dubium vocare. Dedit hanc mihi tandem idem Riolanus. Lingua vult dicere, attingit Cerebrum propter situm: attingit Thoracem ratione asperæ-arteriæ: attingit Abdomen ratione œsophagi. Quin nutritioni, quæ in abdomine fit, servit ratione masticationis: servit thoraci ratione vocis & loquelæ: servit cerebro ratione sermonis, qui nuncius est Rationis.

B Hæc vt pulcerrimè dixeris: ita Medico non satisfacere rectè dixeris. Propterea addere oportet, Fiunt hæc omnia ratione tunicæ succingentis. Hæc enim cùm dependeat à dura matre, in promtu causa est, cur *συμπάθειαν* habeat cum cerebro. Eadem cùm deorsum feratur, per asperam quidem arteriam in pulmones; per œsophagum autē in ventriculum: ratio constat, cur vtrique huic ventri *συμπάσχῃ*. Sed quæ est pars in lingua, per quam partem ista omnia percipimus? Caro eius, tam illa, quam spongiosum linguæ corpus appellant Anatomici: quàm illa, quæ musculorum fibris aspergitur. Hæc meliùs intelligentur ex iis, quæ de tactûs instrumento dicentur.

CAPVT CCXLIX.
De nervis gustatoriis.

COlumbus *l.* 8. *c.* 3. invehitur in Gal. & Vesal. qui tertium par fecerint gustatorium, cùm quarti sit hoc officium. Ego verò perquàm miror, cur nescire voluerit, & tertio & quarto tribui hoc muneris à Marino, de cuius mente est distichum illud *suprà c.* 208. Sed sit hoc nihil: quia Recentiorum plerique viderunt, tertium etiam par huc itare, quid opus est pluribus? Nempe enim vbique ferè in oculis & animo circumferenda est *ῥᾳδιουργία* mea vulgaris, NATVRA ludit. Tum verò si vnusquisque scribit, quod offendit, quid mali est? Spondeo tibi, quisquis es, inventurum te varietates tales multas, si tædium ferre possis, & in secando, & in conferendo.

CAPVT CCL.

De motu linguæ.

NOn ego hoc ago, vt de numero musculorum cum quoquam contendam: sed vt duo moneam ex Arantio, *Obs.*27. Alterum horum est, Moveri linguam vel primò, & per se, super basi sua, quæ est os ὑψιλοειδὲς dictum, quiescente osse ipso: vel per accidens, moto osse iam dicto: vel vtroque corpore moto, & in vnam actionem conspirante. Alterum, In tanta instrumentorum, vel simul agentium, vel seorsim, perplexitate, vix dici posse, vnde & cuius partis sit motus hic vel ille? Hac de re plura legeris *Obs.*22. *& seq.* vbi illa quoque agitatur quæstio, Quo modo fiat linguæ extra dentes, labiáque exsertio? Est hoc inter amœnitates, quas suo loco & tempore non aspernor.

CAPVT CCLI.

De partibus LINGVAM circumstantibus.

De osse Yoide dicto.

ITa quidem scribam, sed pronunciabo, vt nuper, Ypsiloides, partim, vt exeam harâ, in qua nostri hospitantur, partim, vt ostendam originationem, quam dedit A

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni.

De huius musculis hoc do Galeni hostibus, Non satis notos fuisse illo seculo. Quid inde verò! Postquàm diligentia nostrorum in lucem protraxit, vtere luce illâ, nec porrò Galenum lacesse.

De iisdem non possum acceptare, quod confusè dicunt quidam, Os quidem basin esse linguæ, vndè etiam Os-linguæ dicatur: musculos autem ipsius æqualiter tendere linguam, adeóque in motu tonico esse, qui perpetuam requirit actionem. Vt enim non dicam, quod eruditiss. Riolanus 4. *Anthrop.*9. B impossibilem heic esse motum illum apud Gal. quoque: si ita est, vt dicunt, inutiles sunt omnes, & nullum penitus motum edunt, cùm plurimos, eósque valde diversos lingua requirat.

Vide Laur. 3. *Anat. q.* 26. & considera.

Contrà, vix etiam assentior illis, qui nimis distinctè agunt in motibus ossis huius. Quin ita puto cum Arantio *Obs.*26. *&* 27. (meminit Bauhin. 3. *Theat.*88. *in marg.*) Os hoc sive basis linguæ sit, sive non sit, sine lingua non moveri. Hoc inprimis probat firmissima vtriusque partis musculorum connexio. Per hos, vt pronuper dixi, cùm motus fiant tantùm non innumeri, & fiant

fiant mutuas operas præstante parte vtraque: quis adeò sagaci mente sit, qui comprehendere illos possit? nedum sensu assequi?

C Quamobrem satius mihi visum fuit indicâsse hoc tantùm, quàm multa verba perdidisse. Tamen si vis, adire potes Fall. 2.*Obs.*8. Vesal. in *Ex.f.*54. ne de magno opere dicam, contra quod insurgit Puteus 2.*Apol.f.*72.*b.* sed defendit Cuneus *f.*46. Ipsum os quatenus in homine & simia conveniat, aut non conveniat, dicat tibi idem Cuneus *f.*28. sed fusiùs Eustach. *Ex.Oss.f.*96. In homine quantopere variet, narrabit tibi Fall. 1.*Obs.*15. & stabiliet Vesal. *Ex.f.*34. Nimirum, vtitur Natura heic quoque libertate suâ.

CAPVT CCLII.

De GARGAREONE.

TRibus huius particulæ vsibus à Gal. scriptis 11.*Vs.p.*11. addo ex Fall. 4. *Obs.*17. quartum, & quidem proprium, quatenus glandula est, Irrigare epiglottidem, semper instillando limpidum quid. Abundè enim suppetit materia ex tenuiori cerebri pituita. Hinc si copiosior sit illa, & multò magis si salsa, facilè lædit epiglottidem, atque ita vocem vitiat. Et hoc responsum esse volo Vesalio in *Ex.f.*158. Hoc etiam respondeo experimento Fall. *l. c.* & Bauh. 3.*Theat.*83. Gurgulio ipse, nec iuvat vocem præsentiâ suâ, nec lædit absentiâ: sed quatenus afficit epiglottidem. Et huc me etiam comitantur vlcera magna Fall. quæ non epiglottidem tantùm, sed & tonsillas, palatúmque afficiunt. Tamen videre potes Ill. Riolanum 4.*Anthrop.*13. Qui ipse docebit te, σταφυλὴν vocari, non tantùm affectum huius partis: sed & partem ipsam, cùm secundùm naturam habet. Hoc confirmo ex 10.*Simpl.c. de sero lact.C.* Vide Foës. *in Oecon.*

CAPVT CCLIII.

De TONSILLIS.

DIcuntur hæ, nostris quidem hominibus *Amygdalæ*: Græcis autem ἀντιάδες, ἢ παρίσθμια. Dicuntur verò his duabus vocibus, non ipsæ tantùm partes naturaliter se habentes: sed & cùm afficiuntur præter naturam.

Hoc inprimis instillo adolescentibus nostris, propter socordiam illorum, qui his duabus vocibus, & duas distinctas corporis partes signari volunt, & duos distinctos affectus. Hoc quia manavit, partim ex imperitia Hellenismi, partim ex vno, alteróve Gal. loco vel malè intellecto, vel corrupto: ablego harum rerum cupidos ad *l.* 1. *c.*15. aut etiam ad *Notas in Gal.* nostras. Gal. in nominibus vtitur licentiâ suâ, modò ex propria sententia loquens, modò ex aliena.

CAPVT CCLIV.

De proximo TACTVS instrumento.

QVod ex Platonis Timæo Galenus refert *9. Sent. Hipp. 9. A.* In discursibus Physicis si probabilia afferantur, acquiescendum esse: id hoc etiam loco vsurpandum mihi esse video. Facio autem hinc exordium. A

Immobile est principium, *Natura non facit saltum.* Quemadmodum igitur, quod idem ait *2. Sem. 5. P.* Natura, cùm à plantis recessit, primò facit animalia, quæ Tactum (hunc sensum solet vocare Arist. sensum simpliciter, & est de essentia animalitatis, vt cum Barbaris loquar) tantummodò habent; deinde, quæ tactum cum gustu, qui tactus quidam est; mox odoratum; posteà auditum; tandem visum quoque: ita in sensoriis ipsis non est idem apparatus, sed posteriora semper sunt compositiora prioribus. B

Hoc, præterquam quòd ad oculum demonstrari potest, fit etiam hinc verisimile. Cùm animalia priora valde sint imperfecta, & perpetuò fiat progressus ab imperfectis ad perfectiora: quo modo non in sensoriis ipsis eadem est perfectionis dissimilitudo? Tactus igitur, quia est in infimo gradu, debuitque adeò diffundi per totum animal: debuit etiam instrumentum ipsius exiguum esse, & rudiusculum, ne multum loci occuparet. Eadem gustûs est ratio. Quamobrem instrumentum vtriusque omninò erit pars similaris.

Et hoc est, quod *2. Part. 1.* Arist. ait, sensum esse similarium. Idem explicat *1. Hist. 4.* primariò dicens de tactu (& gustu, subintellige) verum esse, secundariò de reliquis tribus, quæ propter partes principes (& hæ similares sunt, sed sui generis) dicuntur fieri per similares. C

Hoc modo defendi debet & potest Philosophus contra Costæum *l. 5. Disq. Physiol. f. 455.* Sed & hoc addendum fuerit. Cùm tactûs instrumentum debeat ferre iudicium de maximè contrariis, calido & frigido, duro & molli, &c. nihil horum exactè debuit habere, sed omnium aliquid. Tribus verbis, Temperatum esse oportuit, vt intemperata percipere posset. Ecquæ igitur pars in corpore est, quæ requisita hæc habeat? Nullam aliam inveneris, etiam vbi diu ponderaveris omnes & singulas, præter carnem, Arist. *1. Hist. 4. 2. Part. 1. de Sensu, 2.*

Sed quæ? Non quam lanius tractat, quámque mensæ inferimus, non, inquam, illa, quam vnà cum fibris intertextis Musculos vocamus. Et hoc est observandum contra Costæum *l. c. f. 462.* Non iterum illa, quæ est in dictis parenchymatis, hepate, liene, renibus, quod pariter contra Costæum tenendum est. Quæ tandem? Quæ simpliciter ita dicitur, & nihil aliud est, quàm sanguis recens coagulatus circum fibras musculorum, membranarum, viscerum exsanguium, omnium partium sentientium. D

Hæc caro conditiones habet anteà dictas. Est enim primùm simplicissima, non quidem ratione elementorum, cùm, non minùs ac aliæ partes, constet ex quatuor elementis: sed ratione compositionis cum aliis sensoriis
E comparatæ, quibus omnibus minùs composita est. Est deinde temperatissima, quatenus fit ex sanguine, qui omni excessu caret. Sentit igitur Caro corpora alia, sive in primis qualitatibus excedant, sive in secundis: verumtamen non sine nervis, qui canales sunt, facultatem, seu potiùs spiritus sensificos deportantes.

Hoc dico propter insolentiam eorum, qui Aristoteli, quem non intelligunt, parum æqui sunt. Cor enim est instrumentum remotum (non proximum) tactûs, quatenus calorem seu spiritus per nervos subministrat. Dico etiam propter inepta dogmata duo, nudiustertius nata, & in tenebris educata. Alterum est, nervum esse proximum tactûs instrumentum.

F Huius parentes prætexunt etiam Galenum: verùm refutat eos Casserius *l.1.sect.3. c.12.* Quis enim credat, qui audiverit, nervum esse tubum seu canalem facultatis, spiritúsve? Is ipse dicet cum Zabarella, peccari heic, vt in aliis multis, cùm affertur causa sine qua non pro vera.

Alterum est, cui iterum prætenditur Gal. 2.*Temp.1.D.* & 1.*eiusdem vlt.E.* Cutim esse proximum illud instrumentum, quod quæritur, & quia cutis membrana est, propter cutim membranas omnes. Heic primùm ego nego, vel cutim vel membranas esse temperatas, nedum temperatissima. Est enim cutis frigida, 3.*Hist.*11. & terrea, 5.*Gen*,3. Multò minùs membranæ ad temperiem
G veniunt. Sunt enim cute densiores & ficciores, 3.*Hist.*13.

Sed quid pro Galeno? Explicat se 5.*Vs. p.9.B.* iungens cuti os-ventriculi, quæ duo dicit esse *αἰσθητήειά πως, quodammodo sensoria*, propter exquisitum videlicet sensum. Vt clariùs dicam, Cutis apud Gal. non est instrumentum tactûs Physicè consideratum, à Natura in id institutum: sed, Medicè, quatenus dicit Medico, quæ corpora actu frigeant, caleant, &c. De membranis si lascivire tibi placet, adi Piccoll. 2.*Anat.*5. & iterum *l.6.c.6.*

CAPVT CCLV.

DE MAXILLA VTRAQVE, & primùm de superiore.

A VEsalius cùm 1. *Magn. Op.9.* Galeno ex 11.*Vs.p.19. l. de Oss.3.* aliquammulta obiecisset: Sylvius *Cal.6.* vnicam deligit suturam, quam esse in homine negârat Anatomicus. Is in *Ep.ad Rolandum f.93.* de hac sutura speciatim dicit in simiis esse, miratúrque, cur Galenus reprehendat veteres, qui non tantùm id nôrant: sed & in homine non esse perbellè nôrant! Ego verò multò magis Sylvium miror, qui cùm in homine etiam aliquando esse testatus esset, confugit ad metamorphoses suas, quæ in corporibus nostris accidere ait propter intemperantiam nostram! Multò maximè Henerum miror,

miror, qui, defensione suâ allatâ, reponit Sylvio multa de ἀσωτίᾳ veterum! Idem hoc etiam negat Galeno, vt & Cuneus *Apol.f.*18. solidam esse hanc maxillam.

Ego verò valde dubito, An Gal. possit heic reus peragi! Quidquid sit,& B
hoc,& omnia alia, quæ Galeno obiiciuntur à Vesal. tam *l.c.* quàm in *Ex.f.*32. Fall. 1.*Obs.*9. Columbo *l.*1. *c.*8. Cuneo *l.c.* sunt inter minutiolas, quas Medicum contemnere iubeo. Atqui à Natura sunt? Sunt lusus Naturæ, quas Physicum persequi non prohibeo: Medicum nihil necesse est. Lusus esse si mihi non credis, credes experientiss. Riolano *Com. de Oss.*10. Potes adire etiam diligentiss. Eustach. *Ex. Oss. f.*195. Quin, non posse Naturam non ludere heic, ita ostendo. Quia in varietate faciei humanæ tantopere occupata est, vt vix invenias duos, qui sibi per omnia similes sint: necessarium consequens est, vt tam ossa, quàm suturæ illorum mutentur, provt facies est rotunda, oblonga, brevis, lata, acuta &c.

CAPVT CCLVI.

De inferiore.

ANtiquissimis etiam temporibus controversum fuisse, Ex vnóne, an A
duobus ossibus constet hæc maxilla? productis in medium locis probat ὁ πολυμαθέστατος Riolanus *Com. in l. de Oss.*12. Galenus cùm duplex os in pueris agnoverit, quod in adultis coëat per σύμφυσιν: mireris, quâ fronte Vesalius *l.*1. *c.*10. & Columbus *l.*1. *c.*9. se illi opponant? Loca sunt *l. de Oss.*6. 4. *Ex. Anat.*4. *F.* 11. *V. s. p.*20. *B.* 3. *Artic.*34. Postquam Sylvius *Cal.*6. idipsum detexit: mireris ampliùs, Henerum maluisse cum Vesalio esse, quàm cum Veritate! Idem de Cuneo dicendum est *Apol. f.* 18. Nec moror ridiculum (vt Henerus vocat) Sylvij argumentum. Est enim superpondium tantùm ad αὐτοψίαν, quæ heic regnat. Candidior Vesalius. Monitus enim à Fallop. 1. *Obs.*12. consentit in *Ex. f.*32. Porrò, Galeni sententiam ampliùs corroborat Riolanus loco, quo dixi. Non pœnitenda etiam legeris apud Eustach. *Ex. Oss. f.*185.

CAPVT CCLVII.

De loco insertionis eius.

COlumbus loco iam allegato reprehendit Gal. quòd *de Oss.*6. dicat articulari ὑπὸ τὴν ἀπόφυσιν τὴν μαστοειδῆ, *sub processu mammillari*, ait Ingrassi stat ab hoc plurimùm in homine, & interest meatus auditorius. Atqui di. in *d. l. t.*2. Mihi quidem satis est excusatio eiusdem, *In simia ita est*: non possum

possum tamen non meminisse elegantis τοῦ ὑπὸ expositionis, quam in *Com.* Sylvius meditatur, Significare heic Atticè *Antè*, vel, vt ego expono, *Circa*. Neque enim frustrà cum Accusativo construit. Ita Græci dicunt, ὑπὸ τὴν νύκτα, hoc est, κατὰ τὴν νύκτα, *sub crepusculum*. Et apud Homerum, κατ' αὐγὰς ἠελίοιο, *circa diluculum*. Vide *suprà cap.*238.

CAPVT CCLVIII.

De musculo temporali, inserto illi.

A QVòd Vesalius scripserit *l.* 2. *c.* 15. vt & *Ep.ad Roland. f.*158. Galenum aliter de hoc sensisse 11. *Vs. p.*5. *B.* aliter, & quidem meliùs 4. *Ex. Anat.*4.*D.* id valde indignatur Puteus 2. *Apol. à f.*65.*b. vsque ad* 69.*b.* Sed ita est: Meliùs habet (de mente Vesal.) descriptio in *de Ex. Anat.* quia non meminit miraculosi illius tendinis, cuius in *de Vs.p.* mentio, & cui se opponit, non Vesal. tantùm, sed & Columbus *l.*5. *c.*11. Hoc non obstante, maneo in imaginatione, quam DD. Mandellus mihi impressit, vt dixi *Com.in de Vs. part.* Hanc confirmat mihi Vesalius iis verbis, *Omnes huius musculi fibras, tanquam ex tribus circuli partibus ad suum centrum procurrere, &c.* Confirmat Columbus iis, *Ob fibrarum diversitatem moveri antè, retrò, ad latera, in orbem.*

B Quid autem? Cùm vterque horum fateatur, fibras eius à circumferentia ad centrum progredi? differtne τὸ μέσον Gal. à centro? Non puto me falli, si dicam, Musculum hunc, præter alia peculiaria, hoc etiam habere, quòd ortum quidem habeat circularem: fibræ autem tantùm non miraculosè, & subitò, brevíque emenso spacio, in se coëant, tendinémque faciant, qui validissimo nexu maxillæ suæ inseritur. An non peculiare hoc quoque est, quòd situm habet quasi in fovea, introrsum veluti cedentibus ossibus, & locum illi dantibus? An non hoc quoque, quòd tendo proprium habet imbricamentum ab osse iugali? An non hoc quoque, quòd quinque habet nervos, vt doceo *in Com.* dictis? Non negabo variare posse naturam, & pauciores aliquando dare: hoc enim ipsum non nocet rebus meis.

C Accipio pro peculiari illud quoque, quod Arantius *Obs.* 29. scribit, propter huius musculi humectationem factas fuisse glandes illas, quæ post aures sunt. Talis cùm sit hic musculus, mirum non est gravissima symptomata sequi læsionem ipsius, vt ex Hipp. doceo *Com.in* 11. *Vs.p.*3. & docuit ante me Laurentius 4. *Anat.*14.

His non obstantibus, narrabo, quæ comperi hoc anno 1635. Vulneratus ad Herspruccam vicinam miles quidam in medio musculo temporali sinistro, tractatus ibi fuit per triduum, & exemtus globus Musquettæ vulgò dictus, sine vllo graviori symptomate. Inde translatus ad nos, cùm chirurgus sentiret squamas cranij, quas sine dilatatione eximere se posse diffideret, cogitavit

cogitavit de sectione. Quam cùm adstantes & vxor sine meo præscitu admittere nollent, adductus à Capitaneo, & inspecto loco negavi sine præsenti periculo fieri posse tale quid. Pertendit Chirurgus, &, me obluctante, incisionem facit satis magnam. Cùm exemisset aliquot ossicula, & persentisceret alia quoque, fecit alteram, curationémque pertexit sine caro, sine convulsione, sine alio symptomate. Verùm, cùm res in multas septimanas extenderetur, & appetitus iam ab initio prostratus subinde deficeret, mortuus est sine vllo apparente symptomate. Tale quid vidisse Pavvium, *Com.in Hipp. de Vulnerib.capitis*, didici posteà ex 5.*Cent. Obs*.9. amici olim nostri Fabricij Hildani. D

Hac historiâ non obstante, cùm inclinem ad Gal. in *de Vs.p.* adeóque Puteum ipsum: de cætero quiêsse potest Cuneus *f*.43. licèt pulcerrimæ comparationes ipsius cum folio tiliæ, &c. prorsus huc quoque cant. De cæteris musculis masticatoriis videri potest Fall. 2. *Obs*.7. & Vesal. *Ex.f*.72. Alios non accerso.

CAPVT CCLIX.

DE DENTIBVS, an sentiant?

NOn tantùm in promtu est affirmativa Gal. *l.de Oss.5. extr.* vbi ait, Solos inter ossa nervos habere, solos sentire: sed & determinatio, substantiæ dentis deberi dolorem illum, 5. κ. τόπ.8. *A*. Scribit enim, cùm doleret aliquando dentes, diligenter se observâsse, quâ parte exactè sit dolor? & deprehendisse, in ipso dente non dolorem duntaxat esse, sed & pulsatorium. A

Quo loco animadversione dignum est, quod dicit, Se testimonium præbiturum illis, qui id ipsum dicant χωρὶς λογικῆς τε καὶ φυσικῆς ἀποδείξεως. Hoc enim videtur mihi velle dicere, *Vbi sensu res indicari potest, demonstratione opus non est.* Hunc sensum Columbus *l.*1. *c.*10. confirmat experientiâ civis cuiusdam sui, qui impium etiam votum addiderit, Optare se eos, qui non credunt, per tot annos laborent dentium dolore, per quot ille laborârit! Sed reverà cadunt causâ & actor & testis, dum imprudentes concedunt, dolere dentis partem non illam, quæ prominet extra gingivas, sed illam, quæ gingivis tecta est. Si enim dens, sive quà dens, sive quà os, non dolet, quei dici potest, quod dicitur? Oppono etiam illud, quod Gal. 16.*Vs.p.*2.*C*. in genere de ossibus dicit, non debuisse sentire. Mass. 1. *Pract.*32. defert huic Gal. affectioni. B

Nec quidquam valet ratio, Soli dentes sentiunt: quia soli nervos habent. Non enim ingrediuntur nervi substantiam dentis, sed desinunt in membranam, quæ cavitatem ipsorum quasi inungit, & simul venam cum arteria recipit. Et huius membranæ ratione sentiunt, vt Fall. docet 1.*Obs*.13. Et hoc est, quod SCHERBIVS senex docuit me iuvenem: Dens non sentit, adeóque C

Vide Bonamicum 5. *Alim.* 33.

non dolet, nisi alteratio ad hanc perveniat membranam. Est enim dens corpus densum quidem, sed porosum, vt aurum. Sed & absque alteratione, a solutione continui, quam humores influentes causantur, tendi potest membrana, putrescere, &c. Vide *Com. in* 11. *Vs. p.* 8.

Sed qui sunt nervi illi, & vnde orti? Apud Gal. quidem tenebræ sunt densissimæ: apud Vesalium autem tantò maior lux, quò latiùs se illa extendit. Atque hoc per iocum dico. Quod enim dolendum est, plerique nudo capite illum sequuntur: Quidam vix verbo attingunt: quidam prorsùs tacent. Adeò certi sunt de re! Tu verò hæc habeto tibi. A tertio & quarto Marini pari nervos dentium esse, vt & linguæ, consensus est. Ab huius maiori seu crassiori ramo Vesal. *l.* 4. *c.* 6. vt & in *Icone præmissa*, *S. T.* duas educit soboles, quarum altera singulis superioris maxillæ dentibus (aut potiùs, singulorum radicibus) singulas dat propagines: altera inferioris.

D

Huius iconem repræsentant, sed & iisdem penè verbis in expositione vtuntur, quasi idem omnes vidissent, Valverda, Platerus, Laurentius, Bauhinus, Spigelius & Casserius. Falloppius, qui præ cæteris diligentiæ laudem habet, 3. *Obs.* 17. in descriptione satis longa dictorum parium, vix meminit *extremorum maxillarium.* Columb. *l.* 8. *c.* 3. ita loquitur, vt satis appareat ex aliena fide loqui. Laur. *l.* 4. *c.* 10. tantùm *radices dentium* habet. Piccollominus ne meminit quidem dentium. Admirabilis Riol. 4. *Anthrop.* 2. ex tertio quidem pari singulis maxillæ inferioris dentibus surculos tribuit: quartum autem totum ablegat ad oculum. Heic vbi superior maxilla est?

E

Quò magis hodiéque necessaria fuerit industria Eustachij, qui *tract. de Dent. c.* 20. *&* 21. valde satagit, vt ostendat nervos. Verùm ille labi mihi videtur in eo, quòd indaginis initium ab ipsis dentibus sumit, sursum ad cerebrum eundo. Debebat enim vtique à cerebro deorsum ire ad dentes. Sed neq; necessarium est, vt in ipsis dentibus nervi sub aspectum veniant. Quemadmodum enim (hoc ipsemet vtitur exemplo) in albo oculi, quamdiu secundùm naturam se habet, non apparent vlla vasa; apparent autem in inflammatione oculorum: ita in dentibus fieri potest.

F

Sed quo modo sentiunt dentes? Explicat quidem fusè idem Eustach. *d. tract. c.* 25. sed in pauca confert Varolius 3. *Anat.* 1. Sicut cutis sentit, inquit, per cuticulam insensilem: ita dentis membrana (medullam vocat ipse) qualitates tactiles per os, destitutum omni sensu. Ita (pergit ille) membrana nervea sub vnguibus locata sentit calidum & frigidum, per vngues nullo sensu præditos. Hinc intelligitur, cur secentur, limâ atterantur, sine vllo dolore? Vide Aretæum 2. *Chron.* 12.

CAPVT

CAPVT CCLX.

An perpetuò augeantur?

VErba Philoſophi ſunt 2. *Gen.* 6. αὐξάνονται δὲ διὰ βίου μόνοι τῶν ἄλλων ὀστῶν. Τοῦτο δὲ δῆλον ἐπὶ τῶν παρεγκλινόντων καὶ ἀψαυω̃ τῶν ἀλλήλων. Hæc videtur deſcribere Gal. 5. κ. τόπ. 8. *C.* vbi Interpres ait, *Ex nutrimento ferè per omnem animantis ætatem incrementum accipiunt. Id, quod euidenter ſæpe apparet in his dentibus, qui exemtis oppoſiti ſunt, vtpote qui ſemper augeſcunt. Quantùm verò augentur, tantùm in ciborum manſu deteruntur.* A

Riolánus noſter, ne *Com. in l. de Oſſ.* eſſet voto minor, cùm Gal. *c.* 3. *libri dicti* ſophiſtas vocâſſet eos, qui dubitant, An dentes ſint oſſa? conquirit argumenta, quibus vſos fuiſſe iſtos veriſimile ſit, ad quæ etiam reſponſiones parat.

Inter hæc argumenta vnum eſt, quòd dentibus hoc ſit proprium, creſcere ad extremam vſque vitæ periodum. Hoc ille confirmat tribus fabulis, quarum prima ex Matthiolo eſt *Com. in Dioſc. l.* 2. *c.* 43. quà de muribus Alpinis. Altera ex Scaligero contra Cardanum, *Exerc.* 271. *n.* 2. Tertia ex Ariſt. adſcriptis *mirab. auſcult.* Verumenimverò fruſtra fuiſſe hæc allata concedit ipſus, cùm poſteà ex Euſtachio *d. tract. c.* 15. ex Hipp. & αὐτοψίᾳ docenti ſubſcribat, Dentes omnes (etiam eos, qui ſuccedunt elapſis) in vtero naſci. Hinc enim deduco ego, Si extra vterum non naſcuntur, non augentur etiam. Eius enim auctio eſt, quod iam eſt. Quòd verò non augeantur ij, qui oppoſitum dentem non habent, puto me ſatis probâſſe *Com. in de Vſ. p. l. c.* De ipſa dentium generatione legeris non iniucunda quædam apud Fall. 1. *Obſ.* 14. B

CAPVT CCLXI.

An appendices habeant?

VEſal. quidem *l.* 1. *c.* 11. non vnâ experientiâ, quin ſuperſtructo præcepto practico, firmat illas. Sed cùm Fall. *Obſ. l. c.* negâſſet, ad palinodiam conuerſus *Ex. f.* 33. victum ſe fatetur. Quod ipſum ſi feciſſet in cauitate à ſe inuenta, feciſſet ſe dignum. Idem de Cuneo dixerim, qui *Apol. f.* 19. temerè ſe opponit Puteo *l.* 1. *f.* 29. De vtroque hoc negotio legeris quædam apud Euſtach. *d. tract. c.* 2.

CAPVT CCLXII.

De Facie.

De FRONTE.

MVſculos huius binos fibras habere, non rectas, ſed obliquas, valde contendit Columbus *l.5.c.3.* contra Gal. vt ait, & Veſalium. Quod quia memini diligenter nobis inculcare Ill. D. ab Aquapend. volui eius rei heîc quoque mentionem facere.

Eſt autem obliquitas, ne quis hæſitet, ab externis ad interna. Alter enim & dexter à ſummis temporibus incipiens versùs naſum tendit: quemadmodum ſiniſter ibidem ortum habens deſinit etiam in naſum. Tibi ſi invertere placet, & initium in naſo facere, finem autem in temporibus, neque lucrum, neque damnum vllum inde ſperandum eſt. Vna enim indicatio eſt, ne, ſi quidem tumor ibi ſit aperiendus, Chirurgus recto ductu cum novacula non incedat, ſed obliquo.

CAPVT CCLXIII.

De muſculis labiorum.

CVm Veſal. *l.2.c.13.* accuſaſſet Galenum, quòd nullam ferè mentionem fecerit muſculorum, præterquàm quadrati à ſe inventi: Bauhinus *3. Theat.* 70. ablegat illum ad 11. *Vſ.p.4. & 5.* quin potiſſimùm *ad* 16. Et hoc mihi nunc ſatis eſto.

CAPVT CCLXIV.

De barba viri.

A GAl. 11.*Vſ. p.*14. *A. κόσμόν τινα, καὶ σεμνότητα* ait eſſe ea in re. Quo loco, niſi obſtaret τὸ κόσμος, libenter converterem τὸ σεμνὸς in malam partem, & *Horribilis* vel *Terribilis* interpretarer. Nunc quia non licet, cupio intelligere à Gal. qua in re conſiſtat vel *Gravitas* illa, vel *Maieſtas*, vel *Autoritas*, vel *Severitas*, vel denique *Sanctimonia*, quam Latini nobis dant?

Putabam olim me inventurum in prægrandi Vlmi cuiuſdam libro, qui inſcribitur, *de vſu barbæ humanæ*: ſed fruſtratus ſpe, abieci inutiles chartas cum indignatione. Ego putârim rem totam conſiſtere in conſuetudine

& imaginatione hominum. Quemadmodum enim aliæ gentes alebant comam, aliæ tondebantur: ita barbatæ erant quædam, imberbes aliæ. Imò in B vna gente modò hoc erat decorum, modò illud. De capillitio locus est apud Gal. 4. *in 6. Epid. 9. G.* vbi ait, Marcum Imp. cum tota aula sua ad cutem vsque detonsum fuisse: Lucium contrà cum suis comam aluisse, vocando alteros illos Mimos.

De barba certum est, veteres Romanos plerosque fuisse imberbes. Rom. Imperatorum alij fuerunt barbati, quod de Traiano alicubi legi: alij rasi. Ille certè, cuius statua equestris Romæ in Capitolio visitur, sive is Marcus fuerit, sive Lucius, eius in imperio socius (dubitat enim Marlianus *in Topogr. Romæ*) barbam alebat, ideò à Gal. pro Marco non agnosceretur. Sed cur Natura voluit nos barbatos esse? Vt sit indicium virilitatis, ait Platerus *in quæst. posth. n.* 36. Ego verò valde Nescio. Imò verò credo Fall. *l. de Simil. c.* 19. ne esse quidem à Natura, sive primo Naturæ instituto: sed casu, aut (vt se explicat vir magnus) per consequentiam temperamenti. Vir enim est siccior.

Et hæc de Capite etiam, cum pertinentibus eò partibus: superest

---

CAPVT CCLXV.

De Artvbvs, & primùm de Manibvs.

De SCAPVLARVM processibus.

Constanter docet Gal. tribus locis, *de Oss.* 14. *ext.* 1. *Ex. Anat. vlt. C.* 1. *Art.* 2. processus scapularum minoris & interioris duo esse nomina, dicique vel ἀγκυροειδῆ, vel κορακοειδῆ. Ab hoc consensu quia alienus est 13. *Vs. part.* 12. *extr.* dico, Vitiosum esse locum illum, & corrigendum ad amussim reliquorum trium, hoc fortassis modo. Ὑπὸ δὲ τῆς ἀποφύσεως τῆς ὠμοπλάτης, ἄνωθεν μὲν τὸ κατὰ τὸ ἀκρώμιον· ἔσωθεν δὲ τῆς ἀγκυροειδοῦς τε καὶ κορακοειδοῦς ὀνομαζομένης. Si cui placeat τὸ σιγμοειδὲς etiam, habebo pro tertia appellatione vnius illius processus. Hac in re favitorem habebit, & Vesal. *l.* 1. *cap.* 21. & Bauhin. 2. *Theat.* 31. Hoc admisso, non ampliùs erit imaginarius hic processus, vt quidam nugatur. Imaginarium autem reverà est os tertium maioris seu superioris processus, de quo osse Gal. eodem 13. *Vs. part.* 11. *extr.* & alibi. Vide Vesal. non tantùm *l. c.* sed *in Ep. ad Roland. f.* 53. & 100. Item Columbum *l.* 1. *c.* 21.

CAPVT CCLXVI.

De BRACHII musculis.

DIgitum ego heic tantùm intendo in Fall. 2.*Obs.*12. & Vesal. *Ex.f.*56. quatenus illi causam Gal. agunt. De toto negotio qui iudicare velit, sine meo indicio scierit, cui vestigio sibi insistendum sit.

CAPVT CCLXVII.

De Osse.

QVia Gal. *de Oss.*16. *A.* vult, hoc os omnium ossium esse maximum, πλὴν τοῦ μηροῦ, *excepto femore*; id verò non est, si quis tibiæ os cum illo componat: quid dicemus, ô amici? Ingrass. *in Com.* tripliciter excusat. Primò, Causatur loci vitium. Fortè legendum est, inquit, absque dictionibus illis, *Præter femur*, seu *Excepto femore.* Quoniam (pergit) omnium, intelligendo huc vsque prædictorum ossium maximum humeri os proferre Gal. voluerit. Secundò, Fortè legendum loco illorum, εἰρημένων &c. Tertiò, Fortè, πλὴν τοῦ σκέλους, *excepto crure.* Tuum verò fuerit (addit) in tam aperta falsitate, præter omnem excusationem, Galenum condemnare. Et hoc de mente quoque mea est: παρόραμα est, vt non pauca alia in hoc libello. In hoc consentit etiam Columbus *l.*1. *c.*33. quem vide. Si vis, Eustachium adi, *Ex.Oss.f.*191. Riolanum,*Com.in h.l.* Sylvium & Henerum,*Cal.*8. vbi etiam minutias quasdam offendes de figura huius ossis. Ita loquor: quia variant ista.

CAPVT CCLXVIII.

De processibus eius inferioribus, quà cubito articulatur.

A VErba Gal. sunt eodem loco, καὶ διὰ τοῦτο πολὺ μείζων φαίνεται τοῦ ἔξω, καί τοι βραχὺ μείζων ὑπάρχων. Super his consultus olim à me per literas doctiss. & amiciss. SPIGELIVS, respondit, videri sibi legendum esse vtrobique μείων, *minor.* Ego verò hoc non agebam, qui sciebam, internum processum ferè maiorem esse externo: sed in oratione desiderabam maius lumen. Hoc habebimus, si deleverimus illa, καί τοι βραχὺ μείζων ὑπάρχων. Si cui hæc medicina violentior esse videbitur, cum Ingrass. *in Com.* legat in priori solùm membro μείων, & exponat, *Quamvis interior processus*

cessus longè minor sit exteriore : tamen maior videtur esse, quia nudus ferè est.

Heic aliquis, Quei concoquam hoc, quòd hi quidem dicant aliud, illi iterum aliud? éstne sensus heic fallax? Non est: sed est id, quod nuperrimè dixi, Variant ista pro ratione individuorum. Neque enim Natura consistit perpetuò in puncto aliquo. Vide iterum Riolanum. Cæterùm, processus, quos dixi, esse in primâ hominis ætate appendices, videri voluit primus observâsse Fall. 1.*Obs.*25. Verùm negat hoc illi Vesal.*in Ex.f.*42.Et profectò Columbus etiam hoc nôrat, vt est *l.*1. *c.*23. *&* 24. De cartilagine ossescente eiusdem Fall. vt de aliis quoque quid iudicet Vesalius, intelligere possunt qui volent, ex ipsomet. B

CAPVT CCLXIX.

De CVBITI musculis & vasis.

QVanta sit in vniversum in his musculis varietas & obscuritas apud Gal. dicat tibi Vesalius 2. *Magn. Op.*46. *extr.* Quin *in Ep. ad Roland. f.*62. scribit, Omnia ridiculè esse conficta. In specie de obliquorum χιασμῶ, quæ habet 2.*Vs.p.*7.*A.* refutantur ab omnibus Anatomicis. Palpitat tamen Puteus 2. *Apol. f.*103. cui respondet Cuneus *f.*61. Vide *Com.* nostra *in d. l.* De vasis ex *Ep.*iam dictâ *f.*75. intelliges, Esse in illis quoque insignem varietatē.

CAPVT CCLXX.

De processibus eius, quibus brachio articulatur.

HOs quoque appendices fuisse, videri vult primus observâsse Fall. *l.c.* sed negat illi Vesal. Litigant alij, Recténe an secus κορωναὶ dicantur? Vtra sit maior? Mihi non vacat ad hæc talia. Vide Riolanum *Com.*23. Eustach. *Ex. Oss. f.*202.

CAPVT CCLXXI.

De processu styloide, qui inferiùs est ad carpum.

VEsalius & Columbus heic dant mutuas operas in accusando Gal. de obliquis manûs motibus. Vicissim in defendendo sudant Eustachius *d.l. f.*203. Riol. *d.l.* Puteus *f.*100.*b.* Contrà it Vesalius ipse *in Ex.Obs.Fall.f.*44. & *Ep.ad.Rol.f.*103. pro Vesalio Cuneus *f.*61. Ingrass. *Com.de Oss.*16.*t.*4.

CAPVT

CAPVT CCLXXII.

De CARPI Oßium ſubſtantia & numero.

DE ſubſtantia maneo in ſententia, quam dixi *Com.in 2.Vſ.p.*8.etiam poſtquam vidi, quæ pro defenſione Gal. meditatur ὁ πολυμαθέςατος Riolanus *Com.*24. Idem *ibid.* de numero fusè, de quo etiam Euſtach. *Ex.Oſſ.f.*177. Nemini invideo laudem ſuam, ſi quam meretur. Ita dico : quia multæ vanitates apud eos quoque, vbi minimè ſperes. De octavo oſſe vulgò dicto, Veſalij quarto, hoc moneo ex eodem Euſtachio *f.*208. quò Puteus etiam inclinat *l.*1.*Apol.extr.* Siquidem adſit, videri accenſendum eſſe τοῖς σησαμοειδέσι, de quibus *paulò pòſt.* Quæ alternant inter ſe docti de hoc ipſo, legere potes apud Veſal. 1. *Magn. Op.*25. *Ep.* item *ad Rol. f.*54. Fall. 1.*Obſ.*25. Veſal. *in Ex.f.*44. Bauh.4.*Theat.*27. *in marg.*

CAPVT CCLXXIII.

De articulatione eorundem.

IN hac cùm Gal. videatur ſibi non conſtare, vindicias, qui volet, promat ex pharetrâ doctiſſ. Riolani, *Com.*24. Fortaſſis & Bauh. ſatisfecerit, quo loco dixi. Contra Gal. pugnat etiam Fall. 1.*Obſ.*26. Veſal. *in Ex.f.*43.

CAPVT CCLXXIV.

De METACARPI articulatione, tam cum Carpo, quàm cum digitis, vt & digitorum inter ſe.

PAucis me abſolvo. Metacarpus, cum carpo iungitur per συναρθρωσιν: cum digitis per διαρθρωσιν. Vis diſtinctius quid ? Ibi quidem ἁρμονία eſt : heic autem vel ἐναρθρωσις, vel ἀρθρωδία. Tu verò fortaſſis. Hoccine eſt diſtinctè docere ? Eſt : quia Natura modò hanc, modò illam facit. Sed & in imaginatione multum eſt poſitum. Provt enim quiſque concipit vel magnam vel parvam cavitatem, & conſequenter caput : ita vel hæc, vel illa eſt. Digitorum oſſa indubitatò per ginglymum iunguntur. Videſis *Columb.l.*3.*c.*4. Riol.*c.*25. Bauhin. *c.*28.

CAPVT CCLXXV.

De Metacarpo in vola manûs, cum instrato Tendine lato dicto.

QVàm pueriles errores Cuneus *Apol.f.*53. obiiciat antagonistæ suo Puteo, *f.*88.*b.* non repeto. Non vrgeo etiam, quod Vesal. rectè docet, Tendinem ab omnibus Anatomicis dictum in vola manûs latescere, non esse immediatè sub cute; sed interesse membranam carnosam, adipe heic loci duriore, quàm in aliis partibus obsitam: sed duo in dubium voco, Substantiam & Vsum huius ab omnibus dicti tendinis. De substantia, & inde dependente denominatione cùm audio, Esse tendinem palmaris dicti musculi, qui tamen tendo adsit, etiam cùm musculus abest: toto animo resilio. Quo modo enim adest pars accidentaria absente essentiali? A

Rursus, cùm palmaris iam habeat tendinem longum & teretem, qui in carpo finem habet: quis exemplum simile mihi det, tendinem scilicet enasci è tendine? & esse hac ratione tendinis tendinem? Imò verò, aiunt, est vnus tendo, qui ab initio teres est, & posteà dilatatur. Quò minùs id credam, facit substantiæ diversitas, quæ est inter teretem illum, & latum hunc tendinem. Facit & varietas pro ratione individuorum, de qua iidem. Quin (vt brevibus me expediam) hic, de quo agimus, tendo, non est tendo, sed membrana carnosa, adipe multo, eóque duriusculo, & carne copiosiore constans, de qua carne, post Vesal. 2.*Magn.Op.* 42. loquatur tibi Riolanus 5. *Anthrop.*27. aut etiam Bauh. 4.*Theat.*13.*extr.*

Abesse aliquãdo musculum scribit Fall. 2. *Obs.*14. Aliquando geminum esse ait idem *c.*19. Quàm variet, docet in *Ex. Vesal.f.*71. B

Nec dimoveris me à sententia, si membranam carnosam à tendine distinctam mihi ostenderis. Ostendes enim membranam carnosam duplicatam, vt multis locis fit, præsertim in pinguiculis. Vide Spig. 4. *Anat.*18. Quod ad vsum, ait Gal. disertè 2.*Vs. p.*2. *A.* non fuisse illi commissum vllum vllius digiti motum. Scio ego, quid *Com. in d. l.* attulerim: id verò totum nunc retracto. Scio etiam, quid non dixerim, quod (inquam) alij fortè dictum velint, Vsus, quos *cap. seq.* numerat Gal. Hoc enim ipso silentio innuere volui, esse me cum Vesalio, qui *cap.*41.*praced.* tantùm non irridet. Hinc iudicent sapientes, quid sentiendum sit de observatione Columbi *l.*5. *c.*33. in furibus non esse tendinem hunc commentitium. Est, in quibus membrana carnosa est duplex: non est, in quibus simplex. C

Cæterùm, vt de vsibus fabulosis etiam aliquid dicam. Puteus *l.*2. *Apol. f.*90. Curtium accusat, qui *Com. in Mundinum* scripserit, hunc tendinem facere, vt manus meliùs sentiat. Columbus sensum quidem acceptat: sed depilem facere volam negat. Spigelius refutat vtrumque. D

CAPVT CCLXXVI.

De DIGITORVM motibus.

QVia αὐτοψία stat pro Vesalio *l.2. c.42.* adeóque Cuneus *in Apol. f.54.* soli meridiano exponit: nec afferam ego deliramenta Putei *f.92.b.* nec cuiquam vt legat consuluero. Nihil enim aliud sunt, quàm

Ambages longæ, longáque iniuria.——

Idem penè iudico de Fall. 2.*Obs.19.* & Vesal. *in Ex.f.71.* prolixis narrationibus. Latent enim talia in obscuro, ne dicam vix digna esse liberali cognitione.

CAPVT CCLXXVII.

De substantia ossium.

AMplector etiamnum sententiam Vesalij & Columbi, vtriusque *l.1.c.1.* vt amplexus sum *Com.in* 1. *Vs.p.15.extr.* Tibi si ridere vacat, lege, quæ de hoc negotio commentantur Sylvius & Heneras *Cal.9.* Non risum, sed iustam indignationem meretur verbosa maledicentia Putei, *Apol.l.1.f.47.* quam brevi & rotundâ explicatione retundit Cuneus *f.26.*

CAPVT CCLXXVIII.

De eorundem appendicibus.

EX iis, quæ de his commemorat Vesal. *in Ex.f.45.* contra Fallop. 1.*Obs.27.* hoc tantùm capio, quod vir optimus maximus fatetur, se nimiùm liberalem in his fuisse. Hoc est, quod aliàs dicitur, Qui nihil habet, nihil sibi detrahit. Et est omninò modus aliquis statuendus in his, præsertim Medico, cui pro cynosura est vsus.

CAPVT CCLXXIX.

Locus Galeni fusè expositus.

A CVm Arist. 4.*Part.10.* dixisset, digitum medium esse longissimum, ὥσπερ κώπη μέσον νεώς, *tanquam remus navigij medius*, vt Gaza vertit:

Gal-

Gal. I. *Vs. p.*24. *A.* explicans ait, καθάπερ, οἶμαι, κἂν τῇ τριήρει τὰ πέρατα κωπῶν εἰς ἴσον ἐξικνεῖται, καί τοι γ' οὐκ ἴσων ἁπασῶν οὐσῶν. Καὶ γὰρ οὖν κἀκεῖ τὰς μέσας μεγίστας ἀπεργάζονται. Quaſi diceret, *Quemadmodum in navibus longis (quæ remis aguntur) remi ipſi non ſunt eiuſdem longitudinis, ſed qui in media navi ſunt, iidem ſunt etiam longiſſimi, qui tamen in ipſo remigandi actu ſunt inter ſe æquales: ita digiti in manu non ſunt eiuſdem longitudinis, medius quippe longiſſimus eſt, qui tamen in apprehendendo fit æqualis reliquis.* Heic vterque autor διαῤῥήδην affirmat, medios remos eſſe longiſſimos. Hoc ipſum demonſtratione conficit Ariſt. *in quæſt. Mech. n.*5. quam Monantholius interpres includit hoc ſyllogiſmo.

Vidi in pueritia mea B hominẽ ruſticanũ, cuius in vtraque manu omnes digiti erant eiuſdẽ longitudinis.

Ille inter remiges plus promovet navim, cuius remi pars à ſcalmo ad manubrium maior eſt, & cuius etiam pars à ſcalmo ad palmulam plurimum maris dividit.

Sed remi pars à ſcalmo ad manubrium eius, qui in medio, eſt maior, & ad palmulam eiuſdem plus maris dividit, quàm aliorum.

Ergò, qui in medio eſt, plus promovet navim.

Tu vide apud iſtum alia quoque, vti cognoſcas, totam demonſtrationis vim eò ire, Quia medij remi, quos trahunt μεσόνεοι dicti Ariſtoteli, ζυγῖται aliis, ſunt longiſſimi. Verumenimverò heic ingens exſiſtit dubium, Quæ pars navis ſit dicenda *Media?* Alia enim eſt, ſi dividas navim κατὰ τὸ ὕψος, *ſecundùm altitudinem*: alia ſi κατὰ τὸ μῆκος, *ſecundùm longitudinem.* Priorem ſententiam defendit Bayſius *l. de re navali* & verbis & picturis, è vetuſtis marmoribus captis, & ſequitur illum Scaliger in Euſeb. *n.*1230. qui poſteriorem validè impugnat. Ego verò hanc ipſam aſſero & autoritatibus, & rationibus. C

Cum Scalig. Salmaſius eſt in Miſcellis, *f.*668.

Autoritas præcipua eſt Scholiaſtis Ariſtophanis in Ranis, qui ſcribit, θρανίτης, ὁ πρὸς τὴν πρύμναν· ζυγίτης ὁ μέσος· θαλαμίτης, ὁ πρὸς τὴν πρῶραν, *Remigum ille, qui ad puppim,* θρανίτης *dicitur: qui in medio,* ζυγίτης*: qui in prora,* θαλαμίτης. Hanc vt elevare cupit vir illuſtris? Cùm ſcholia ipſa vituperare non poſſet; imò cùm optima eſſe dicat: hæc noſtra ait infarcta eſſe ex fæce ſequioris ſæculi. Facile dictu! Ego verò non credam diſſimilia hæc eſſe optimis illis, vſque dum ex melioribus ſcriptoribus contrarium oſtenderit. Atqui, dicet Bayſius, enarrator hic non poteſt fuiſſe idem, quia ſecum è diametro pugnat. Cupio intelligere, vbi ſit pugna? An, inquam, cum hoc loco pugnent alij? an potiùs hic ipſe ſecum? De priori non ero ſolicitus: puto enim inceſſere illum velle id, quòd proram vocat partem inferiorem navis, puppim ſuperiorem. Inquam ego, Cùm puppis, vbi gubernator ſedet ad clavum, ſit altior prorâ, cur illa quidem dici non poſſit ſuperior: hæc autem inferior?

Vnde dicti ſint, vide apud eundẽ D *f.* 679. & *ſeq.*

*F.*139. & 140.

Hactenus igitur inviolabilis eſt autoritas illa, nec quidquam profecit vel ille, vel hic. Rationem primam forment ipſimet. Bayſius quidem, cùm dubitat de picta ſua triremi, in tria tabulata diviſa, quomodo navis decem v.g. tabulatorum, imò quadraginta, in mari navigare potuit, exſtantibus ſuper E

Nn 2 aquam

aquam tabulatis omnibus, & non potiùs in aquam demersis pluribus ? Scaliger autem, cùm ambigit, quo modo Hexeras, Deceras, imò illas, quæ 15. 30. 40. & 50. remorum ordines habebant, in bello moveri possent ? Et de Scaligero quidem nihil heic ampliùs dicam : de Baysio addam, Non tantùm dubitare, annon marmora sua mentiantur antiquitatem ? Sed & expressè dicere, non liquere sibi. Quin Car. Stephanus, vir profectò non contemnendus, *in præf.* eidem Baysio præfixa, apertè dicit, Marmora quantumvis antiqua fallere, triremémque Baysij, ipsiusmet iudicio, non respondere antiquorum triremibus. Nimirùm, factum est olim, quod hodiè Chalcographi nostri faciunt, pingentes plantas & animalia ex India allata ex imaginatione tantùm, quorum fidem si sequi volent posteri nostri, deceptos se esse agnoscent tandem.

F. 36. & 141.

F

Secunda ratio ab absurdo est. Quis credat, tam altas naves vnquam fuisse constructas, quæ 50. hominum staturas explerent ? Quin de immensa illa Ptolomæi Philopatoris, quâ maior navis nunquam structa fuit, scribunt & Plutarchus & Athenæus (loca habet Bayf. *f.* 42. & 43.) habuisse in altitudine tantùm 38. cubitos, cùm in longitudine haberet 280. Sed concedatur sedisse, adeóque 25. tantùm hominum staturas habuisse : quo modo conveniet cum 38. cubitis.

G

Tertia ex eodem fonte est. Quo modo tot remorum ordines in motu non impediebant se invicem ? quin confringebant ? & superiores remi, cùm quinquagies superarent inferiores, quanti erant ? Et si tanti, quo modo vnus homo (id enim ait Scaliger, fatetúrque se satis mirari non posse) tantam molem agitabat ? Cupio etiam intelligere, Quæ ratio nominum ? Cur πεντήρης apud Plin. *l.* 32. *c.* 1. dicitur, quæ remiges habebat 400 ? Cur ὀκτήρης apud Photium, quæ 1600 ? Cur τετταροντήρης illa, cuius memini ex Plutarcho & Athenæo, 4000 ? Novi, quid Monantholius *in d. l. Arist.* dicat, A numero remigum, ad vnumquemque remum sedentium vocari ita vel ita. V. g. τετταρακοντήρης dicitur, quia remos habebat 50. ad quorum singulos cùm 40. remiges sederent, ascendit numerus ad eum, qui dictus est. Ab hoc cupio intelligere. Si in pentere Plinij (sit enim hæc pro exemplo) singuli quini remiges trahebant singulos remos : remi ascendent ad numerum 80. Ita si in octere Memnonis singuli octo trahebant singulos remos, erun remi 130. Cur igitur illa quidem πεντήρης dicitur : hæc autem ὀκτήρης ? Præterquam quòd valde insolens est, numerum à remis acceptum tribuere remigibus : ascendit remorum numerus eò, quò à nemine vnquam fuit deductus.

H

I Quid igitur ? Τετταρακοντήρης remos habebat in alterutro latere 40. (vnde etiam appellabatur) & ita in vniversum 80. ad quorum singulos sedebant remiges 50. qui sunt, si iungas, 4000. Ὀκτήρης remos habebat in altero latere 8. in vniversum 16. & sedebant ad singulos 100. fit 1600. Πεντήρης remos habebat vtrinque 10. sedebántque ad singulos 80. fit 400. Similis censura esto de μονήρεσι, διήρεσι, τριήρεσι, τετρήρεσι, ἑξήρεσι, ἑπτήρεσι, δεκήρεσι, & ita consequenter ad πεντηκοντήρεις, & ἑξηκοντήρεις, quem vltra numerum

progressus

progreſſus nemo eſt, quod mihi compertum ſit. Nimirum à remorum numero dicebantur omnes naves: ſed remiges erant plures, pauciores, pro mole ſingularum.

Heic Scaliger terribilem Gorgona mihi oſtendit. Vetus autor τακτικῶν, inquit, ad calcem Æliani, ἡ τριακόντορος, καὶ τεσσαρακόντορος, καὶ πεντηκόντορος λέγεται κατὰ τὸ πλῆθος τῶν κωπῶν. Ἡ μονήρης. καὶ διήρης, καὶ ἐφεξῆς, κατὰ τοὺς στίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις. Quæſo ego te, vir Ill. quis eſt ille vetus autor? Tanti nominis, vt nec tibi ipſi ſit notus! Fortè fuit è recentioribus Græculis, qui ſub Andronicis, Palæologis, aliis vixerunt? Sed fuerit maximus: quæ ratio huius diſcriminis eſt? Cur non potiùs illa in ηρης pertinent ad remos, cùm de conſenſu omnium ſint ἀπὸ τοῦ ἐρέττω? Ορος autem ſit adiectio tantùm ſyllabica, ſine vllâ vel veriſimili origine? Niſi penitiſſimè fallar, tota hæc diſtinctio eſt falſa. Thucydides enim & Polybius (loca ſunt apud Bayſium *f.*14. & 16.) iungunt τριήρεις καὶ πεντηκοντόρους. Eodem modo μονόκροτος, δίκροτος, & ita conſequenter, cum μονήρης, δυήρης, aliis, cuius rei exempla multa offenderis apud dictum Bayſium.

Præterea vt pridem demonſtravi, navis nulla datur, quæ habeat quadraginta remorum verſus, quorum alius alij incumbat κατὰ τὸ ὕψος. Imò, dicit Scaliger, ὀκτήρης illa Memnoniana habebat octo verſus, centenis remigibus in verſum. Ego verò cupiam audire, quæ fuerit navis altitudo, ſi tot erant remorum verſus? quo modo (vt nuper dixi) remi ſe ipſos non collidebant? quo modo ſuperiores porrigebantur, vt ſeptem verſus præterirent? ánnon vel media, vel tertia illorum pars erat ſub aqua, atque ita inutiles? quo modo promoveri poterat tanta moles? Si hoc non eſt exemplum Aretalogi, non eſt vllum in rerum natura, vel ideò, quòd dicit, Centum homines fuiſſe in porrectum, ad ſingulos remos ſingulos homines! Ego verò dico, & confirmo, ad ſingulos remos fuiſſe centum, & inde habere nomen τῆς ὀκτήρεος.

Quòd ſi fortè latitudo videtur tibi nimia (ducentorum inquam hominum) dicam, Centum tantùm fuiſſe, ſedentibus ad vtrumque remi latus 50. Nam & tale quid hodie fit in maioribus navigiis. Sed inſtat rurſus. Vegetius de quinqueremibus,

Bucentauro, Venetorum triremis nobilis, vt & *Scholæ* ab illis dicta, non niſi vnũ remorũ ordinẽ, in longũ porrectum, habent.

Quinos ſortiuntur remigum gradus.

Si gradus, ergò in altum, non in longum. Et apud Virgil.

—*Triplici conſurgunt ordine remi.*

Nec alio ſenſu apud Lucanum,

—*Terno conſurgunt ordine remi.*

Sanè, conſurgentes remorum ordines dici non poſſunt de longitudine! Longitudo iacet: altitudo ſurgit. Profectò, nollem hoc ſcriptum ab homine tam illuſtri! Sed hominem verè fuiſſe vel hinc agnoſcas. Vt enim hoc ſolùm dicam, Gradus ſempérne dicitur de ſcala?

Quid igitur eſt facere gradum, inferre gradum, de gradu movere? An hæc in plano, adeóque in longum non fiunt? Et per te, ô vir magne, quini

gradus sunt iidem cum ternis versibus. Hi autem nihil aliud sunt, quàm triplex ille (tu puta pro triplicibus remigibus, θρανίταις, ζυγίταις, &c.) sedilium, transtrorúmve ordo in vtroque navis latere. Quod attinet *Consurgere* illud, est Poëticum, & pertinet, non ad structuram navis, sed ad ὑποτύπωσιν remigum laborantium. Tollunt enim remos, dum aquam percutiunt.

O Has explicationes tantò libentiùs acceptare debemus, quò planiora fiunt alia omnia, etiam illa, quæ faciebant hærere ipsum Scaligerum. Vnum restat, de quo in genere dicendum est, cùm *suprà* in specie. Nec enim Baysius solus dubitat de sculpturis marmorum, sed omnibus seculis verum fuit Flacci illud,

———— Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Istud enim hominum genus effingere solet, quod in animo habet, non quod in re est. Quando igitur in mediterraneis stabulans sculptorum aliquis expressit duplicem aut triplicem remorum ordinem, sibi invicem incumbentium: debétne hic præiudicare veritati? hic, inquam, qui navem nunquam vidit?

Huic non dissimilem deceptionem referam nunc. Cùm legerem apud
P Gyraldum de Navigiis *c.* 18. apud Xenophontem esse διπλασίας τριήρεις, putabam fuisse certum navigij genus, non autem vulgare illud, quod τριήρη simpliciter vocamus. Verùm inspectus locus (is est ἑλληνικῶν δ') insupérque consultus interpres Pirkheimerus, docuit, & me falsum fuisse, & ante me dudum, Gyraldum. Ad numerum enim navium pertinet totum, non ad fabricam. Iam ergo concludo, Medium navis non est κατὰ τὸ ὕψος, sed κατὰ τὸ μῆκος, adeóque medij remi sunt longissimi. Huic assertioni meæ numi vetusti favent. Stevvechius *in 5. Vegetij* 13. pingit numum Antonij, in quo liburníca, quæ medios remos repræsentat longissimos.

Q Interim obstrepit Thucydidis Interpres qui ait, Eos, qui trahebant κώπας θρανιτικὰς, propterea donativum accepisse à trierarchis, quòd remos traherent longiores. Hæc res persuasit interpretibus Athenæi, vt τὸ *Longiores* inculcarent narrationi de vægrandi illâ Philopatoris navi, de qua dixi. Quam conciliationem Monantholius loco *suprà dicto* meditetur, videre possunt, quibus ille ad manus. Ego simpliciter dico: Accipiebant propterea donativum, quia erant in prora, in qua si strenuè agerent, levior erat cæterorum remigum labor, magísque promovebant. Tu, lector, his non obiter consideratis vide, quod mihi properanti σφάλμα μνημονευτικὸν obtigerit *Com. in dictum Gal. locum!* Ita autem emendare oportet. *Capiendúmne sit medium* κατὰ τὸ μῆκος, *secundum longitudinem: an potiùs* κατὰ τὸ ὕψος, *secundum altitudinem?*

CAPVT

CAPVT CCLXXX.

DE PEDIBVS, & primùm de FEMORIS musculis.

HOc tantùm obiter moneo propter Galenum, Vesalium 2.*Magn.Op.*56. scribere, 15.*Vs.p.*8. rectiùs descriptos fuisse, quàm 2.*Ex. Anat.*4. & 6. Interim simiæ musculos vtrobique fuisse descriptos. Idem *in Ex.f.*78. accusans locum *de Anat.musc.*31. præterquam quòd ibi quoque simiæ producantur, orationis seriem, contextúmque (sic loquitur) sibi displicere ait. Et correxi ego quædam *in Notis*. De quinto Vesalij (illo, inquam, omnium maximo in homine) quæ Fallop.2.*Obs.*22. invergit, adeò placent Bauhino 4. *Theat.*32. vt verbatim describat. At Vesal.*in Ex.f.*77. irridet.

CAPVT CCLXXXI.

De femoris osse, præcipuè cervice eius.

SÆpenumerò irascor Anatomicis nostris, minutias quidem tantùm non inutiles accuratè persequentibus: artificium autem hoc Naturæ, ad praxin apprimè pertinens, vno tantùm oculo inspicientibus. Fortassis autem inde est securitas illa, quòd Galenus sit obscuriusculus 3.*Vs.p.*9. Quæstio est, Cur Natura femoris caput acetabulo ossis coxæ obliquè inseruerit, mediante, inquam, cervice, & non secundùm rectam lineam? Mihi *Com.in eum locum* hoc visus est dicere. Cùm, sive stamus, sive ambulamus, necesse sit corpus faciat lineam rectam cum eo, quod portat corpus; non sit autem idem corporis status in stando & ambulando: necessum fuit, vt fulcrum id sit potestate duplex. Cùm ergo stamus, corpus facit rectam lineam cum acetabulo ossis coxæ, atque ita moles acetabulo ipsi incumbit. A B

Cùm ambulamus, quod est, dum alterutrum crus vicissim transferimus, alterum in terra firmamus, itáque corpus habet ῥοπὴν versus exteriora: facit corpus rectam lineam cum capite obliquo femoris, molésque adeò corporis ossi ipsi incumbit, non autem acetabulo. Et hoc modo (vt repetam) fulcrum reverà vnum, fit duplex. Dum stamus, & corpus in æquilibrio est, acetabulum est fulcrum: dum ambulamus, & corpus extrorsum propendet, cervix est fulcrum illud.

Hæc quatenus in homine vera esse putet, & quomodo lineam rectam, seu perpendiculum applicet Ill. D. ab Aquapendente, videre est apud ipsum *tract.de Gressu, f.*27.*& seq.* Nolo enim actum agere. Ego lucidioris doctrinæ gratiâ duo addo, alterum Medicum, alterum Physicum. Medicum est illud, quod docui *Com.in* 15.*Vs.p.vlt.f.*54. ex Columbo *l.*1. *c.*2. quà de appendicibus, C

cibus, distinguendum esse inter fracturam & luxationem. Maximè enim heic verum est, fracturam potiùs in cervice femoris contingere, quàm luxationem capitis femoris, ob ligamentum inprimis teres, quod in ipso acetabulo est. Physicum est de ingressu quadrupedum. Cùm enim in homine, dum ambulat, vnicum super vnico crure fulcrum satis sit; in istis autem, & anterior pars seorsim indigeat fulcro, & posterior: fit, vt semper alternent crura. Dum enim elevant dextrum v. g. pedem anteriorem, sinister semper firmatus est in terrâ: dum elevant sinistrum posteriorem, dexter posterior D quiescit. Ita fit, vt nunquam simul & semel elevatus sit, vel dexter vterque, vel sinister vterque, sed anteriùs quidem elevatus dexter, posteriùs autem sinister. Nisi enim ita fieret, cadetet animal super latus illud, in quo vterque vel dexter vel sinister elevatus esset.

Hoc observatum fuit in statuis, quas vidi in Italia, equestribus, præterquam in vna. Illa est Patavij ad ædem D. Antonij, posita à Senatu Veneto Erasmo Gattamelatæ Narniensi, qui vrbem defenderat contra Maximilianum I. Imper. & fœderatos Cameracenses. Huius equus cùm figuratus sit *nel camino*, vt illi loquuntur, erratum fuit ab artifice in eo, quòd pede quidem dextro vtroque nititur: pedem autem sinistrum vtrumque elevat *ad faciendum gradum*. Hoc verò per rerum naturam fieri non potest.

Idem error admissus est à glypte numi Constantini Magni, vt creditur, de quo discursus habemus peculiares trium magnorum virorum, Ios. Scaligeri, Marq. Freheri, & Ph. Camerarij. Vide apud hunc *Cent.3. Hor. succis.75.*

CAPVT CCLXXXII.

De TIBIÆ musculis.

QVæ Vesalius 2. *Magn. Op.* 53. desiderat in historia & vsu horum musculorum, proba sunt apud me, nisi quatenus motum obliquum negat. De Puteo *Apol. l.2. f.106.b.* rectè ait Cuneus *f.64.* tam non intelligere Galenum, vt à cognitione ipsius videatur esse alienissimus. Eidem Cuneo consentio in musculo poplitéo.

CAPVT CCLXXXIII.

De articulatione tibiæ suprà, infráque, itémque cum fibula.

TIbia cum fibula vtrinque per ἀρθρωδίαν iungitur, vt Bauhin. me docuit. Cum femore sursum, eodem autore (quanquam & Vesalius & Columbus idem scripserint) per γίγγλυμον, & eum quidem laxum, vt Riolanus explicat. Quod autem Ingrassias vult *Com. in procem. l. de*

l.de Off.t.12. & iterum *cap. 21. t. 2.* geminam esse ἐνάρθρωσιν, subtilitas est non magni momenti.

CAPVT CCLXXXIV.

De PATELLA genu.

ITa est, vt inter cæteros scribit laboriosissimus Fall. 1.*Obs.29.* os hoc in recens natis cartilago est, posteà ossescit, præterquàm interiori parte. A
Hoc docuit Gal. quoque *l.de Oss.23.* si modò locum habet correctio mea iam denique mihi nata. Lego enim ἔσωθεν pro ἔξωθεν, itáque reiicio vanas τῦ ἔξωθεν expositiones, quas Riolanus meditatur *Com. cap.30.* Hac ratione cadit etiam infirma alioqui Vesalij *l.1. c.32.* excusatio, Galenum esse secutum Marinum, aliósque veteres. Imò ego hac ipsâ lectionis mutatione libero eos ab hac ignorantia. Quò magis credo, Riolanum, *quo loco dixi*, non nisi personatos Galeni hostes produxisse.

Quòd enim ad Vesalium, nunquam ille seriò pugnavit in Galenum: quin excusavit. Columbus ne nominavit quidem, sed dixit tantùm sententiam suam de substantia huius ossis. Et quis vnquam impugnavit illud περιφερὲς τῷ σχήματι? Imò, quis somniavit exactam & Mathematicam sphæram? Idem dixerim de propriis ligamentis. Vix enim probabile est, quod dicunt, Non meminit Gal. ergo non agnovit. Interim hoc verum est, sive agnoverit Gal. ligamenta propria, sive non, maximam patellæ partem à tendinibus musculorum contineri: Sed quæ est articulatio? Columbus ginglymum agnoscit. Oculatior Piccollominus, cum femore quidem per ginglymum coïre vult: cum tibia autem per arthrodiam. In vsu quòd divertit Vesalius ad ossa sesamoidea, meritò arguitur à Riolano. B

De cartilaginibus in hac articulatione, quæ Galeno ignotæ fuerint, vix sine pudore meminisse possum, tam Putei *l.1.f.48.* quàm Cunei *f.27.* Iidem quid de substantia patellæ meditentur, videre potes apud ipsos. C

CAPVT CCLXXXV.

De PEDIS IMI musculis.

VEsal. 2.*Magn. Op.59.* gravissimè accusat Galenum, qui 2.*Ex. Anat.9. 3. Vs.p.10.* reprenderit veteres, in quibus reprehendi non debebant. Nimirum descripserant illi musculos pedis humani: at ille simiæ reponit. Idem Vesal. in *Ex.f.49.* defendit sua contra Fallop. observata *l. 2. c.vlt.*

CAPVT CCLXXXVI.

De Ossibus.

A HEic ab initio valde quàm velim obtinere illud, quod argumento *Com. in 3. Vs.p.* in medium attuli, Vt sit proportio, non minùs inter ossa ipsa manuum & pedum, quàm inter nomina: cupere me *Tarsum* in pedibus dici, non id tantùm, quod prisci dicebant, sed totum id, quod proportione *Carpo* respondet. Putà, vt, quemadmodum *Carpus* ex octo constat ossibus: ita *Tarsus* constet ex septem, connumeratis scilicet quatuor vulgò dictis Tarsi nomine ossibus, tribus illis, quæ pedis humani propria sunt, *Astragalo, Calcaneo, & Naviformi.* Tum verò, vt id, quod Metacarpio respondet, dicatur porrò, non πεδίον, aut μεταπέδιον, sed *Metatarsium.*

B Secundo loco moneo, Videri mihi paulò minùs quàm inutilem esse comparationem pedis humani cum simiæ, quam Eustachius instituit *Ex. Oss. f.*180. *& seq.* Contrà, rectissimè defensum Gal. 2. *Art.*8. *&* 16. ab accusationibus Vesalij 1. *Magn. Op.*33. *extr.* Veteres non eodem modo numerâsse ossa pedis. Inprimis laudo etiam illud Eustachij, quòd ex Gal. *l. de Oss.* pro τέτταρα legit τρία. Hac de re etiam aliquid legeris apud Puteum 1. *Apol.*50.*b.* & Cuneum *f.*28. Apud Riol. *Com. in de Oss. c.*31. *extr.* inveneris alias quoque criminationes & defensiones Gal. quas huc non pertraho.

CAPVT CCLXXXVII.

De OSSIBVS sesamoidesi.

A VErum est, Galenum 2. *Vs. p.*12. *E.* & *extr. l. de Oss.* non nisi obiter meminisse horum ossium: sed & verum hoc est, Vesalium *l.*1. *c.* 28. facere mentionem eorum tantùm, quæ *hactenus* illi occurrerint, nec quidquam præscribere aliorum diligentiæ, vt Henerus innuit *Cal.* 12. Idipsum clarè dicit Cuneus *f* 29. Quid igitur tumultuatur Sylvius *l. d.* dum ex musca facit elephantum?

Non dubito ego affirmare, nec numerum adeò certum esse, vel in omnibus animalibus, vel in solo homine: nec vsum tam insignem, tot vti verba perdamus. Idem iudicium esto de iis, quæ Eustachius detonat *Ex. Oss. f.*208. Idem de ossiculis ciceris magnitudine, de quibus idem Vesalio se opponit *f.* 180.

B Perplacet enim censura doctiss. Riolani *Com. in l. de Oss. c.*32. Naturam sæpe facere ossa in certis individuis, locis incertis, & præter institutum. Huius rei exempla habet aliquot Ille: quibus addam duo alia.

Quo tempore Patavij vivebam, in pectore anatis ſylveſtris inveni tubum oſſeum, qui factus mihi, & τοῖς συσσίτοις eſſe videbatur ex larynge. Hoc tantò minùs mirabere, ſi recordabere, quæ *ſuprà* ex Columbo dixi de larynge oſſeſcente. Admirationem omnem ſuperat, quod iam dicam. Sub finem anni 1606. cùm, diſſipatâ ob peſtem Academiâ, Peſtilentialem, quem vocant, agerem heic, adoleſcens quidam percuſſus clavâ Bohemicâ, vti vulgus appellat, ſupra aurem dextram, intra trihorium epilepſiâ mortuus C
erat. Iuſſus ſum ab ampliſſ. Senatu Academico, præſente Cl. V. DD. Ernesto Sonero, &c. hoſpite tum meo, manibus Chirurgorum duorum opidanorum, caput aperire. Secto, vt moris eſt, pericranio in crucis formam, & à calvaria quatuor partibus liberato, ſtatim apparuit cranium & depreſſum, & duabus fiſſuris, ab aure rectà ſurſum tendentibus, duobus tranſverſis digitis à ſe invicem diſtantibus, non æquè longis, inſigne. Ablatâ paterâ, altera quidem fiſſura & brevior penetrârat alteram tantùm, ſeu exteriorem laminam: altera autem & longior, vtramque. Inter os cranij & duram matrem tantum erat ſanguinis extravaſati, & in thrombum concreti, quantum vix vtrâque cavâ manu capere poterat Chirurgorum alter.

Quod verò huc facit, eſt: Dura mater exactè ſub fiſſuris in oſſeam duri- D
tiem concreverat, adeóque os erat cartilaginoſum, exactè rotundum, vtrinque apophyſi duræ matris tectum, magnitudine Tahleri imperialis. Videbatur Natura omnipatens providere voluiſſe huic loco, ne fieret, quod iam factum erat.

CAPVT CCLXXXVIII.

An Galenus ſecuerit homines?

QVod apud Sylvium, Puteum, alios adulatores Gal. palmarium eſt: id A
apud me epiſodij ſeu ridiculi loco, ideò vltimo loco tractandum. Olim cùm *Com. in l. de Vſ. p.* vulgarem, dubium erat apud me, ita videlicet inſtitutus à Scherbio. Nunc, poſt longiorem cum Gal. converſationem, & diligentiorem revolutionem, non Magni tantùm operis Anatomici, Veſalij ſed & Epiſt. ad Ioach. Rolandum, certus ſum, Galenum nõ ſecuiſſe homines. Quod vt apertius fiat, aſſumam in fabulam Ariſtotelem. Hic cùm natus & altus eſſet in familia Aſclepiadéa, penes quam hæreditaria erat Medicinæ poſſeſſio: quemadmodum Hipp. vulgaverat Medicinam, ita Ariſtoteles Philoſophiam. Hanc in rem cùm Ariſt. ex ſchola domeſtica non mediocria attuliſſet ſecum ſubſidia, venit in laudem gloriæ Alexander Magnus, qui, vt B
Plinius loquitur *l.* 8. *c.* 16. aliquot millia hominum in totius Aſiæ, Græciæque tractu parére illi iuſſerat. Tu puta in negotio indagandi naturas animalium. Quo tempore cùm obrutus eſſet μυρμηκειᾷ τινι τῶν ἀσχολιῶν, vt cum Græcis loquar, credin' tu, quiſquis es, manus adhibuiſſe illum ſectionibus anima-

lium? Quam in rem cùm iam scripti essent libri τῆς ἀνατομῆς, ἢ ἐκλογαὶ τῶν ἀνατομῶν, vnà cum διαγεγραφαῖς ἢ παραδείγμασι, vt doceo in frontispicio *Com. in l. de Vs. p.* satis illi fuit contulisse vetera cum noviter repertis. Et alioqui magni viri in vniversalibus occupati non demittunt se ad particularia, in quibus
C τὸ ὅτι, sed credunt aliis. Cæterùm, quemadmodum Aristoteles nec bruta secuit, nec hominem: ita Erasistratum, ex filia nepotem, fecisse vtrumque, probavero facilè ex Gal. si opus sit. Huius σύγχρονον Herophilum, à Praxagora (qui ipse quoque homines secabat) institutum, versatum fuisse in hoc ipso negotio, argumento si, quod Tertull. scribit *in l. de Anima*, secuisse 700. homines. Versabatur autem in Alexandrina Ægypti Academia, in qua etiam editis scriptis Anatomicis inclaruit. Idem fecerunt Lycus, Marinus, alij, quorum scripta in epitomas se redegisse non vno ait loco Gal. Hi cùm homines secuerint, historiámque humanam explicuerint: non potest non Galenus quibusdam locis Anatomiam humanam profiteri. Verumtamen, quòd nuspiam id dicat; fateatur autem sæpiculè se simias & his affinia animalia,
D exercitij loco, secuisse, homo minimè sui contemtor: non credo etiam ad hominem vnquam venisse. Quin cùm nôsset, aliter hæc tractare Physicum, aliter Medicum, plerisque locis omnibus contentus est simiis suis. Quod cùm ita sit, nullum hominum genus molestius mihi est illo, quod cùm hyperbolica omnia de Gal. dixit, Vesalium, aliósque de studiis his bene meritos, non contemnit tantùm, sed & conviciis dignos iudicat. Quos ego: sed satis est, si VERITAS à nobis sit. Tibi si lubido sit cognôsse talia, inveneris apud Vesalium quidem sparsim toto opere: at *in Ep. ad Rol.* συλλήβδην accusationes. At si ad Sylvium, Puteum, Eustachium ire voles, ferè defensionis loco pipulum audies.

Et huc vsque de Anatomicis.

SECTIO V.

DE HVMORIBVS.

E *RATIO ORDINIS.*

Τὰ ἴσχοντα Hipp. exegimus: sequuntur τὰ ἰσχόμενα, seu *Humores*. Vocabulum hoc accipitur heic latissimè. Primò, de *Chylo*, qui nondum Humor est. Secundò, de *Sanguine*, qui propriissimè. Tertiò, de *Sanguinis excrementis* tam vtilibus, quàm inutilibus.

CAPVT CCLXXXIX.

DE CHYLO.

An illo nutriatur ventriculus?

AFfirmatiuam eſſe falſam ſatis eſſe poterat, quod Conciliator ait *diff.*51. A
eſſe communem ſententiam. Eandem facit ſuſpectam Gal. 3. *Fac.nat.*7. *A.* 6. *Sent.*8. *D. Dum cibus* (vult dicere) *in ventriculo conficitur, quod optimum in illo eſt, & ventriculo familiare, id attrahit: quod reliquum eſt tanquam oneroſum expellit.* Hanc picturam ſubitò obſcurat confuſio officij publici & priuati, de quo duplici officio Gal. ipſe 11. *Meth.*15. & alibi. Publicum eſt laborare pro toto corpore, conficiendo chylum, è quo ſanguis, qui eſt alimentum omnium corporis partium: priuatum eſt, ali & ipſum ſanguine. Ac ne tu mireris, ſunt hæc ipſa Gal. verba, *Non pro ſe tantum conficit alimentum: ſed pro toto animali.* Et hoc officium, ait 4. *Vſ.p.*1. divinum B
potiùs eſt, quàm humanũ, tu putà, quatenus ventriculus penuarium eſt, è quo Natura accipit materiam pro ſanguine conficiendo, 1. *Cauſ.ſympt.*7. Ergóne vtitur ratione, vt ciuitatum gubernatores, aut, quod ego addo, vt bonus paterfamiliàs? *Non,* inquit idem Gal. 5. *Aph.*39. *A. ſed, quia opifex animalis habuit hunc intellectum, à quo ventriculus accepit has facultates, quibus obit nobile hoc officium.* Hoc adeò eſt in omnium hominum ſenſu, vt Menenius Agrippa olim, vt eſt apud Liuium, acceptâ hinc ſimilitudine, tumultuantes paſtores & agricolas Romanos ſedârit. Quo fit, quòd falſiſſimum ſit axioma, *Nihil trahit propter ipſam tractionem*: ſed vt illo fruatur, hoc eſt, illo 3. *Fac.nat.* 8.
nutriatur. Ita enim explicant. In officiis enim partium publicis prorſus locũ C
non habet; habet autem in priuatis duntaxat. Hanc obliteratam picturam excipit pigmentum non minùs futile. Si dicam, Fames ceſſat ſtatim à cibo ſumto, imò, poſtquam aliquot bucellas devorauimus, ſentimus meliùs nobis eſſe, fame animali minùs iam vrgente. Quo tempore chylus nondum eſt: erit autem poſt aliquot horas, finitâ iam coctione illâ, quam chylificationem appellamus. Tum verò quid illi? Gal. ipſe ſe explicat, aiunt, cùm docet, Quamdiu durat concoctio chyli, tamdiu durat nutritio ventriculi. Et hoc eſt, quod Peramatus ait, *l. de Facult.* 6. Coquit ventriculus, dum cibum vertit in chylum: nutritur, dum eundem chylum vertit in ſuam ſubſtantiam. Hoc ex Galeno captum eſt, 3. *Facult. nat.*4. *D.* Terminus, in- D
quit, moræ ciborum in ventriculo non eſt χύλωσις, ſed πέψις, ὕστερόν τι τῆς χυλώσεως οὖσα. Quaſi diceret, *oportet diſtinguere actionem ab actione. Chylificat quidem ventriculus: ſed durat ea actio, non eouſque dum chylus fiat, ſed vſque dum ventriculus inde ſumſit, quod ſibi ſatis eſt.* Mirabilis ſermo! quem, ſi rectè intuearis, ſomnium eſſe vigilantis dicas! Inchoátne ſapiens Natura

aliquid, quod non perficit? Ex chylo imperfecto potéſtne fieri perfectus ſanguis? Quis præſtat mihi, vt, poſtquam ventriculus exſaturatus eſt, eodem momento chylus habeat perfectionem ſuam? Sed & vbi omnia iſta expedita ſunt, manet difficultas mota, *Ventriculus nutritur chylo, antequàm chylus ſit.*

E Quam igitur, inquiunt, tu das problematis ſolutionem? quei fit, quòd fames animalis ceſſat aſſumto cibo? Quid alij dicant, tanti non facio: dico ego, Ventriculus (cum vicinis viſceribus) eſt agens naturale, & ſemper vult agere. Cùm ergo non habet materiam, in quam agat, excitatur moleſtia, quæ fames animalis eſt, & quæ moleſtia maximam partem in ore ventriculi eſt, propter nervorum copiã, quam habet. Quid igitur pro Galeno? Accepto παραμυθίαν Th. à Veiga, *Com. in Art. 62.* loqui Galenum in his ex aliena ſententia. Propriam, eandémque veram eſſe 3. *Fac. nat.* 13. Q. nutriri ventriculum ſanguine in liene confecto. Cur enim alioqui vaſa tam multa habet, eáque ſanguine ad ſenſum plena? Hac de re pro Galeno quidem pugnat *l. c.* Peramatus:
F contra Galenum autem Aſellius, *l. de Lactibus* 21. In vniverſum, ſi multa cupis controverſa, Solóne ſanguine? Solóve chylo? an vtroque ventriculus alatur? alióne nutrimento gaudeat externa tunica? alio viciſſim interna? alióne pars ſuperior? alio iterum inferior? copiam tibi dabit Ill. D. ab Aquapendente, tractatu *de Ventriculo, f. 65. & ſeq.*

CAPVT CCXC.

An omnis chylus ad hepar eat?

A EST hæc vna ex inſolentiis Galeni, in qua tamen neque ſatis cautus fuit, neque conſtans. Cùm enim hepar ſolum feciſſet ſedem animæ vegetativæ: debebat etiam in hepar quidem ducere omnem chylum; ex hepate autem educere omnem ſanguinem. In hoc poſterius mox anquiretur: illud prius ex parte *ſuprà* (quà de liene) diſcuſſum fuit, ex parte diſcutietur heic, inde facto principio. Cùm chylum trahant, non venæ tantùm Meſaraicæ, ſed & arteriæ, vt probatum fuit, quà de Vaſorum Meſaraicorum vſu: quid fit de chylo illo arterioſo? Non poteſt aliter fieri, quàm vt deponatur ad viſcus aliquod ſanguineum, vbi faceſſat in ſanguinem. Quod verò erit illud? Forꞏ
B taſſis cor, quippe à quo dependent arteriæ Meſaraicæ? Fuit hoc diſputatum etiam olim. Definiens autem litem autor *libri de Corde* apud Hippocratem, negat eò ferri poſſe. Sed cur? Primò, Cor vult τροφὴν ἡγεμονικὴν, *ſanguinem:* non autem chylum. Quare? Quia cordi non eſt κατὰ φύσιν, *analogus,* vt ego explico. Analogus autem eſt viſceribus imi ventris, in quo accipere debet primam & rudiorem elaborationem, antequàm ad cor perveniat. Secundò, In principio arteriæ magnæ ſunt tres valvulæ ſemilunares, quæ obſtant ingreſſui chyli.

Hæ

Hæ ipsæ obstant Varolio 3. *Anat.* 4 & Th. à Veiga, *Com. in Artem c.* 62.
Quin Piccoll. 4. *Prælect.* 5. expresse dicit, factas esse ideò, vt prohibeant
chylum. Hoc sufficienter probâsse me confido *l. de Vs. lien. c.* 7. & 8. Quò
igitur divertitur? Dum chylus in arteriâ, dorso incumbente αἰακωχεῖ ϗ ὂν
ζάλῃ ὄτι, *fluctuat quasi procellâ agitatus*, vt loquitur autor laudatus: super- C
venit arteria cœliaca hodie dicta, & horsum ad lienem rapit. Hæc senten-
tia lumen ab Arist. capit. Quemadmodum, dum ramus venæ-portæ dexter
in eo est, vt chylum à Mesaraicis ingestum per portas hepatis introducat,
supervenit sinister, & ἀντισπᾷ, quo verbo significantiss. Philosophum vti vi-
dimus: ita fit heic. Et hæc quidem de chylo arterioso, vt sic dicam: veno-
sum non omnem ire ad hepar, puto satis probatum esse *suprà c.* 106.

Hoc docuisse Galenum quoque conabor heic paucis ostendere. Cùm
ait 2. *Fac. nat.* 9. *M.* Quidquid in cibo (ἐν τῇ τροφῇ) ex ipsius natura cras-
sum nimis & terrestre est, & à calore (hepatis, vt intelligo) domari non
potest, id lien trahit ad se: quid heic deest, quàm verba? Ad hunc locum D
cùm se referat 4. *Vs. p.* 15. *B.* quid aliud putas illum intelligere per crassos, li-
mosos & melancholicos humores, quos lienem ait trahere, quàm chylum
melancholicum? maximè, quia addit, quod *in de Fac. nat.* non est, lienem
per multum otium conficere & immutare, vsum ope arteriarum multarum
& magnarum? Certè, hoc ipso fatetur sanguinem nondum esse: multò mi-
nùs sanguinis in hepate facti excrementum. Ergo tertium quid est, Chylus,
inquam, talis, qualis ab ipsomet descriptus est. Gemini planè loci sunt, al-
ter 13. *Meth.* 16. *A.* alter 9. κ. τόπ. 2. *A.* Quid enim vtrobique est ἰλὺς τοῦ αἵ- E
ματος, *fæx sanguinis*, quàm chylus melancholicus? vel ideò quia μέλαι-
ναν χολὴν, *melancholiam aliàs dictam* inde gigni dicit? Hoc nisi admittatur,
necessariò admittendum fuerit, Galenum ταυτολογεῖν, *Ex melancholia, quam
lien trahit, lien facit melancholiam.* Hoc crimen quia averto à Gal. & com-
modâ interpretatione mitigo asperitatem verborum Galeni, annon bra-
béum meritus sum? an φιλογάλλωος non sum?

CAPVT CCXCI.

De Sangvine.

Quid sit? &, quo modo fiat nutritio?

NE qui fortè delirare me putent, quòd nesciam, quod omnes homines A
sciunt, in gratiam illorum distinctiùs loquar, Quid sit id, quod in va-
sis it? Estne vna sola substantia, quod Arist. vult? an potiùs constat qua-
tuor substantiis, sanguine propriè dicto, pituitâ, & geminâ bile, flavâ &
atrâ, quod pseudo-Hippocrates? Ita loquor: quia quatuor hæ substantiæ
extitére ex *l.* 1. *de Nat. hum.* qui falsò tribuitur magno nostro Hipp. vt puto
me

me probâsse in vestibulo operis huius. Iam hoc repeto, vti hominem rationibus tam futilibus, vt mirer neminem hactenus animadvertere voluisse! Quæ sola speciem probabilitatis habet, quamvis in dicto centone non legatur, hæc est: Diversas partes indigere diverso alimento.

B Heic primùm ego nego opus esse similitudine actuali, qualem illi volunt. Non enim vt figulus aut cœmentarius lutum cum luto conglutinat: ita Natura. Quin, non apud Arist. tantùm, sed & Gal. nutritio fit ἀτμοειδῶς, *per vapores*. Deinde nego & pernego, probabóque mox, si volet ILLE, partem vllam nutriri vllo excremento. Tertiò & illud nego, quò quidam confugerunt, sanguinem esse tam heterogenearum partium, vt quædam illius pars sit bili alterutri similis, quædam pituitæ. Sed nec illud concedo, inter partes nutriendas tam latum esse discrimen: sed omnes constitisse primùm ex sanguine, rursúsque pro nutritione velle sanguinem.

C Dico autem primò, Sanguis hominis perfectè sani reverà est ἑτερογενής. Videmus enim in lacte, quod sanguinis frater est apud Hipp. dividi illud in tres partes, butyrum, caseum & serum.

II. Serum non nutrit: quia non est τροφὴ, *alimentum*, sed ὄχημα τῆς τροφῆς, *vehiculum alimenti de parte in partem*.

III. Reliquæ duæ partes naturaliter ita sunt vnitæ, & partes illarum minimæ per minimas invicem dispersæ, vt in homine vivo nunquam separentur quidem; dici autem possit, si accuratè loqui velis, Partem terrestrem, quam fibræ constituunt, è qua caseus fit, reverà nutrire: pinguem esse illi pro vehiculo, in intimas partium partes. Nam & foris pinguedo non alit.

D Hoc per analogiam ex ossibus disco. Quò enim licciora sunt illa cæteris partibus & crassiora: eò maiorem pinguedinis (vocatur Medulla) copiam desiderant, vt fibræ sanguinis in intimam partis tam densæ substantiam penetrare possint. Hoc adeò dico propter illos, qui volunt, Partes, quò crassiores sunt, eò crassiorem velle sanguinem. Audire enim cupio, quei fieri possit, vt poros tam exiles penetrent partes vllæ crassæ? maximè, si per vapores fit, vt dixi. Quin hoc audeo, quò pars vnaquæque crassior: eò tenuiore indiget sanguine. Quei igitur fit nutritio? Explicabo tibi pulcerrimo simili.

Quemadmodum in vno agro satæ diversissimæ plantæ, & arbores, quarum hæ quidem dulcem succum, vel in se, vel in suis fructibus habent; hæ autem amarum; rursus aliæ acidum, & sic de cæteris; eodem modo, hæ qui-

E dem densâ constant substantiâ, vt quercus, malus, prunus; illæ rarâ & fungosâ, vt salix, sambucus; quemadmodum (inquam) omnes hæ nutriuntur & reficiuntur vnâ pluviâ, vnáve aquâ, ex eodem fluvio, fontéve haustâ, vbi modicum terræ admistum fuerit aquæ illi, & substantifica alteratio accessit: ita vno sanguine (sano) aluntur omnes partes, postquam vnaquæque substantificè alteravit, & assimilavit sibi. Et hoc Aristotelem voluisse ait Gal. *1. Sem. 11. B.* Vin' propiùs accedam? Vni pyro insere tres, quatuórve taleas

diversi

diversi generis pyrorum. Truncus quidem arboris trahet succum suum, & in substantiam suam vertet: at rami singuli pro sua quisque natura alterabunt succum illum denuò, vt pyra fiant sui generis. Et hoc Smetio debeo *in Miscell.*

Vidisse hæc Galenum nullus dubito. Ideò de toto negotio tam timidè loquitur 2.*Elem.vlt.A.* Laudandam quidem esse sententiam illorum, qui solum sanguinem nutrire dicunt, tanquam verisimilem: sed ipse accipit alteram, quam Hipp. ait esse, quem etiam hac in parte φυσικώτερον fuisse affirmat, hoc est, vt ego intelligo, *propiùs ad rei naturam accessisse.* Quod verò vehementissimè miror, est, quod ait *ibid. c.5.A.* Hac in re non æquè bene ad veritatem pervenire nos posse, ac in doctrina de elementis! Quid enim? Elementa sub sensum non cadunt; sanguinem & visu & gustu examinare possumus: & sit facilior elementorum cognitio, quàm sanguinis? Sanguis si sit dulcis & rubicundus, sanus erit, quem etiam heic quærimus: sin aliùs coloris & saporis, v.g. amari, erit præter naturam & biliosus. Hac de re videre tibi licet Cassanum in *quæst.de Sang.* Quod cùm ita sit, quei dici potest, ad verisimilitudinem quidem accedere nos posse, ad veritatem non posse? Si enim sensibus nostris credimus, quidni verum sit, quod ille dicit? Quod ipsum quia in Physicis disquiritur, qua in re φυσικώτερος fuit Hipp. tuus, quisquis etiam fuit, Aristotele meo? Imò audacter dico, Arist. quidem φυσικώτατος fuit: larvatus autem Hipp. planè ἀφιλόσοφος, *absurdus, ineptus.* F G

An ergo dici debet, Galenum amore quidem Hipp. odio autem Arist. abreptum, verisimile pro vero secutum fuisse? Prorsùs. Vt enim ex Platone dixi *suprà*, è quo repetit Noster 9.*Sent. Hipp.vlt.B.* *Æquum est meminisse, & eum, qui disserit, & eos, qui iudicant, homines esse, vt, si probabilia dicantur, nihil vlterius requiratur.* Eiusdem Platonis dicterium est, laudatum etiam à Gal. 1.*Dign.aff.2.B.* & 4.*in 6.Epid.10.O.* *Qui amat, cœcus est erga id, quod amat.* Helenam ergo suam quisque amplectatur sine rivali. H

CAPVT CCXCII.

Excrementa cum sanguine non ire.

VT Veritatis iubar latiùs se expandat, tria heic exponam παρέργως. Primum esto. Contra Naturæ consilium & providentiam est. Quia enim sanguini fecit sua conceptacula, venas & arterias, in quibus ille per totum corpus fertur; quia rursus excrementis non sua tantùm receptacula (adde, plura, quàm pro sanguine) paravit, sed & certos meatus struxit, per quos è corpore pellantur, ne vltra tempus molesta sint: quis credat confundere voluisse denuo, vt bonum eat cum malo? Et obstat fabulæ huic effatum Aristotelis 4.*Part.2.* sanguinem & sanguinis excrementa esse contraria, quia A

habent contrarios effectus. Quò fit, vt λόγῳ differant, *definitione essentiali.* Vide Peramatum *l. de Humor. cap.* 1. & considera simul fugam eius inhonestam.

B Alterum esto. Galenus ipse docuit, excrementa prorsus debere è corpore exigi. 5. *Ex. Anat.* 2. *B.* ait, sanguinem in corpus vniversum distribui debuisse purum, & ab excrementis liberum. 5. *Vs. p.* 4. *extr.* & bilem & melancholiam educit è corpore. *Ibid. C.* in specie de bile id dicit, vsus vocabulo πάντως, *omninò. Ibid.* 13. idem vrget. 2. *Fac. nat.* 2. *B.* exactam bilis secretionem vult. Mox Erasistratum laudat, qui bilem animali inutilem esse dixerit. Tandem addit, dici posse Naturam animali non bene prospexisse, si tam noxium humorem (NOTA) per corpus ferri sineret. *Ibid. c.* 5. *B.* Erasistrato id absurdi obiicit, quòd per illum non purgetur vniversa bilis. *Ibid. c.* 8. *G.* dicit, maximoperè obesse bilem corpori, si non vacuetur.

C Addo, cùm sanguis suâ naturâ dulcissimus sit, 3. *Simpl.* 27. *B.* quei non amaresceret, si vel tantillum bilis ammisceretur illi? Est enim bilis adeò tenuis, parvâque mole inficit multùm liquoris, vt pictores diluant eâ pigmenta sua. Quò magis miror effugium Gal. eodem 2. *Fac. nat. vlt. N.* ferri cum sanguine tantillum, quod nocere non possit. Quantillum verò, ô bone? Vt non appareat, inquit 8. *Sent. Hipp.* 4. *A.* Apage mihi ista περιτίσματα, si pro bono viro haberi vis!

Tertium esto. Galenus iterum 2. *Fac. nat.* 3. *F.* expressè ait, ad nutritionem requiri sanguinem σύμμετρον, qui, vt se explicat, *eousque tenuis & halituosus*
D *sit, vt, postquàm in omnem partis alendæ particulam* (ἀτμοειδῶς) *assumtus est, non ampliùs sanguis esse videatur.* Vbi heic excrementa sunt? Imò, quei σύμμετρος est, si excrementis conspurcatus est? Nimirùm, σύμμετρον heic mihi est, quod aliàs οἰκεῖον, *proprium, familiare, domesticum,* qualem sanguinem pro alimonia partium desiderat Gal. 1. *Nat. hum.* 30. 2. *Elem.* 4. *E.* 2. *Temp.* 3. *F.* 3. *Simpl.* 27. *B. de Cibis,* 4. *C.* 6. *Loc. aff.* 4. *I.* 5. *Aph.* 64. *D.* 1. *in* 3. *Epid.* 5. *G.* Dicis: Vide tu mihi etiam, quid dicat 1. *Sem.* 11. Vidi, antequam tu nascereris! Est atramentum, quo asperso aufugit instar sepiæ, quod Montanum dixisse retuli alibi. Huius generis sunt, quæ Visch. habet *in* 6. *de natura & aff. folliculi fellis.*

CAPVT CCXCIII.

Incommoda, quæ sententiam pseudo-Hipp. sequuntur.

A VT homines nostri discant sapere, colligam heic in acervum vana & inutilia dogmata, quæ ex vno illo falso, tanquam ex equo Troiano, prorepunt longo ordine. Exponam autem primùm ea, in quibus Galenus multimodis absurdus fit: deinde ea, quæ confingunt patroni illius, frustráque augent artis longitudinem. Gal. dicit 2. *in* 6. *Epid.* 38. *B. sanguinis voce duo significare*

ſignificari &c. Ego dico, Vnum tantùm ſignificari, ab Ariſtotele & omni antiquitate nobis traditum, humorem rubeum, dulcem, &c. excluſis excrementis. Gal. dicit *de Pleth.* 10. *G. vnum & idem eſſe, ſive ſanguinem dicas, ſive humores.* Pulcrè, ſiquidem pulcrum eſt, duabus rebus contrariis dare vnum nomen! Gal. dicit *ibid. ſanguinem bonum & laudabilem nuſpiam eſſe, ſed ſemper admiſta eſſe excrementa.* Cui ego: Ergo temperamentum medium, cuius reſpectu exceſſus omnes dicuntur, & quod contra veteres tanto cum apparatu aſſeruit in *libb. de Temp.* non eſt, neque inter homines quiſquam eſt temperatus, exactè ſanus nemo eſt, &c. Gal. dicit 8. *in 6. Epid.* 7. *ſanguinem non habere receptaculum tale, quale bilis.* Riſum teneatis! Non poterat habere tale, ſiquidem in totum corpus diribi debebat. Et alioqui venæ & arteriæ non ſunt ſanguinis receptacula? B

Et hæc quidem ille: quid patroni? Inſtituunt quæſtiones ipſi rerum naturæ incognitas, *Quomodo vnum hepar tres aut quatuor (nam ne heic quidem concordes ſunt) ſpecie differentes humores gignere poſſit?* Gignit vnum per ſe, reliquos per accidens. *Vtrùm id fiat ab vno calore, ſeu vno hepatis temperamento?* Quidni? *Simúlne, an ſucceſſivè gignantur?* Simul. *An ſint cum ſanguine miſti, nécne?* Non ſunt in homine ſano. *An ſeorſim poſiti?* Omninò, quia habent propria conceptacula. *Quis illorum prior ſit tempore?* Dum menſa fit, ſcobes certè ſunt priores tempore. *Quæ proportio eorundem inter ſe?* Non entium non eſt proportio. Intelligo, *In vaſis. Annon in ſe invicem agant, cùm temperie inæquali ſint?* Omninò id fiet, ſiquidem ſimul ſint. C

Hæc & alia de hepate: de ventriculo quid non comminiſcuntur iidem? Me verò iam pudet ineptiarum, quibus tu quoque, lector, carere poteris, ſi Veritatem amplexus fueris. An pro Gal. dici poteſt, ſcripſiſſe hæc talia τοῖς εἰσαγομένοις, adeóque habere pro quæſtionibus Logicis? Pro ſomniatoribus verò iſtis quid dicam?

Ἢ σιγᾶν, ἢ κρείσσονα σιγῆς λέγειν.

Addo ſuperioribus, Arabum præcipui, Averroës & Avicenna, mecum ſunt: ille quidem directè, hic autem quátenus τρόπον ἐπιστήμης vrget. Vide, ſi placet, quid dicat princeps 1. 1. *doct.* 5. *c.* 1. ibi, *Et Philoſophi quidem ſermo, &c.* Et mox clariùs, *Medico non attinet, &c.* Averr. 2. *Coll.* 8. *& ſeq.*

CAPVT CCXCIV.

Quis ſit ſanguis ille, qui verè nutrit?

SÆpe mihi bilem in nares civére illi, qui perfrictâ fronte iactare ſolent, Chylum omnem ad hepar ire, ideò hepar ſolum eſſe ſanguificationis organum, & ibi genitum ſanguinem ſolùm nutrire. Primùm omnium falſum A

est, chylum omnem ad hepar ire. Deinde, concesso etiam hoc, non intelligunt infelices, aliud esse, Quid fiat in hepate? aliud, Quo sanguine partes omnes alantur?

Vrget quidem Gal. quibusdam locis hepar, propter hypothesin triplicis animæ: sed Adrastéa non sinit illum in vestigio constantem esse. Vt duo sunt vasa sanguiflua, *l. An sanguis*, 6.*B*. 5. *Vs.p*.2.*B*. 16.*Vs.p*.12.*E*. ita sanguis vterque concurrat oportet, siquidem nutritio fieri debet. Ait enim 4. *Vs.*
B *p*.15.*D*. Viscera pleraque (dicam ego *Omnia*) sanguine tam venoso, quàm arterioso nutriri. 6.*Vs.p*.10. *H*. concedit, pulmonem nutriri sanguine vtroque. Et ne tu tergiverseris, *ibid.M*. in vniversum inquit, *In toto corpore mutua est anastomosis*, *&c*. Eodem *l. cap*.17.*C*. dat nobis duo vasa sanguinea, & duplicem in illis sanguinem, qui factus sit ob diversitatem partium nutriendarum.

Quomodo *Vtroque?* Qui enim in Arteria venosa est, ex vena arteriosa est, nactus πλεκτή- C ματα quædam ex dextro vẽtriculo. Vnde suprà quidem venosum est, infrà autem arteriosum.

Hanc in rem factas esse mutuas illas anastomoses, quarum memini, & quas peculiari experimento probat eodem 6.*Vs.p*.21. *C*.3.*Fac.nat*.15.*B.de Vs. puls*.5.*A*. certum est. Harum enim beneficio arteriæ trahunt ex venis, non
C contrà, vt vult eodem 3.*Fac.nat*.14.*B*. 6.*Vs.p*.17.*A*. Quin tantùm abest, vt è solo sanguine venoso constet nutritio, vt sine arterioso ne fiat quidem, ceu Conciliator, & alij docent. Ex corde enim formalitas, dicunt Philosophi. Et hoc est, quod autor *l.de Ther.ad Pis*.16.*F*. ait, sanguis ad nutriendum fit idoneus, postquam in cor translatus fuit.

Nec differt ab hoc effato nisi sono verborum, quod affertur ex 1. *Temp. vlt.extr*. sanguinem habere tantum caloris, quantum accipit à corde, viscerum omnium calidissimo. Nec quemquam moveat, quòd 6.*Sent.Hipp*.6.*D*. iubeat sibi monstrari vas, quod è corde in vniversum corpus exportet sanguinem. Iam enim *suprà cap*.43. monstravi illi Aortam, seu Arteriam ma-
B gnam, probavíque de propria Gal. sententia continere sanguinem.

Multò minùs moveat quem, quod *ibid*. ait, sanguinem illum habere alium vsum. Iam enim ex tot locis ostendi, Galenum agnoscere hunc ipsius vsum, vt οἱ φιλογάληνοι ridiculi sint futuri, si ampliùs perfricare velint frontem. Iámque ita concludo cum Gal. ipso: *Probabile est*, *In hepate quidem præparari sanguinem illum, qui nutrire debet: probum est, & Naturæ consentaneum, in corde perfici demum illum, qui reverà nutrit*. Neque enim sanguis tam abiectum est opus, vt subitò fieri possit, & ab vno instrumento: quin opus habet plurimis, quibus omnibus κατ' ἐντελέχειαν agentibus, fit denique excellens hoc opus.

Quo loco si quis contentiosiùs pro Galeno próque hepate pugnare velit,
C illi in os dicendum fuerit, In bonis autoribus non esse quærendam eandem vbique ἀκρίβειαν: quin concedendum esse Galeno, vt heic quidem serviat thesi suæ, illic autem dicat, quod res est.

CAPVT

CAPVT CCXCV.

De temperamento ſanguinis.

TAm apud Ariſt. quàm apud Gal. res eſt æquè intricata. Verumenimverò quia res Galeni agimus, non eſt cur latiùs evagemur. Is 1. *Nat. hum.* 36. *A.* cùm calidum & humidum eſſe dixiſſet ſanguinem, mox *B.* ait, Satius eſſe, vt temperatus dicatur. Nec ſatis hoc illi fuit, ſed *t.* 39. *ſeq.* Temperatiſſimum eſſe profitetur, ſed vt ſe explicat *proœm.* 1. *in* 1. *Epid. C.* in regione temperata, conſtitutione aëris tali, & ſimilibus. Rurſus, 5. *Simpl.* 21. *A.* mediocriter calidum eſſe pronunciat. Idem 2. *Temp.* 2. *F.* humorum calidiſſimum eſſe affirmat. Et 1. *Temp.* 9. *K.* ait, Sanguis in corpore calidiſſimus eſt, humidus minùs quàm pituita. Calidus eſt 7. *Meth.* 7. *H.* Humidus, 6. *Sent. Hipp.* 9. *K.* Calidus & humidus 1. *Nat. hum.* 40. 2. *Fac. nat.* 9. *E.* 1. *San. tu.* 2. *B. Diff. morb.* 12. *D. Cauſ. morb.* 6. *B.* 3. in *l. de Alim.* 1. *M.* 4. in *eund.* 23. A B

Quid igitur in tãta diverſitate? Calidiſſimus eſt ſanguis inter ea, quæ ſecundùm naturam, ſeu naturæ inſtituto ſunt in corpore, ratione inprimis ſpirituum, quibus turget, quique ſeorſim conſiderati certant cum ſanguine de hoc gradu. Alioqui bilis eſt calidior: ſed eſt præter naturam, & exigi debet è corpore. Sed quo modo temperatus & calidus-humidus ſimul? Multi multa dicunt: mihi Augenius perſuaſit *Tomo alt. Epiſt. l.* 1. *Ep.* 2. Temperatum eſſe idem cum Calido-humido. Ne autem obiiciatur, quod Gal. obiicit veteribus 1. *Temp.* 4. *B.* dico, Temperatum in certo gradu me requirere, v.g. in primo, aut ſecundo: at ſi accedat ad tertium, iam in vitio eſt. Ita intelligo Gal. 1. *Nat. hum.* 33. *A.* & mox 36. *B.* Melius eſt dicere, ver eſſe temperatum, quàm calidum-humidum. Quaſi diceret, Parum quidem refert: præſtat tamen hoc. Ita de ſanguine quoque.

Quid moliatur Rotarius *Contrad. Gal.* 125. Quid item Coſt. in *Diſq. Phyſ. f.* 243. *& ſeq.* vide. C

CAPVT CCXCVI.

Actu, an potentiâ ſit talis?

LEviculum quidem hoc eſt: ſed quia contrarij ſunt apud Gal. loci, oportet attingere levi brachio. Dico cum Pacio, *Com. in* 3. *Meth.* 3. modus loquendi, coniicit nos in iſtas difficultates. Sæpe enim ita aberramus, Ignis habet poteſtatem vrendi: at ille actu eſt calidus. Piper calefacit: imò potentiâ eſt calidum. Ita de re noſtra, Sanguis eſt potentiâ calidus-humidus, quátenus omnes partes calefacere poteſt, & humectare: eſt actu calidus-humidus, quátenus κατὰ πάθος calet, hoc eſt, turget ſpiritibus, qui partes calore ſuo animant. Et hoc poſterius eſt interpretum Ariſt. Is enim cùm dicat, A

ſanguinem eſſe frigidum ὑποκειμένῳ, *ſubiecto*; ſenſus autem iubeat contrarium: explicant hoc modo, Eſt ita, vt Philoſophus determinat, ſed *per aſſociationem*, vt aqua calida. Hoc (vt paucis me expediam) dico etiam de temperamento ſeminis maſculi. Si his contentus eſſe non potes, abi ad 1. *Gen. hom.* 9. *&* 10.

CAPVT CCXCVII.

Explicatio duorum Galeni locorum.

A QVod involutiùs dixerat Medicus 3.*Temp.*2.*E.* Omne alimentum, quátenus alimentum, calorem animalis auget: id explicat *cap.*4. *P.* vſus voce ὡσαύτως, *eodem modo.* Heic Dudithius *ad Cratonem in Epiſt.* Ergo non refert, inquit, calidis poteſtate, an frigidis eſcis vtare? Conſequentia probatur. Si frigida, qualis lactuca, bonum ſanguinem efficiunt, æquè bene illis vti poſſum ac calidis.

Viderat difficultatem Peletarius 2.*Contrad.*28. Lactuca, inquit, quátenus nutrit, ſanguinem efficit in nobis eundem: ſed non in tanta copia. Hoc in rei veritate non exhaurit difficultatem. Memini DD. Scherbivm, †
B παύν, ita interpretari. Τὸ ὡσαύτως non ſignificat *Æquè*, vt ille putabat, quaſi ſanguis ex origano & lactuca factus, ſit in eodem gradu calidus: ſed ſignificat *Similiter*, hoc eſt, Sanguis ex duabus iſtis ſubſtantiis factus eodem quidem modo ſanguis eſt: ſed non eodem gradu calidus. Sanguis, inquit Pacius in *Meth.l.c.* propriâ ratione non magis requirit tantum calorem, quàm vel maiorem, vel minorem. Æquè enim ſanguis eſt, ſive ſit calidus, vt duo, ſive vt tria, ſive vt quatuor. Ex origano igitur fit ſanguis calidus, vt tria: ex lactuca, vt vnum.

Huc quoque Cardanus tendit 1.*Contrad.*3. *c.*11. Lactuca, inquit in exemplo, auget calorem naturalem, extendendo ipſum ad maiorem molem: non autem augendo qualitatem ipſius. Lactuca igitur calefacit quidem hominem augendo molem ſanguinis: interim refrigerat hominem retundendo calorem acriorem. Vide etiam Avicennam 2. 1.*doct.*2. *ſum.*1. *cap.*15. Valleſ. *Com. in* 1.*Simpl. f.*246.

CAPVT CCXCVIII.

De Excrementis Vtilibvs, & primùm de Semine maſculo.

De vſu eius.

A COnſenſus eſt inter Ariſt. & Gal. habere vim effectivam, adeóque (vt noſtri loquuntur) facultatem plaſticam, quæ ipſa tamdiu hoc nomine gaudeat,

gaudeat, quamdiu πλάττει, *format*, tum demum verò mutatâ σχέσει, formam dici & esse: dissensus in hoc est. Arist. vult, habere solam vim effectivam: Galenus, præbere etiam aliquid materiæ. Illud quidem quia satis constabilitum est; hoc verò omnibus modis infirmatum *l.3.de Gen.hom.* non est, cur huc traducam, quamvis necessariò quædam traducenda sint. Inprimis hoc videtur agendum esse, quoniam doctrina Arist. Traducem (vt hodie loquimur) quasi humeris gestat, an Galenus agnoverit eandem? Cum hac quæstione planè eadem est, nec differt nisi sono verborum,

---

CAPVT CCXCIX.

An semen sit animatum?

VBi iterum protestor, Nolle me de integro resumere: sed hoc tantùm, An Gal. consenserit hac in parte Aristoteli? Principiò, quei ignorare id potuit, qui 2.*Fac.nat.3.B.* semen (perinde ac Arist.) vocat *Naturam, quæ est principium motûs?* Sed cuius? *Alterandi,* inquit, *cogendi, formandi.* A

Hanc cum Phidia comparans ait, Agere quidem artificis more, modóque: sed longè præstantiori. Ille enim forinsecùs tantùm format & exornat ebur, marmor, quercum suam: hæc in interiora materiæ suæ se penetrans, pérque illam totam extensa, singulis partibus tribuit ornatum illum, quem percipere aptæ natæ sunt.

Et ne tu dicas nimis hoc vniversale esse, tres constituit eius actiones, quarum prima sit attractio, quâ sanguinem ad se alliciat magnetis ad instar, & quidem in copia & qualitate talem, qui aptus sit fabricæ suæ. Alteram actionem constituit alterationem, quâ facit, auget, mollit, indurat, lævigat, asperat &c. Tertiam, τὴν πλαστικὴν dictam Græcis. B

Et hæ sunt σύμφυτοι τοῦ σπέρματος δυνάμεις, *connatæ seminis facultates*, de quibus 1.*Sem.6.A.* De his ipsis agens 1.*San. tu.9.B.* τὸ κυούμενον ait περιέχειν ἐν ἑαυτῷ ἰδίαν τῆς ζωῆς ἀρχὴν, τὸ κύημα, (vt nos loqueremur cum Arist.) *habere in se proprium vitæ principium.* Quod verò principium illud est, nisi semen masculum? Ne tergiverseris, 1.*Sem.8.B.* spiritum in semine contentum vocat αὐτοκίνητον ἀρχὴν τοῦ ζώου, *principium ex se mobile ad animal.* Vt enim 14.*Vs. p.3. D.* loquitur, Quamprimùm semen maris in vterum venit, orditur motus naturales, qui sunt, attrahendi ex vasis vteri tantùm sanguinis, quantùm opus illi. Omni luce clarior est locus *de Form. fœt.6. N.* vbi ait, *Animam, quæ corpus format, in semine contineri.* Huc quoque pertinent, quæ paulò *superius*, F. dicit, *Quapropter eorum ratio, &c.* Quibus cùm opponi possint, quæ O. leguntur, *Fateor igitur, &c.* Lacuna fecit inde *Contradict.2.* Sed rectè respondet illi Vallesf. in *Loc. pugn.* Galenum heic disputare, & nihil certi concludere.

6.Sent.Hippoc.6.M. ai[t] C fœtum in se sitas habere facultates ipsum gubernantes. Et *paulò antè L.* in semine illas collocat.

Et est ita, si concedas, in superioribus esse sententiam propriam. Ad hanc tendit D

tendit illud quoque, quod Gal. libenter iactare solet, Semen masculum ali à fœmineo, non, inquam ego, humore illo albo, qui non nisi in paucis quibusdam fœminis est, sed sanguine materno, de cuius elaboratione actum mihi est *Com. in* 14. *Vs. p.* 6. & 1. *Gen. hom.* 22. Non abludit etiam, quod ex *l. de Marasmo* afferri potest *c.* 1. Semina tam plantarum, quàm animalium constituere tertium genus viventium.

Hinc ovum dicitur quibusdam ἡμίζωον, *semianimal*. In his omnibus, qui audit *vitam, facultatem ad vitam, è quibus vita ostenditur*: negétne aliquis semini vitam? de Gal. inquam sententiâ? Facultas enim est inter relata, & subitò trahit secum id, cuius facultas est, 1. *Caus. puls.* 2.

E Hæc qui pluribus confirmata volet, Bronzerium adeat 2. *de princ. sem. eff.* 4. Qui totum negotium nôsse volet, visat ad 2. *Gen. hom.* 3. *& seq.* Quo loco addere libet, quod posteriùs cognovi, & quod apud me ἀτοπώτατον est. Ait summus quidam vir, *Semen galli in ovo tantùm non adesse, sed ne adesse quidem posse.* Hoc quei credam, si tanta seminis necessitas? Tantò magis, cùm intueor, eiusdem verba, *Vsum seminis galli eximium & præcipuum esse, fœcundare ovum ne irritum sit?*

Nec movet me, quod addit, *Non esse illi viam vllam ad vterum, sed con-*
F *tingere tantùm forinsecus ovum iam cortice tectum.* Dico enim, Etiamsi ille viam pervestigare non potuit: non propterea nulla est. Quin res ipsa cogit nos fateri, Semen recipi intra corticem, & facere in ovo (adiutante calore externo) quod coagulum facit in fermento. Nisi id fiat, vnde erit Calidum nativum in genere gallinaceo? vnde fœcunditas in eodem? Profectò, qualitas sola præstare hoc neutiquam potest: opus est substantiâ. Et hæc facit, vt etiam diutiusculè reposita ova sint fœcunda.

Hanc substantiam puto Aristotelem 6. *Hist.* 2. vocasse χάλαζαν, *grandinem*. Diligenter enim & sæpe consideranti mihi, visa fuit eiusdem cum semine masculo substantiæ. Sed cur duplex, & diversis locis? NESCIO. Interim hoc verè SCIO in ovis subventaneis non esse, certissimo argumento, semen esse. Hinc Gallis *le germe* dicitur, Italis *la gallatura*, quòd à gallo fit.

Hæc (vt in vniversum concludam) constituit *Traducem* vulgò dictam, de qua actum mihi est 2. *Gen. hom.* 2. & quam Sacris literis conformem esse scio, vt docet inter alios Horstius noster 2. *Nat. hum. Exerc.* 10. *quæst.* 2. Hac datâ, concidit novum dogma, A matre esse animam.

CAPVT CCC.

Quid fiat de corporatura seminis?

A VT intelligatur thesis, ex 1. *Gen. hom.* 7. repetere oportet illud. In semine duo considerantur, λόγος καὶ ὄγκος. Λόγος σπερματικὸς est spiritus in semine contentus, cuius ratione animatum dicitur, & habet rationem for-

mæ

mæ in hoc τῷ ὅτι: ὄγκος σπερματικὸς est id, quod corporaturam dixi, materia inquam, seu subiectum spiritûs, in quo ille, vt forma ἔνυλος, sedem habet.

De toto hoc consensus est, vt dixi, inter Arist. & Gal. habere rationem efficientis: dissensus est, quòd Arist. pro formali tantùm agnoscit, Gal. pro materiali etiam. Si nondum capis, Arist. vult, Semen quidem agere ratione τοῦ λόγου: τὸν ὄγκον autem eo modo absumi, vel in cor tantùm, vel in reliquas B
quoque partes, quomodo coagulum in caseos, fermentum in panes, ita, inquam, vt nulla pars constituatur ex ὄγκῳ illo. Gal. agnoscit quidem actionem τοῦ λόγου: sed ex ὄγκῳ constituit partes quasdam, seminales illi dictas.

Atque heic tota Philosophorum schola insurgit contra Gal. & meritò. Cùm enim semen sit vnum τόδε τι; vnum autem, quà vnum, agere in se ipsum non possit: quei fieri potest, vt λόγος agat in ὄγκον suum? Hac ratione fit, inquiunt, vt vnum simul agat & patiatur; simul actu sit, & potentiâ; simul sit, & non sit: quo quid absurdiùs in Philosophia? Et hoc nescivisse Galenum nefas dictu sit. Si vis abi ad 3. *Gen. hom.* 3. *& seq.*

Ego verò scivisse illum probabo aliquot argumentis, vt discant porrò C
silere, qui heic feroces se faciunt. Commentans ille in 1. *Nat. hum.* 5. *extr.* ait, οὐ δὴ αὐτό γε ὑφ' ἑαυτοῦ πάσχειν ἐγχωρεῖ, *Profectò, vt aliquid à se ipso patiatur, ex iis est, quæ fieri non possunt.* Idem explicans eadem Hipp. verba 1. *Elem.* 2. *extr.* sic inquit, ὅτι τὸ ἓν ἀπαθὲς, ἀπόδειξις σύντομος. Οὔτε γὰρ εἰς ὃ μεταστήσεται, οὔθ' ὑφ' οὗ πείσεται, τὸ ἓν ἔχει. Μεθιστάμενον γὰρ εἰς ἕτερόν τι μεταστήσεται· καὶ πάσχον ὑφ' ἑτέρου πείσεται. *Succincta & sine ambagibus demonstratio est, Vnum esse impatibile. Vnum enim non habet, neque in quod mutetur, neque à quo patiatur. Si enim mutari contingat, mutabitur in aliud quid: si patiatur, ab alio quodam patietur.* In eandem sententiam 1. *Temp.* 2. *D.* ait τὴν γένεσιν, καὶ D
τὴν ἀλλοίωσιν, καὶ τὴν μεταβολὴν ἐκ τῶν ἐναντίων εἰς τὰ ἐναντία γίνεσθαι, *Et generationem, & alterationem, & mutationem* (omnem) *fieri ex contrariis in contraria.* Et mox E. Τὸ μεταβάλλον, ᾗ μεταβάλλει, ταύτῃ μεταχωρεῖν δεῖ εἰς τοὐναντίον, *Quod mutat, quátenus mutat, eátenus transeat oportet in contrarium.*

At verò (inferam ego) in vno quæ contrarietas esse potest? In hunc sensum est illud, sive Gal. sit, sive non sit, *de Constit.* 8. *B.* τὸ ἓν ἀμετάβλητον εἰς ἕτερον, *Quod vnum est, non potest mutari in aliud quid.* Hoc verò & indubitatò Gal. est, & ferit instar acinacis, *de Pleth.* 3. *D.* ποιεῖν εἰς ἑαυτὸ λέγειν ὅπου, εἰ ἐνεργεῖν εἰς ἑαυτὸ, παρὰ τὴν ἔννοιαν ἐστίν, *Nemo tam ineptus est, qui* E
dicere ausit, aliquid in se ipsum agere aut operari.

Heic ego: Atqui tu ipse, ô Galene, dicis hoc de semine masculo? Hac in re ne Philosophastri nostri, qui dividunt semen in partem agentem & patientem, porrò ostentent acumen suum, accipiant ab ipso iterum Gal. hæc tria. Primò, Si secundùm quasdam partes agit semen, secundùm quasdam patitur, non erit similare, Sed est similare, 2. *Sem.* 5. *A.* Secundò, Si similare est, quod non ex certis quibusdam partibus fit, vt compositum seu dissi-

Qq milare,

milare, ſed ex numero infinitis, *6.Sent.Hipp.2.extr.* Semen autem eſt ſimilare: quid heic eſt, quod has quidem partes dirigit ad vim activam, illas F autem ad paſſivam? Tertiò, Si vis plaſtica ineſt omnibus ſeminis partibus, nec ſeparatim id, quod movet, & ſeparatim id, quod movetur: non poteſt ſemen ſimul rationem efficientis habere, & materiæ. Atqui verum eſt prius *2. Sem.5. B.*

Hæc ſine affectu conſideranti mihi ante multos annos, occurrit, quod apud Ariſt. legeram, Errandi cauſam aliquando nobis fieri inadvertentiam, cùm, viſo particulari aliquo, non cogitamus de vniverſali, quod ignotum alioqui nobis non eſt. V.g. Videt aliquis mulam ſuffarcinatam, Hem tibi, inquit, mulam gravidam! Atqui, inquit alter, mula nec gravida fit, nec parit! Ita putabam, Galenus optimè noverat vniverſale: ſed non erat illi in memoria, cùm *libb.de Sem.* ſcriberet. Poſſet dici, niſi aliis etiam in locis iaG ctaret hoc abſurdum.

Locus eſt *2.Prior.21.* In quē vide Piccartum noſtrū, *Organi f.536. & 610.*

Propterea veni poſteà in eas cogitationes, laudem aliquam captare voluiſſe è victoria illorum, quos *1.Sem.4.A.* nominetenus Peripateticos vocat, qui, inquam, duo illa verba *1.Gen.2.* διανόῃ καὶ πνεύματι tam ſupinè interpretabantur. At verò, ô Galene, non ſi malè illi, tu propterea bene! Obſtat enim tibi theorema illud vniverſale, tam bene tibi notum, quàm vngues tui, Vnum, quà vnum, non agit in ſe. Quamobrem tui officij erat, iungere ſimile de coagulo, quod ex Ariſt. *l.c.* affers *1.Sem.3.C.* cum duobus illis verbis, & hinc verum Philoſophi ſenſum elicere potiùs, quàm novum gignere dogma, toti Philoſophiæ incognitum!

H Tandem Capivaccio me iunxi, qui ait *l. de Gen. hom.* Galenum noluiſſe intelligere Ariſt. Sed cur? Vt laudem ſibi conciliaret ab hoſte tam nobili. Hoc videtur mihi tacitè fateri, cùm *fine libb.de Sem.* ſcribit, *Fortaſſis hæc vera ſunt: fortaſſis non ſunt, ſed veriora inveniri poſſunt.* Reverà iam inventa erant, ſiquidem τὴν ἀλήθειαν θεωρῶν volebat. An his ipſis verbis ſollicitare voluit alios ad Veritatis inquiſitionem? Neque enim dictu abſurdum eſt, tentare voluiſſe nimios ipſius admiratores, an recepturi eſſent hæc talia monſtra?

CAPVT CCCI.

Incommoda, quæ ſequuntur Galeni ſententiam.

A MOnſtra verò, dicet aliquis τῶν φιλογαληνῶν? Monſtra certè. Hoc vt credere incipias, conabor oſtendere, Galenum hoc ſuo dogmate non minùs mali intuliſſe tam Philoſophiæ, quàm Medicinæ, quàm hydra Lernæa Argivis olim. Huius primum caput eſt, quod iam recidimus, *Vnum, quà vnum, agit in ſe.* Hoc tantò formidoloſius eſt, quò tectius eſt apud noſtros homines. Plerique enim omnes non maiorem afferunt conatum ad exſtir-

pationem

pationem illius, quàm gallus (vt in proverbio est) ad superandas prunas ardentes. Causa est, quia non intelligunt: sed nec intelligere volunt. Interim habentur vulgò pro ingentibus Titis, qui vicisse se Arist. quoque existimant, si eidem affricent suam scabiem. Quod ne tu frustrà dictum esse putes, B
vide Horneium *disp.Phys.*11.θ.17. Quàm verò longè absit ab hac culpa Arist. videant, qui volent, apud Ill. Bonamicum 8. *de Motu*, 41. Satis etiam dilucidè explicat negotium Schegkius *princ.libri de Caloris vi.*

Alterum Lernæ caput est, quòd temerè multiplicavit entia. Introduxit enim partes spermaticas, quæ in rerum natura non sunt. Irasceris? Reverà partes omnes fiunt ex sanguine, & solus sanguis est materia omnium partium, debéntque adeò dici omnes sanguineæ, siquidem tale quid admitti potest. Et quia Gal. ipse, cùm extra fermentum est, multis locis concedit, Omnes partes fieri ex sanguine: non iam opus est alio redargutore. Loca C
sunt, ne mentiri me putes, 1.*San.tu.*2.*A.* 2.*Fac. nat.*3.*C.* 1. *Nat. hum.*17. 2. *Elem.*2.*A. Ibid.*4.*C.* 8.*Sent.Hipp.*4.*A. Form.fœt.*2.*C.* 3.*Vs.p.*10.*AA.* Scio, quid obloquantur sophistæ quidam: sed quia titivilitio leviora sunt obiecta, præstat contemnere.

Vide Iul. Alexand. *Enant.*11 3. *Gen. hom.* 17.

Tertium est. Certissimæ veritatis est Arist. axioma 2.*Gen.*3. *Ex iisdem nutrimur, ex quibus constamus*, adeò quidem, vt Gal. ipse 1.*Sem.*16. acceptârit sine contradictione: siquidem partes omnes constant ex sanguine, omnes etiam nutrientur sanguine. At dogma Gal. secum trahit hoc alterum, Ergo quædam semine nutrientur? Hoc tantum absurdum non modò non formidat Gal. sed & demonstrationem crepat contra Arist. 1.*Sem.*12.*A.* Videmus, inquit, ad sensum, in venis & arteriis spermaticis gigni semen. Verum dicis, D
ô Galene: sed quid ad rem? Ergóne fit id ipsum in toto corpore? adeóque semen deciditur ex toto corpore? Sed loquamur de vasis spermaticis tantùm; an quia semen gignunt, aluntur etiam semine? nec tibi curæ est, vt distinguas hoc publicum ipsorum officium à privato? Sed esto: Cùm semen gignatur in perfecta ætate, quid fit in impuberibus, in senibus, in iis, qui ob causam morbificam semen non habent?

Interim non possunt tacere scioli nostri. Tamen, dicunt, conficiunt vasa totius corporis succum album, quo aluntur, qui succus iam semen est. Hei mihi, quàm dolent mihi aures ad hoc additamentum! Conficiunt succum album: sed is neque semen est, neque dici vllâ ratione potest. Antequàm E
enim sanguis verè & substantificè nutriat, mutatur in succum album, quem fortassis etiam lac dicere possis, siquidem omnia licere tibi putas. Nam accidens illud commune, albedo, vtrumque permittit. Verba sunt Alberti Magni 9. *Anim. tract.*2. *c.*3. Sanguis est humor corpus nutriens, sive sit rubeus, sive vltimâ digestione in partibus dealbatus. Si autem (addit) placeat alicui semē vocare, is faciat: sed sciat se nomine abuti. Nisi fallor, huc it Galeni oratio bene longa 1.*Fac.nat.*10. sanguinem nutriturum in aliis atque aliis partibus opus habere pluribus, paucioribúsve alterationibus. Si itaque in quibusdam albescit antequam prorsus agglutinetur, éstne propterea semen?

Qq 2 Quartum

Quartum eſt de partium regeneratione, de qua multus eſt Laurent. 1. *Anat.q.*4. Ab hac differentia eſt, inquiunt, quòd partes ſpermaticæ non niſi rarò & difficulter renaſcantur: ſanguineæ facilè, 1.*Sem.*11. *A.* Quibus ego, Atqui ſemen adeſt, etiam apud Galenum: adeſt etiam efficiens. Hò! inquiunt ex eodem *de Sem.*13. penè *extr.* Non eſt in debita copia. Fuga inepta, imò nulla. Non adeſt prorſus, ceu patet ex dictis. Sed & de vi plaſtica ita habere oportet, Adeſt quidem, alioqui ſemen fœcundum fundere non poſſet individuum: ſed operari non poteſt, quia non eſt in ſuo loco, in fornace illa naturali, in qua excoquitur ſtatua illa Dædalea.

G Quid ſi dicam, nec materiam adeſſe? Non enim quivis aptus eſt, ſed muliebris crudiuſculus. Propterea totum negotium de partium reſtitutione fit luſorium. Quin audeo dicere, Galenum fallere nos, cùm venas ait ſe vidiſſe renatas. Naturam tubos feciſſe carneos, per quos ferretur ſanguis, fortaſſis credam: venas non credam. Cæterùm, quæ heic invergit Oddus contra Ariſt. toto *l.*3. *Apol.* pro Gal. pro ineptis habebit, quicunque iam dicta intellexerit. Nec meliora ſunt, quæ Rorarius, *Contrad.Gal.* 97.

CAPVT CCCII.

De SEMINE *fœmineo.*

A AMbiguum olim quoque fuiſſe certum eſt, Quod ſit? Vtrùm ſanguis menſtruus dictus? an ſubſtantia illa alba, quæ invenitur in vaſis & teſtibus fœminarum quarundam, proportione reſpondens ſemini maſculo? Et Ariſt. quidem tam confirmârat ſanguinem, vt pars adverſaria optimâ cum ratione ſilere potuerit. Quæ cauſa mihi eſt, cur nunc etiam, vt olim, cùm *libb. de Gen. hom.* ſcriberem, cum Ariſt. ſtem, motus argumentis ipſius infallibilibus.

Locus eſt *l.*1.*c* 5.

Heic repetam illud duntaxat, Sanguinem illum eſſe quidem ὑπόλειμμα potiùs, quàm *Excrementum:* ſed quia vulgò ita loquimur, ſinere me. Huius
B conſectarium eſt, Excrementum eſſe ſolâ quantitate. Hoc claris verbis Gal. docet 3. *Cauſ. ſymp.*3. *A.* & exſcribit αὐτολεξεὶ ille, qui Com. nobis dedit in *l.Hipp. de Alim. ſect.*3. *c.*17. *C.* Hic locus tantò magis attendendus eſt, quò verius eſt, Galenum hac in re conſtantem fuiſſe. Nam quæ leguntur *l. de Atra-b.*8. *A.* & 2. *in* 2. *Epid.*22. περὶ τῶν λοχείων ſunt. Fortaſſis hoc quoque monendum fuerit, Sanguinem hunc, ſi cum maſculo compares, eſſe crudiuſculum, quia coqui iterum debet. Vide *Com. in* 14. *Vſ. part.*6. 1. *Gen. hom.*22.

Ex hoc tanquam corollarium pendet alterum, Turpiter labi Cæſalp. virum alioqui graviſſimum, cùm 5. *Quæſt. Perip.*2. ſanguinem hunc ideò vocare vult *Pituitam!* An fecit amore Ariſt. 1. *Gen.*18? Videtur. An ſanguis hic dici po-
C teſt ἰχὼρ διὰ τὸ μήπω πεπέφθαι, 2. *Part.*4. 3. *Hiſt.*1? Non videtur. Sanguis enim hic in hoc genere perfectus eſt, & conſiſtit in hac imperfectione fœminæ perfectio, vt alibi docui.

CAPVT

CAPVT CCCIII.

Locus Galeni perpensus.

QVod falsitatis proprium sit se ipsam in ruborem dare, vel hinc discas licet. Cùm 2.*Sem*.2. *C.D.* semini masculo tribuisset vtrumque principium, & effectivum & materiale: sanguini menstruo bis tribuit etiam vtrumque. Heic quis non cogitet, Quo modo ex duabus formis fieri possit vna? quomodo diversæ materiæ conspirant in vnum τό δέ τι? Nec est, quod occinat mihi quis, vtrobique esse & formam humanam, & materiam humanam: Margitâ enim hoc dignum est, non me. Vide *suprà c.*151.

CAPVT CCCIV.

De semine fœmineo hodie dicto.

COnsentio equidem Gal. 2.*Sem*.4.*D.* disputanti contra Arist. 1.*Gen*.20. semen vocandum esse humorē illum album, qui in quibusdam fœminis est: sed γόνιμον, *fœcundum* esse pernego. Hoc facio autoritate ipsius Gal. cuius *l.c.* hæc sunt verba: *Fœmina cùm sit frigidior & humidior mare, non potest excoquere sanguinem ad eum caloris gradum, ad quem mas excoquit.* Hic verò gradus cùm fœcunditatem præstet: ille necessariò non præstabit. Huic rationi succenturiatam do alteram ex 14.*Vs.p.*7. *B.* natam, sed aliter accommodatam, Si tam maris, quàm fœminæ semen ad vnam actionem concurrunt; est autem maris calidius, fœminæ frigidius: erunt ἀρχαὶ ἀλλήλοις μαχόμεναι, *principia secum pugnantia*, vt Gal. verba habent. Nam licèt frigidum heic sit minùs calidum: id ipsum tamen calidiori est frigidum. Quia remissum remittit intensum, vt nôrunt genuini Philosophi. Atque hoc primum est, quod facit hoc semen aspernabile. A B

II. Testes & vasa spermatica sunt exiliora; imò in testibus non nisi rarissimè est semen: quâ re quid verisimile est Naturam indicare voluisse? Si addam, prostatas non nisi rarissimè adesse, maior erit dubitandi ratio.

III. Experientiâ constat, etiam illas, quæ habent semen, non semper conferre ad generationem.

IV. Etiam cùm conferre videntur, non excernitur eodem cum mare momento.

V. Non est illi via ad vterum.

VI. Per vteri cremasteras exit foràs. Hæc qui latiùs deducta velit, adeat 4. *Gen. hom. extr.* Sed cur habent fœminæ has partes eodem numero? C

I. Dubius est valde hic numerus, vt dixi.

II. Habeant: vbi est efficiens, quod Galenus vrget, ceu vidimus?

III. Quemadmodum mammæ virorum habent eandem constructionem, eadem vasa, non tamen eundem vsum: ita heic. Vt enim in viris papillarum constructio est notæ gratiâ tantùm: ita in fœminis testium. Vt in viris vasa implent vsum secundarium, nutriunt, inquam, partes illas: ita de vasis spermaticis fœminarum. Ergo frustra sunt? Quod notæ gratiâ est, non est frustra. Natura enim vnitatis studiosa est. Quid verò si dicam frustrà esse? Fortassis enim obtinebo, Naturam facere aliquid frustrà!

CAPVT CCCV.

De vsibus seminis huius.

A AD has angustias cùm perpelli nollet Gal. Licèt, inquit, γόνιμον non sit: tamen plures alios habere potest vsus. Mihi inprimis hoc displicet, quòd Gal. ferè id agit, vt plurima cumulet, eadémque se evertentia!

I. Semen fœmineum, inquit, auget molem masculi. Heic statim obversetur alicui illud, Annon cum damno futura sit auctio illa? Obtundet enim calorem ipsius. Sed non fiat: cui bono erit amplificatio illa? Observatum fuit ab antiquis, fœtum humanum circa diem 40. omnibus suis partibus absolutum, non excedere formicam maiorem, aut apem. Et non sufficiat huic magnitudini moles seminis masculi? Sed nec admodum bene sonat, quod
B dicunt in hoc passu, vt sic loquar, Semen fœmineum fieri alimentum masculi. Alimenti enim est vinci seu pati. At masculum semen, per vos etiam, est activum quid.

II. Oblinit vterum intrinsecùs, eiúsque cornua. At quis cornua in homine vidit? Sed sint: quæ est oblitionis huius necessitas? Neque enim toti vtero adhærescit hepar vterinum: sed vel dextræ vel sinistræ parti tantùm, vt Gal. ipse scribit 1.*Sem*.4.*G. Form.fœt*.2.*B*. Et quid? annon Hippocraticum est, *Post menstrua aliquando dextra hiant, aliquando sinistra?* 2. *Epid*.3. *t*.27. apud Vall.

III. Præbet materiam membranis fœtum involventibus. Quæro ego, vnde sit hoc experimentum? & à quo? Apud me planè est ἀνεξεύρητον, *impos-*
C *sibile habitu*. Et cur Gal. tam varius est ea in re? Qui vult, videat apud ipsum 1. *Sem*.4.*H. Ibid*.7.*A*. 14.*Vs.p*.11.*A*. 2.*Sem*.4.*C.F*. 2.*Fac.nat*.3.*G*.

IV. Aperit in συνουσίᾳ os vteri, 14.*Vs.p*.10.*E. Ibid*.11. *A*. Heic iterum quæro, Vnde sit hoc experimentum? Et quid opus est hoc officio, siquidem os vteri rapit semen, vt gula famelici cibum? 1.*Sem*.4.*E*.

V. Ἐπεγείρει πρὸς τὰ ἀφροδίσια, inquit 4.*Sem*.4.*C*. 14.*Vs.p*.11.*A*. Tribui huic rei olim aliquid: nunc ferè mihi satis est calidus vapor, cuius memini in testium vsu, *cap*.151.

CAPVT

CAPVT CCCVI.

Επείζαγμα *ad superiora.*

NOn sine bile legi his diebus hominis cuiusdam novi scriptum, in quo A se iudicem constituit inter Arist. & Gal. quorum neutrum intelligit: quin puto à consecraneis accepisse, ne lectis quidem, aut certè non intellectis autoribus ipsis. De Gal. ostendam id paucis. Quòd fœminæ habeant semen fœcundum, primum Gal. argumentum esse vult, quòd habeant testes. Ego verò scio, & habeo pro certo, Galenum nunquam vsum esse hoc argumento. Sciebat enim & situ & magnitudine differre, 2.*Sem*.5. 14.*Vs.p*.6. 11. & 12. quorum vtrumque noverat plurimùm auferre perfectæ seminis elaborationi. Discere verò id poterat ille ex Cost. *l*.4.*Disq.Phys.*

Alterum esse dicit, Quòd in testibus sit semen album, crassúmque. Huius B contrarium ex Galeno deducam. Sciebat enim opus esse ad hanc rem magno calore, qualis in fœmina non est, 2.*Sem*.4. 14.*Vs.p*.7. Tertium & efficacissimum à natorum petit similitudine. Vsus quidem est Gal. 2.*Sem*.1. Sed quanti ponderis sit, considerandum Illi relinquo, iuxta positis duobus non ita pridem allatis Gal. argumentis ex 2.*Sem*.4. & 14. *Vs. p*.7. Iam ergo hoc amicum homini do consilium: *Legat priùs GALENVM, posteà scribat libros.*

CAPVT CCCVII.

De LACTIS temperamento.

VIderi posset res facilis esse, quod rectè Gal. dicat 7.*Vs.p*.22. *B*. 16.*eiusdem* 10. *I*. lac esse sanguinem exactè elaboratum, bene concoctum, 3. A *in* 2.*Epid*.36. idque levi mutatione intercedente, 1.*San.tu*.7. *E*. Sed non est ita. Cùm enim sanguis sit calidus: de lacte expressè dicit 5.*Aph*.40. quòd sanguine frigidius sit. Et 5.*Simpl*.21. *A*. medium dicit esse lac inter sanguinem & pituitam. Quin 4.*Simpl*.17.*B*. ait, Calidum vinci à frigido, additâ ratione, quòd facilè acescat. Huic Medici subiiciunt aliam, Fit in mammis quæ frigidæ sunt. Glandulosæ quippe. Tertia est. Cùm partium sit heterogenearum, 3.*Alim*.15. & 16. *C*. 4.*Simpl*.17.*B*. 10.*Simpl.c.* proprio, & alibi; B duæ autem sint frigidæ, caseosa & serosa, vna calida, butyrum: quis non pronunciet pro frigiditate? Quarta. Est inter ὀπτικεχσικὰ dicta, quam ob causam hecticis datur.

Quid igitur dicemus? Triplex est conciliatio. Prima, eáque non magni momenti, Rorarij est *Contrad.Gal*.87. Lac, sanguinis respectu, frigidum est:

lac,

lac, respectu partium ipsius calidarum, calidum est. Altera Accoramboni est, *tract. de Lacte*. Ea, inquit ille, quæ vel temperata sunt, vel vicina temperiei, hoc est, vel frigida in primo gradu : sine magno peccato dici posse, & temperata, & calida, & frigida. Hoc ego illustro ex 5. *Simpl.* 21. *A.* vbi ait, Lac esse tepidè calidum. Tepidè autem calida cùm vocet, sive, tepidam caliditatem cùm tribuat aliquammultis, quæ partim calida sunt, partim frigida, v. g.
C chamæmelo, rosis, atriplici, semini lini, cisto, glycyrrhizæ, aliis, non immeritò quæras, Quæ sit tepida illa caliditas? Persuasus ego sum, caliditatem quidem esse, si simpliciter consideres, hoc est, si rei naturam: frigiditatem autem, si comparatè, referas, inquam, ad hominem, quem refrigerant. Idipsum quia facit lac, non immeritò dicas frigidum, licèt suâ naturâ calidum sit. Tertia esto. Lac, non minùs quàm sanguis, calidum est κατὰ πάθος, *per associationem*, vt *suprà* locutus sum : est frigidum *subiecto*. Quamdiu igitur actu calet, & calore quidem nativo animalis sui, calidum est : at verò quia calor ipsius valde fugax est, 7. *Meth.* 6. *D. de Cibis*, 4. *D.* postquam refrixit, & multò magis cùm iterum coquitur, frigidum est. Verùm hæc aliò pertinent, vt & serum. Vide *suprà* c. 293. & 294.

CAPVT CCCVIII.

De PINGVEDINIS causa efficiente.

A CVm maiores heic sint difficultates, quàm quis putet, digitum ego ad fontem intendam tantùm. Gal. 14. *Vs. p.* 2. *F.* 4. *in* 6. *Epid.* 21. *B.* in genere docet, Calida corpora non coacervare excrementa, sed discutere : frigida contrà. Pinguedo autem est tale excrementum. De hac in specie loquens 4. *Ex. Anat.* 2. *E.* 6. *eiusdem* 6. *C.* 16. *eiusdem* 2. *C.* 2. *Temp.* 3. *B.* & iterum 4. *C.* 2. *Simpl.* 20. *D. E.* coire ait in partibus frigidis, siccis, nervosis, membranosis. Et manifestissimè 1. *Temp.* vltimis verbis asserit, Pinguedinem non coire circa vllam partem calidam. Hanc rem in immensum augentes Argenterius *Com.* 2. *in Artem*, c. 53. & Ioubertus 1. *Paradox.* 7. calori omnia transcribunt.

B Ex horum pedicis nunquam te extricabis, nisi cum Erasto, *θ. de Ping.* & Schrœtero 3. *Hum.* 3. aliísque, distinxeris modum generationis à modo concretionis, spissationis, condensationis, sive quomodocunq; loqui tibi libeat. Generatur pinguedo à calore, verùm non magno (hic enim dissipat) sed mediocri : concrescit circa partes minùs calidas, quæ frigidæ dici possint. Sed profectò nondum est satis. Concrescit enim circa calidissimas quoque, vt cor & renes, quæ partes quomodo non discutient? Heic quidam intercedunt : πιμελὴ non est, sed στέαρ. Scio hæc distingui : sed στέαρ non minùs liquescit à magno calore, quàm πιμελή. Si placet, vide apud Columbum *l.* 7. *c.* 1. quomodo is confuderit Portium, virum alioqui clarissimum, (is eò progressus erat vt negaret esse Adipem) coram tota spectantium caterva? Mihi de

de pinguedine statuere libet, quod de pilis post Gal. Falloppium statuere innui *suprà cap.40. extr.* C


Alia est à Conditoris providentia, quæ certos habet in trina dimensione terminos, quos vltra, citràque non audet illa progredi. Et talis est in corde, idque ob finem, causarum principem. Quidam addunt etiam omentum, quos non audio. Si enim tantopere increscat, vt homo non possit loco moveri, quis credat à providentia esse? Hoc Nicomacho Smyrnæo, tempore Æsculapij, an Asclepiadis? contigit, vt est apud Gal. *Diff.morb.9.A.* Hoc D.Thomæ, cuius aqualiculus tantus fuit, vt mensam incidere in rotundum cogerentur, quod à Scherbio audivi. Alia, quæ à certo caloris gradu fit, in certis quibusdam corporis partibus, parcior, copiosior, pro ratione circumstantiarum. Ergo cùm dicitur: Quo modo circa cor, aut coit, aut durat? Sic Conditor nostri voluit. Vide *suprà, cap.71.*

Huius sententiæ quoque est Iasol. *quæst. Anat.2.fol. 22.a.* Quo loco monere mihi fas sit, Sufficere hoc: ac quæ à *f.17.* vsq; ad finé cumulat de humoribus secundariis Avic. de distinctis caloribus ex Fernelio, de cõmuni & A propria sententia, de aliis, põposè iactat, omnia non esse vnius assis. Ita sétio, ita loquor. Ringatur, qui volet.

CAPVT CCCIX.

De eiusdem temperamento.

QVod ad activas qualitates, fuerunt è Veteribus, qui frigidam dicerent, quorum argumenta legeris 2.*Simpl.20.E.* Sed calidam esse probant illa, quæ 11.*Simpl.c.prop.* 4.*Vs.p.9.B.* afferuntur. In passivis humidam esse extra dubium est, ceu puto. Hoc controversum est, Sitne humidissima omnium in corpore partium, quod Veterum quosdam voluisse affirmat Gal.2. *Temp.3.B.* Ipsemet enim paulò pòst, *F.* vt & 1.*Temp.vlt.K.* pituitæ id tribuit. Responsio in promtu est, Loquitur ex aliena sententia. Interim addit τὸ δεόντως?



DE EXCREMENTIS INVTILIBVS.

HOc præsciendum est, esse vel *propria* singularum coctionum, vel *commune* omnibus. *Propria* in singulis coctionibus sunt duo, Crassum & Tenue. Primæ coctionis crassum excrementum sunt (eo sensu, quo dixi alibi) *Fæces-alvi*: tenue *Pituita naturalis*. Secundæ tenue est *Bilis*: crassum *Melancholia*. Huic quatenus adhæret Cor, habet etiam sua excrementa, de quibus dictum est. Tertiæ, crassum est *Fuligo*, quæ insensibiliter abit: tenue illud, quod in balneis abstergimus. *Commune* omnibus est *Serum*. B

CAPVT CCCX.

De PITVITA naturali dubium geminum.

A QVia Gal. 2. *Fac. nat.* 9. *O. P.* ſimpliciter dicit, naturalem eſſe, & gigni in ventriculo; quia (referendo ſe ad *h. l.*) 5 *Vſ. p.* 4. *B.* ſeſe explicat, & dicit, Neceſſariam eſſe ipſius in prima illa tranſmutatione generationem; quia 1. *Nat. hum.* 39. *extr.* & 2. *Humor.* 30. *A.* ferè iiſdem verbis vtitur: poſſit quis putare, fieri indiſtinctè in omnibus cibis, in omnibus indiuiduis, cuiuſcunque conditionis & ætatis ſint.

Sed reverà non eſt ita, & docui ego *Com. in d. l.* Nunc id ago tantùm, vt ex aliis locis probem, fieri ex cibis pituitoſis tantùm. Hoc enim diſertè dicit ipſius *de Atra-bile* 8. *C.* vt & 8. *Sent. Hipp.* 6. *N.* quò loci addit, *Si non bene concocti fuerint.* Quibus verbis indicare videtur id, quod 1. *in* 6. *Epid.* 6. *D.* ait,
B fieri etiam, cùm cibi nimis multi ingeruntur. Ego video dici debere in vniverſum de omnibus, qui quovis modo infeliciùs coquunt.

Verùm, vt ad cibos redeam: Clariſſimus eſt locus 2. *Acut.* 30. *B. Pituitæ generatio,* inquit, *in cibis pituitoſis perpetuò antecedit ſanguinis generationem, adeòque ſanguis fit mediante pituitâ.* Hoc elicueris etiam ex 2. *Temp.* 6. *extr.* Et hinc firmiter concludo, quotieſcunque dicitur, pituitam neceſſariò gigni, adſtringendum eſſe, vel ad cibos pituitoſos tantùm, vel certè ad eos, qui malè coquunt, ſive id ob ventriculi intemperiem fiat, ſive ob copiam, præſertim panis. Hinc illud mihi πρόβλημα, Si bilis in omnibus it ad inteſtinum duodenum, vt it; non invenit autem in omnibus pituitam: irritum fit conſilium, de quo Gal. in 5. illo *de Vſ. p.* Videbimus autem id paulo pòſt.

C Alterum dubium eſt, Quo modo error ventriculi corrigi poſſit in hepate? Nam 4. *in* 6. *Epid.* 25. apertè id negat Gal. Et eſt id adeò in confeſſo apud Medicos omnes, vt parœmialis locutio inde exſtiterit, *Error primæ concoctionis non corrigitur in ſecunda.* Atque vt certus fias, id quod in ventriculo crudult, in ſequentibus non melioreſcere; accipe iſta ex 6. *San. tu.* 3. *L. Quidquid,* inquit, *in ventriculo corrumpitur, in habitu putreſcit.* Quo ipſo valde elevatur concoctio, quam celebrat idem Gal. 2. *Fac. nat.* 9. *O.* 2. *Acut.* 44. & *alibi.* Cur enim in tertia putreſcit? Quia in ſecunda non fuit elaboratum.

Sed concedatur, coquatur ajo, in hepate: nunquam erit ſanguis laudabilis,
D qui ſanitatem cuſtodire poſſit. Quin talis erit, qualis longo tempore congeſtus facit Cachecticos & Leucophlegmaticos. Hinc ruit pulchellum illud in *de Fac. Non habet pituita receptaculum proprium, vt bilis vtraque: quia concoqui debet in venis.* Atqui, ô Galene, tu ipſe dicis, Naturam peculiare τέχνασμα pro vacuanda illa ſibi paràſſe. Quin credo planiſſimè, includi expurgationi illi, quam 4. *Vſ. part.* 1. & 3. comparat cum prima frumentaceo-

rum

rum in horreo expurgatione. Qui hæc intellexerit, facilè se expediet ex iis, quæ Rorarius cumulat *Contrad.Gal.*109.

CAPVT CCCXI.

Ab hac differátne Insipida & Dulcis?

FVerunt inficeti quidam, qui pro diversis habuerunt: fuerunt etiam, qui ob id Galeno dicam scripserunt. Ego verò affirmo tibi, eam, quæ γλυκεῖα, *dulcis* simpliciter dicitur 4. *Acut.*13.*C. de Pleth.*11. *F.* 4.*Simpl.*16. *C.* nec non eam, quæ ἄποιος, καθάπερ ὕδωρ, *citra omnem qualitatem, veluti aqua potabilis, Atra-b.* 2. *C.* quæ μηδεμίαν ἔχει αἰσθητὴν ποιότητα, 1.*Alim.*1. *L.* ἀπόσημον, 1. *Nat.hum.*31. esse vnam & eandem. Hæc exquisitè frigida non est, sed habet sensibilem dulcedinem, 2.*Diff.febr.*16.*B.* fit à modica frigiditate, & vel paucam caliditatem habet, vel nullam manifestam qualitatem, 3.*Aph.*12.*C.* cùm sani sumus salivam facit dulcem, 3.*Loc.aff.*7.*D.* Et ita quidem apud Gal. est: an in rei veritate aliter se habeat, nôrit is, qui superiora considerârit. A

CAPVT CCCXII.

Quomodo obtineri possit, omnem pituitam esse frigidam & humidam?

DOcuit Gal. tot locis, vt ne à tyronibus quidem possint ignorari, Pituitam (omnem: ita enim intelligo, cùm simpliciter loquitur) esse talem, qualem dixi: at quid fit de salsa? Hæc enim apud eundem calida, sicca, acris & erodens est. Scio, quid meditetur Manardus 18.*Epist.*5. quid item Peramatus *l. de Humor.*15. Mihi placet Thomæ à Veiga in 3.*Loc.aff.*7. conciliatio, quam scio amicam quoque fuisse incomparabili SCHERBIO. Cùm pituita omnis dicitur frigida & humida, intelligitur de eo, quod illi secundùm naturam est. Vt enim aqua, quantumvis ad ignem ferveat, verè dici potest frigida & humida, ex natura videlicet sua, non ex eo, quod accidit illi: ita accidit pituitæ salsescere, & in contrarias qualitates abire. A

Hoc confirmare licet ex 3.*Acut.*13.*C.* Ibi enim cùm fateatur Gal. causum nothum ex pituita salsa esse, quæ calida sit: tamen propter substantiam vocat frigidam, glutinosam, crassamque. Et hoc fortassis modo liberabitur Gal. ab accusatore Tralliano, qui *lib.*12.*c.*7. ait, illum 1.*ad Glauc.*12. in cura quotidianæ præscripsisse incidentia tantùm, & attenuantia. Tu verò, si signa adsint caloris evidentis, quò minùs consilium capias ex re ipsa, Gal. non prohibet. B

CAPVT CCCXIII.

An omnis pituita sit lenta?

A NOtum est Galeni amicis, præsertim ex 2.*Diff.febr.6.B.* vel quatuor esse pituitæ species, dulcem, salsam, acidam, vitream: vel tres, cùm videlicet vitrea cum acida censetur, *de Pleth.*11. *F.* His addenda videtur quinta à modo substantiæ, vt alia sit aquea & fluxilis: alia lenta & viscida. Hoc tantò magis accipiendum, quò verius est variari hinc indicationes. Hac in re Galenus non videtur sibi constare. 2. enim *Diff.febr.*4.*A.* de quotidiana agens, lentorem tribuit omni pituitæ. At 4.*San.tu.*4.*N.* expresse ait, Vtplurimùm lentorem non habere: si habeat (addit) iam Vitrea Praxagoræ est.

Hinc conciliationem petere voluisse videtur Costæus, qui ait *Disq. Phys.*
B *l.*4. Omnem quidem esse lentam: sed non nisi quandam κατ᾽ ἐξοχὴν ita dici, Vitream scilicet. Hinc eodem 2.*Diff. febr.*6.*A.* inquit, Ex pituita quidem, quam Lentam dixerat *c.*4. fieri quotidianam: at ex vitrea, quæ ἱκανῶς, *satis insigniter* talis est, fieri hepialum dictam. Quamobrem, quod dicit 1. *Alim.*2. *E.* pituita secundùm naturam crassa, seu lenta non est, hunc habet sensum: Nondum dicitur, licèt in confinio sit. Ne insolentior videar, accipe hæc quoque. 2.*Aph.*17.*extr.* de plethora dicit, Cùm incipit sanguis corrumpi, nondum autem corruptus est, dici tamen plethoram. Ita eodem *de Pleth.*11. *H.* atram bilem vocare non vult, antequàm acida sit in excellenti gradu: sed vocat etiamnum melancholiam, seu melancholicum humorem. Ibidem do-
C cet, Vinum, quod leviter corruptum est, & potest redire ad naturam suam, vinum dicitur, Vappa inquam ego, non acetum. Ita carnes (dico ampliùs) quamvis per aliquot dies pependerint, & sic satis fœteant, non dicuntur Græcis σαπραὶ, *putridæ*, sed ἕωλοι, *marcidæ.* Et ita quidem Costæi sententiam libuit mihi illustrare.

CAPVT CCCXIV.

An omnis sit flatulenta?

A REspondeo, Quæ nihil passa est, & habet se secundùm naturam, non est flatulenta. At Gal. 3.*Loc.aff.*7.*D.* scribit, Pituitam, quam screando aut vomendo educimus quotidie, dissimilarem esse, vaporoso scilicet spiritu plenam? Dico, Pertinet hoc ad conatum eiiciendi. Miscetur enim intereà aër externus. Quod verò obiicitur ex 1.*Alim.*2.*I.* πνεῦμα φυσῶδες esse de essentia pituitæ; [illegible]d item ex 14.*Meth.*7. aliisque locis de tumoribus œdematosis: id pertin[illegible]t, non ad pituitam ventriculi; sed illius, quæ in habitu,

quam

quam *Crudum humorem* vocâsse priscos iam dicam. Iam ergo sub his distinctionibus tutus est Galenus.

CAPVT CCCXV.

De Humore crudo dicto.

SÆpenumerò miratus sum, quei fiat, quòd Medici de Humore hoc tan- A
tùm non muti sint, cùm Gal. tam multus sit de illo! vocando χυμὸν ἰδίως
καλούμενον ὠμὸν! Nimirùm, nesciunt, quid de illo faciant. Ausim dicere ne
Galeno quidem ipsi satis cognitum fuisse. Si enim pituitæ species est, quod
multis locis scribit: cur non explicuit se, sitne peculiaris species, distincta à
tribus, quatuórve illis, de quibus dictum est? Dico ego, Est eadem cum pi-
tuita naturali seu dulci: verumtamen nata ex aliis principiis. Cùm enim Pe-
ripatetici (hi enim sunt Veteres illi, 14. *Meth.* 9. *B.* 2. *Fac. nat.* 9. *L.*) separâs-
sent se ab inepta illa opinione, quæ exæquat alimenti excrementa cum ali-
mento ipso: si quid simile excrementis deprehendissent in vasis, vocabant id
peculiari nomine.

Quo autem? Quod pituitæ respondebat, *Humorem crudum* nominabant: B
quod bili, *Humorem amarum*: quod melancholiæ, *Humorem acidum*, *seu
radentem*. Hoc probo per partes. De melancholia clarissimus est locus ci-
tatus *de Fac. nat.* De melancholia & bile simul, alter ille *in Meth.* De bile in
specie hoc quoque moneo, Quoties addit *Amara*, non intelligere illum *Bi-
lem flavam* aliàs dictam, quæ, inquam, in vesica fellea secundùm naturam
colligitur: sed illam, quæ præter naturam in quorundam vasis. Puto etiam
τὰς πικροχόλους huc tendere. Vide *lib. nostrum de Humor. c.* 64. Mihi enim
iam incumbit necessitas, vt probem, Crudum Peripateticis dictum humo-
rem nihil aliud esse, quàm sanguinem pituitosum, in latitudine videlicet sa-
nitatis. 1. *Alim.* 2. *I.* loquens de victu athletarum, præcipuè eorum, qui βα- C
ρεῖς appellabantur, alimentis ait vti illos εὐχυμωτάτοις μὲν· ἀλλὰ παχέσι καὶ γλί-
σχροις, qualia sunt panis & caro suilla, quibus (addit) si nostrûm aliquis vta-
tur, ille cumulabit χυμὸν παχέα καὶ γλίσχρον, ὁποῖον ἰδίως ὀνομάζειν εἰθίσμεθα
τὸν ὠμὸν χυμὸν, *humorem crassum, viscidúmque, qualem propriè nominare sole-
mus Crudum humorem. Ibid. c.* 5. concludens negotium de pane docet, Boni
quidem succi alimentum dare: sed crassum, quippe qui obstruit hepar &
lienem. Idipsum alimentum vocat Crudum humorem, qui calculi materiam
suppeditet. Ita *de Pleth.* 11. *E.* cùm dixisset, pituitam facere Leucophlegma-
tian, addit, Crudum humorem esse speciem humoris pituitosi. 6. *San. tu.* 6. *A.* D
agens de curanda plethora iuxtà & cacochymia, de huius diversitate docet,
Quandam cacochymiam (impropriè dictam) consistere in collectione hu-
moris frigidi, pituitosique, quandam in calidi, biliosique, &c. Tum verò iu-
bet eum, qui curare velit hanc, illámve, abstinere à cibis talibus. Tandem,

 indicatis

indicatis libris, quibus de ciborum facultatibus ſcripſerit, *de lib.de Vict. atten.* ait, vtilem eſſe iis, qui congerunt humorem crudum. *Eiuſdem operis l.4. c.4.N.* de eadem cacochymia agens, dicit, Non vnius quidem coloris eſſe, qui eâ laborant : hoc tamen commune habere, quòd origo eius in vniverſum ſit à crudis humoribus. Ita 2.κ.τόπ.2.*A.* ait, Aliquando (de doloribus articulorum tractat) fiunt ab humoribus pituitoſis, & addit, Fortaſſis, ſi quis accuratiùs loqui velit, non appellaverit humorem pituitoſum, *ἀλλὰ τὸν ἰδίως ὀνομαζόμενον ὠμὸν, ſed eum, qui propriè Crudus dicitur.*

E Heic aliquis τῶν ὀψιμαθῶν : Non agis cum Gal. bonâ fide. Quid ita verò? Gal. pleriſque omnibus locis à pituita diſtinguit crudum humorem, quòd craſſus quidem ſit, non ſemper tamen glutinoſus : fiat autem talis, cùm loco calidiore concluſus diutiùs ibi hæret. Hei mihi, quid & quantum eſt ſapere! Nôram ego hæc, antequam te nôſſem, & ſæpe quæſivi velum, quo tegerem hoc Galeni vulnus. Quod quia hactenus factum non eſt, fortaſſis tu ſubminiſtrabis mihi, atque ita Galenum quoque magno onerabis beneficio.

F Cur is dicit *Aliquando?* nec addit *Quando?* An hic eſt ſenſus Medici? Ab initio quidem glutinoſus non eſt : ſed fit, vbi malum diutiùs duravit. Sed quo ſigno agnoſcam? Pituitam dulcem guſtu diſcerno, acidam eodem, ſalſam eodem : lentorem crudi humoris quâ re cognoſcam? Hoc quia Gal. nuſpiam docuit, ſed nec per rerum naturam docere potuit : habeo diſtinctionem hanc pro nulla, & concludo, Crudus humor veterum nihil aliud eſt, quàm pituita Gal. naturalis : quin potiùs eſt ſanguis pituitoſus, ſi accuratè loqui debeo, ita tamen, vt Cacochymia pituitoſa nondum ſit, ſi propriè loqui velis. Hoc probo *Inſtit.l.3.c.7.§.4.5.*

CAPVT CCCXVI.

Aberratio de diſſenſu Galeni à Platone in coloribus.

A PRopter bilis ſpecies, quæ ſequuntur, vrináſque, quas bilis tingit, de coloribus ſoliciti eſſe ſolent Medici. Et quia veriſimile eſt, Galenum à Platone accepiſſe, quæ de hoc negotio habet, admiratione dignum eſt, illum de πυῤῥῷ καὶ ξανθῷ aliter ſtatuiſſe ac Plato *in Timæo!* τὸ πυῤῥὸν, inquit Plato, fit, cùm temperatur τὸ ξανθὸν καὶ τὸ φαιὸν, *cùm flavo accedit aliquid obſcuri*, hoc eſt, *cùm intenſiùs rubet.* At Gal. 2. *Temp.5.F.* τὸ πυῤῥὸν collocat μεταξὺ τοῦ ξανθοῦ καὶ λευκοῦ, *cùm rubedini decedit aliquid, & iam inclinat ad alborem.* Rurſùs, τὸ ξανθὸν apud Platonem fit, μιγνυμένων τῷ ἐρυθρῷ καὶ λευκῷ, *cùm rubro miſcetur album quid.*

B At apud Gal. 1.*Criſ.12.D.* μιγνυμένων τοῦ πυῤῥοῦ καὶ λευκοῦ, *cùm* (vt ſe explicat) *vino albo tenui miſcetur aliquid coloris illius, quem ὤχραν vocant.* Vel, *cùm aquæ puræ additur parum vel ochræ, vel ipſius bilis ὠχρᾶς.* Quare apud Platonem quidem τὸ ξανθὸν eſt infra τὸ πυῤῥὸν : quia τὸ ξανθὸν factum eſt ex duobus

duobus intermediis coloribus; τὸ πυῤῥὸν habet aliquid ex altero extremo, albo. Apud Gal. contrà est: quia τὸ ξανθὸν habet extremum illud. Et videtur Gal. constans fuisse in eo, quòd τὸ πυῤῥὸν sit supra τὸ ξανθόν. Nam 3.*de Nat. hum.* sive *l.de Sal.diæt.1.6.* negat, Polybum rectè vocâsse Germanos πυῤῥοὺς, quos ξανθοὺς debebat. Nimirùm, τὸ πυῤῥὸν est ἀπὸ τοῦ πῦρ, & est cum rubore aliquo, qualis est in stella Saturni, cui cuprum dant Paracelsistæ, qualis in C auro Arabico seu obryzo, nobis est *Rothgelb.* Τὸ ξανθὸν cum albore est, qualis in stella *Iovis*, cui argentum transcribunt Isti, qualis in auro Rhenensi, nobis *Bleich, oder liechtgelb.*

Hic est color Germanorum, quem *Rutilum* ferè vocant Romani scriptores, tanto studio à quibusdam formarum spectatoribus quæsitus, vt est apud Barthium in *Advers.* Sed reverà etiam alij scriptores confundunt τὸ πυῤῥὸν cum τῷ ξανθόν. Et Poëtæ Germanos, eorúmque cæsariem, modò *Flavam* appellant, modò *Fulvam.* Quid istuc verò est! Gal. ipse in illo 2. *de Temp.* dat illis τὸ πυῤῥόν. Sed hæc obiter: quod ad rem nostram, Galenus vel studio secessionem fecit à Platone: vel, quod verisimilius est apud me, est lapsus memoriæ.

CAPVT CCCXVII.

BILIS naturalis latitudo in colore.

HOc ipso lemmate excuso Galenum, qui vni rei non tantùm triplex dedit A nomen: sed & differentias non vulgares in ea constituit. Et quid miri, si in ipso temperamento est latitudo insignis, in humoribus esse eandem! Collatis igitur inter se locis mox dicendis, comperiemus, tres esse vnius coloris gradus, quorum imus est ὁ ὠχρὸς, *Pallidus* Latinis dicendus, non autem *Croceus*, vt Interpretes Gal. quidam: summus, ὁ πυῤῥὸς, quem *Igneum* ab origine volunt quidam vocari, *Rufum* seu *Ruffum* alij, *Fulvum* rursus alij, cum quibus ego: medius inter hos, qui ξανθὸς est, quem *Flavum* dici debere ferè consensus est. Τοῦ ὠχροῦ καὶ τοῦ ξανθοῦ affinitatem ostendit Sylvaticus 1.*Ther.9.* B quà de styrace, ex his Gal. locis, 2.*Acut.22.C.* 14.*Meth.3. D.* 4.*San.tu.4.I.5. Loc. aff.3. C.* Τοῦ ξανθοῦ cum τῷ πυῤῥῷ viciniam docet Foës. tam *in Oecon.* in πυῤῥὸς, quàm *Com.in 2.Epid.1.* & iisdem verbis, *Not.in Epid.l.c.* ex 1.*Cris. 12.D.F.* 1.*in 6.Epid.6.E.F.* Quo ex loco illud capio, Quia arenulæ in vrinis sunt πυῤῥαὶ, videri τὸ πυῤῥὸν rectè collocatum fuisse in fastigio horum colorum.

Hoc ampliùs confirmat, quòd contendit cum sandaracha, (Græcorum, non Arabum, quarum hæc in Off. est, illa non est) sandaracha autem κινναβαρίζει τὴν χρόαν, vt Dioscorides loquitur *l.6.c.76.* apud Marc. Vergilium, hoc est, κατακορῆ πυῤῥά ἐστι, *abundè fulva* est. Sed cur bilis in tanta varietate est? Docet id *Acut.l.c.* & 2.*Fac.nat.9.N.* pro maiore aut minore copia seri, seu C

vocati

vocati ὁ ἡματος τῆς ξηρῆς id accidere. Si enim (vult dicere) diluatur bilis multo ſero , fit ὠχρὰ, *pallida* , quam etiam homines ſimpliciter vocant *Bilem, Epid.l.c.* Cùm ſerum illud magnam partem abſumitur , fit ξανθὴ , *flava* dicta, quam , vt iterum *in Epid.* homines raro (hæc vox eſt notanda , propter locum 3. *Acut.2.G.)* ſimpliciter vocant ita, ſed dicunt, vomuiſſe, aut deieciſſe aliquem *Bilem flavam*.

Cùm ſerum ita abſumitur, vt minima pars reſtet, fit πυῤῥὰ, *ruffa*, ſeu *fulva*. Ita de induſtria loquor : quia cùm ſerum omne eſt abſumtum , iam bilis præter naturam eſt, quæ *Vitellina* dicitur *de Fac.l.c.*5.in 6. *Epid.*14.*B.*2. *Progn.*38. Sed cur *flavam bilem* vocat ἄκρατον , *ſinceram*, ſeu *impermiſtam*, &

D in *de Fac.* & in *Epid.* cùm in confeſſo ſit, omnes ſinceras vacuationes eſſe in morbis tantùm graviſſimis , vt Valleſ. nos erudit 3.*in* 3. *Epid.* 2. *in hiſtoria Reſtiarij ?* Propter ſimilitudinem quandam. Vt enim in morbis omne ſerum abſumitur : ita in ſtatu quodam. ſecundùm naturam plurima ſeri portio abſumi poteſt.

Iam ergo hæc altera differentia eſt à conſiſtentia. Nam *pallida* tenuis eſt & diluta : *flava* , vt & *ruffa* , craſſa. Ab his iam pendet tertia differentia à qualitate. Pallida eſt minùs calida: reliquæ duæ calidiores ſunt. Quare Gal.1. *Alim.*1.*L.* dicere poteſt , pallidam differre à flava κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον. Quo loco cùm affirmet, diſcrimen eſſe maximum, ita ego reſpondeo, illis, qui di-

E ſtinguere volunt: Si quis fruſtrà augere velit longitudinem artis , poſſet ex hac bile non duas tantùm facere, aut tres, ſed infinitas, vt ferè Gal. loquitur in *de San.tu.l.c.*

At verò, poſtquàm ij, qui talium rerum periti ſunt , differentias iſtas infinitas coëgerunt in numerum ternarium , ſatiùs eſt cum illis conſiſtere in veſtigio, maximè, quia ab vno ὑγιεινῷ iſta conſiderantur, & pro ratione individuorum ſanorum iudicantur. In morbis enim alia ratio eſt. Sed quæ ex his tribus eſt naturalior ? Non poteſt reſponderi, niſi conſtituatur priùs, quæ & qualis ſit in homine temperato ? Puto autem *Pallidam* potiùs eſſe , quàm reliquarum duarum alterutram. Quo habito , ratio poterit dari , cur Gal. ferè omittat *Ruffam?* aut quò me adſtrinxi, *Fulvam*. Non niſi in calidiſſimis temperamentis eſt.

CAPVT CCCXVIII.

De abuſu bilis naturalis.

A CVm non paucæ ſunt in hac Phyſices parte communes opiniones , quæ in quaſi poſſeſſionem Veritatis admiſſæ ſunt : tum eſt illa inprimis de bile ex veſica fellea in ἔκφυσιν ventriculi delata eo fine, vt ſtimulet inteſtina. Meminit eius Galenus.2.*Fac.nat.*9.*O.* ſed reiicit ad 5.*Vſ.p.*3.*D.E.* & iterum 4.*C.D.* repetítque *de Atra-b.*8.*C.* quibus locis ſtimulum in duobus conſiſtere ait,

ait, quorum hic quidem celeriorem chyli distributionem ad hepar lienémque faciat: ille autem propulsionem excrementorum deorsum. Hæc verè dici credidi olim: sed postquam incidi in orationem Sal. Alberti VVitebergæ habitam anno 1576. aliter affectus sum. Rationes illius in contrarium, quod ad ἀνάδοσιν chyli, hæ sunt.

Prima, Quo modo bilis non miscetur chylo? Secunda, Quo modo non cum chylo iterum ascendit ad hepar? Misceri, ita docetur. Et bilis & chylus sunt liquida, quæ, non secùs ac aqua, vinúmque, facilè copulantur. Sed afferuntur excusationes. Primò, Chylus per intestinorum capacitatem it: bilis per parietes eorundem. Secundò, Naturæ solertia non permittit mistionem eorum, quæ semel separata sunt. Tertiò, Vasorum mesaraicorum copia tanta est, vt chylum absumere possint, antequam bilis supervenit. Quibus respondetur, Est quidem ita, Naturæ nomen sæpe satis est amoliendis pluribus difficultatibus: sed in iis tantùm, in quibus res ipsa certa est. At verò, neque constat heic τὸ διότι, neque probando illi sufficiunt hæc effugia. Omnia enim sunt à posse ad esse. B

Imò responderi potest ad primũ, Vel ideò bilis simul cum chylo abripitur ad hepar, quia per intestinorum parietes, ad quos hiant vasa mesaraica, repit. Ad secundum, Vasa hæc non agunt per προαίρεσιν, vt hoc quidem acceptare possint: illud autem relinquere. Ad tertium, Eorundem copia non magis respicit chylum, quàm bilem, propter rationem iam datam. His omnibus accedit valida ratio, ab experientia petita. Videmus in morbis etiam mala rapi ex intestinis, non ad hepar tantùm, sed & in ipsum corporis habitum. Ergo, sive misceantur, sive non misceantur hæc duo, videtur ratum esse, Bilem trahi vnà cum chylo. Hoc admisso, quo modo à temeritatis crimine absolvi poterit Natura, quæ frustra secernat bilem, imò in peculiare vasculum condat, quam chylo & sanguini iterum permistura erat? Vide, si placet, Asellium *l. de Lactib. c.* 19. Et hæc quidem de ἀναδόσει: quod ad ἴαμα à Gal. productum, laborat illud duplici etiam incommodo. C D

Primum, Si facta est hæc machina propter excrementa, cur porus bilarius inseritur superioribus intestinis? & quidem propter ieiuni initium, vbi excrementa separata nulla sunt? Nec sufficit excusatio periculi, quod poro illi denegat longius iter. Colo enim sat commodè inseri poterat, quà (putà) hepar contingit vesicam felleam, vt ferè loquitur Bauhinus meus. Secundò, Si verum est, quod Gal. scribit 2. *Acut.* 30. & alibi, pituitæ proventum non nisi in cibis pituitosis esse, & omnino in iis, in quibus μόλυνσις potiùs, quàm πέψις est, vti dixi: quo modo constabit res in alimentis calidioribus, in temperamentis, quæ bubulas carnes feliciùs coquunt, quàm pisciculos minutos, in aliis? Ergò, dicis, frustrà hoc fecit Natura? Quo modo frustrà? Debuit enim bilis vacuari. E

Hoc verò est, quod difficultatem facit. Cur hoc loco facta sit insertio pori bilarij, vbi chylum inquinare potest bilis? Et hoc est, de quo dico, NESCIO. Cæterùm, non inquinari chylum, satis mihi est NATVRÆ nomen,

Ss

men, Et hæc oratio est assertiva, de τῷ ὅτι inquam. Non ignoro diverticulum Falloppij, quod tribus locis inculcat, *in Obs. in Inst.* in *l. de Purg.* quódque approbat Albertus, *Orat. nuper dictâ,* Piccollominus 2. *Prælect.* 20. Bauhin. 2. *Theat.* 45. alij fortè. Vt enim hoc solum dicam, Quantùm favet altior
F vesicæ positus itineri bilis ad vesicam: tantùm, imò magis reclamat idem positus regurgitationi. Vide *suprà cap.* 111.

Antequàm hinc abeam, monere libet quosdam, qui, præter rerum evidentiam, præter omnem veterum autoritatem, pituitæ etiam assignant suos vsus, & quidem quatuor numero, ne videantur parum lauti Naturæ convivatores! Si enim rectè (hoc illi dicunt) Gal. docuit, Naturam pro vacuanda pituita molitam esse hanc structuram: quo modo verisimile est, pituitam posse habere vel vnicum vsum? Sed videmus, inquiunt, crustam nostratibus dictam per tota intestina extensam? Vidi ego quoque non semel; & vidi in aliis pituitam pauciorem, in aliis copiosiorem: sed quid prætereà? Vbi quotidianus copiosæ pituitæ transitus est, ibi non potest non plurimum eius adhærere intestinis, vt accidat quibusdam, quod admirabili Lipsio accidisse ait Heurnius, *præf. oper. suorum.* Credebat excrevisse se tota intestina, adeò longam & figuratam deiecerat pituitam. At hoc totum est symptomaticum.

CAPVT CCCXIX.

Bilem vitellinam Arabum apud Gal. non dari.

A LOquor cum iis, qui sciunt, quo modo differant hæ duæ biles, si sic loqui possum. Arabum commentum stabilire volunt quidam, atque ita locupletare artem, Primò, illo. Cydis filius apud Hipp. 7. *Epid.* vomebat ὑπόχολον γλίσχρον ὡς ἐξ ὠοῦ ὕπωχρον, *subbiliosum, viscidum, quasi ex ovo subflavum.* Hoc quei differt, aiunt, à bile vitellina Arabum? Secundò illo. Gal. 2. *Progn.* 38. post descriptam suam vitellinam, describit hanc quoque his verbis: πολλάκις δ' ὑχροτέραν, καὶ ἧττον ξανθήν, ἥτις ἰδιαίτερον ὠχρὰ προσαγορεύεται, μεμιγμένον ἔχουσα δι' ὅλης ἑαυτῆς φλεγματώδη χυμόν, ἢ ὑδατῶδές τι περίττωμα. Heic, dicunt, quid similius bili vitellinæ, ab Arabibus descriptæ? Addunt verò experientiam quoque.

B Videmus, aiunt, in tertianis nothis, in semitertianis, in aliis huiusmodi febribus, vomi sæpe bilem eiusmodi. Quid restat, quò minùs credamus Arabibus? Mihi verò restant aliquammulta. De Cydis filio rectè Valles. *in Com.* Deiectio fuit, non bilis vitellinæ: sed misturæ cuiusdam ex pituita & bile, quæ similis fuit, non vitello ovi, sed albumini, bile tincto. Locus Gal. sine violentia aliò trahi non potest, quàm quò verba nos comitantur. Sunt enim de imo gradu bilis naturalis, de bile pallida, de qua dixi qualis sit. Neque obesse debet *humor pituitosus tenuis, & aquosum excrementum.* Videtur

tur enim Gal. loqui de diversis rebus, cùm reverà loquatur de vna, de sero
videlicet, quod diluit bilem, quod latiusculè describit, ita tamen, vt poste-
rius explicet prius, more Græcis valde vsitato. Et hanc explicationem præ-
fero nunc emendationi, quam olim meditabar. C

Sed quid opus pluribus? Avicenna pro constitutione vitellinæ suæ vult
phlegma grossum, vt Interpres loquitur, non tenue, quale Gal. nobis dat.
De experientia pudet me dicere. Viderunt enim nostri quoque homines si-
milia his per vomitum eiecta, biliosa aspectu quidem, non effectu, dulcia in-
quam, non amara. Sed sint etiam amara: Hipp. vomitum laudabilem vult
esse eum, in quo exactissimè mista sit pituita cum bile. Hæc verò mistura
non temerè dici debet bilis vitellina, quandoquidem nomen hoc iam alij rei
tributum est à sapientibus.

CAPVT CCCXX.

De bile porracea monitum vnum & alterum.

Gigni hanc, non in vasis, sed in ventriculo, & quidem ex comesto por- A
ro, allio, cepis, & huiusmodi acribus aliis, doctrina est Gal. 2. *Temp.* 6.
G. de Atra-b. 2. *D.* Quare dicere potest 3. *Alim.* 39. *extr.* Alias bilis species, ex-
ceptâ porraceâ, excerni, cùm corpus malè habet: flavam verò seu pallidam,
vt & porraceam, etiam citra morbos per vomitum eiici. At, cur dicit 2. *in* 3.
Epid. 8. *C.* solam bilem flavam naturaliter, & sine morbo excerni: reliquas
verò omnes in morbis? Consentio Peramato *l. de Hum. c.* 23. & Mercato *in
Physiol. quæst.* 85. supplendum esse locum *Epid.* ex loco illo *de Alim.* Interim
hoc moneo, Opus esse παραμυθίᾳ, si vel vtrumque, vel alterutrum admitti
debeat. Flava enim bilis, quia naturaliter per anum excernitur, quei fieri po- B
test, vt sine morbo sursum eat? Porracea, cùm sine corruptione non fiat,
quei sine morbo evomi possit?

De hac eadem hoc quoque adverto, Reverà chylum potiùs viridem esse,
quàm bilem: dici autem bilem, ob solam coloris similitudinem. Hic chylus
si in habitum corporis rapiatur, febrésque malignas, cum aut sine pleuritide,
aliâve inflammatione causetur: tum verò rectè dici posse, aliquando bilem
porraceam gigni in hepate & vasis. Huius rei exempla multa vidi in Italia,
cùm vulgus in Quadragesima, aut etiam post actam Quadragesimam, vt lo-
quitur, ingerit porrum & huius generis alia cruda cum pane. Dissecti enim
post mortem tales omnia viridia ostendunt cum insigni fœtore. Nec ne-
go tale quid fieri posse, etiamsi porrum &c. ingestum non sit, autore
Gal. 2. *Progn.* 39. *B.* Quin 5. *Loc. aff.* 6. *D.* Epileptici quidam evomunt ta- C
lem humorem. Huc facit historia *c. seq.* 7. *M.* viperarij, toto corpo-
re viridis ex morsu viperæ. Aperui ante hos 20. annos iussu magistra-
tûs rusticum, occisum adacto per dorsum circa renes ense latiusculo,

in quo omnia viſcera intensè virebant, ipſe toto corpore ὠχρόλευκος vt Græci dicerent.

CAPVT CCCXXI.

De bile rubra veterum.

CONtra hanc, quò minùs ſit inter bilis ſpecies, efficaciter pugnat τὸ ἐρυθρὸν, quod Gal. conſtanter tribuit ſanguini. At idem 1. *Nat. hum.* 4 *extr.* habet inter bilis præternaturalis ſpecies, quæ in gravibus morbis apparent? Morbi quidem ſatis graves ſunt, in quibus apparet: interim bilis non eſt, ſed ſanguis ſemicoctus, quem Galenus comparare ſolet loturæ recens mactatarum carnium, quem qui excernunt Hepatici dicuntur.

Hanc in rem clariſſ. eſt locus *l. de Atra b.* 2. *B.* Sic igitur, inquit, & rubram nonnulli bilem nominârunt, quæ ad tenuem conſiſtentiâ ſanguinem proximè accedit: ſed quoniam non concreſcit, bilem nominârunt. Ex his intelligitur, Cur ſanguinis ſerum appellârit 5. *in 6. Epid.* 14. *B.* Loquitur igitur Gal. ex aliena ſententia, cùm bilem vocat. Vide Collectanea noſtra *de Ichoribus.*

CAPVT CCCXXII.

De MELANCHOLIÆ naturalis abuſu.

A DE generatione ipſius dictum fuit *ſuprà* abundè in Liene: iam placet loqui de vſu illo, de quo Gal. 5. *Vſ. part.* 4. *L.* Reverà, non minùs quàm bilis ille, eſt inter communes ſententias, & quidem tam affabrè pictus, vt mirer, ſi inventores ipſius ad nos redirent, & audirent buccinatores eius rei Medicos, an riſum ſint cohibituri! Non loquor de Avicenna, qui figmentum illud inſigni auctario nobilitavit: ſed de Gal. Is ait *l. c.* ἡ μέλαινα, τρυφνὴ οὖσα, καὶ ὀξεῖα, συνάγειν καὶ σφίγγειν τὴν γαστέρα πέφυκε, καὶ τὰ ἑξ. Hæc quia refutavi *l. de Vſ. lienis*, *cap.* 20. non iam actum agam, ſed hoc dicam tantùm, Videri Galenum ſub nube latere voluiſſe, cùm dicit, atram bilem hoc facere. Non enim de hac ſermo illi erat, ſed de Melancholia.

B Sed locutus ſit impropriè, quod non infrequens eſt: nego & pernego, Melancholiam, quamdiu ſecundùm naturam ſe habet, τρυφνὴν εἶναι (ſive *Acerbam* dicas cum pleriſque, ſive *Adſtringentem* cum Valleſio) καὶ ὀξεῖαν, *Acidam.* Quod quia *dicto libro* probavi, ſatis nunc eſto indicium feciſſe tantùm. Hoc addo, Frigidam eſſe excuſationem, quâ Gal. *ibidem* vtitur,

Propter

Propter viæ ad anum prolixitatem, vſam fuiſſe Naturam his ambagibus, ablegandi primùm ad ventriculum, deinde per ſpatioſiſſimum inteſtinorum ambitum. Oſtendi enim *dicta opella cap.*18. vias compendiarias, quibus hodiéque acquieſco.

CAPVT CCCXXIII.

De Melancholia & Atra-bilis temperamento.

HAnc inſcriptionem ſi quis rudior miretur, ille hæc capiat in anteceſſum. Μελαγχολία, ſive *Melancholia* eſt craſſum ſecundæ coctionis excrementum, quod ſecundùm naturam eſt: μέλαινα χολὴ, *Atra-bilis*, eſt non Melancholia tantùm, cùm præter naturam aceſcit, ſed & alij quidam humores. Cùm bili accidit acor, fit id cum ſymptomatis longè quàm atrociſſimis, adeóque Atra-bilis eſt omnium deterrima. Sanguis craſſefactus, quia colore vicinus eſt, dicitur aliquando etiam Atra bilis, licèt (vt Gal. diſtinguit) ſit ἐν μεθορίῳ, *in confinio* tantùm. An ex pituita quoque fiat Atra-bilis, valde dubitatur: fieri, penè perſuaſum eſt mihi. A

His ita habitis, quæritur, Verúmne ſit, quod tantùm non conſtanter Gal. docet, Melancholiam eſſe frigidam & ſiccam? Loci ſunt 2.*Fac.nat.*9. *F.* 8. *Sent. Hipp.* 4. *F.* 1. *Nat. hum.*40. 2. *Diff. febr.*5. *A. Diff. Morb.*12.*D. Cauſ. morb.*6.*B.* Et quia de activis inprimis quæſtio eſt, fit difficultas tantò gravior, quò pluribus locis frigiditatem inculcat. Loci iterum ſunt 2. *Cauſ. ſympt.*5. *R.* 3.*Cauſ. ſympt.*3.*Q. Trem. & palp.*7.*H. Inæq. int.*4.*B.* Ego præeunte immortali SCHERBIO, qui Valleſium & Th. à Veiga prætendebat, didici, ſententiam definitivam petendam eſſe, non ex illo 2.*Cauſ. ſympt.* Frigidam quidem naturâ eſſe, ſed calidam, cùm putredo acceſſit: ſed ex 3. *Cauſ. ſympt.* Quò minùs liceat illud acceptare, cauſa eſt, quòd etiam cùm ſecundùm naturam habet, ἐμπύρευμα quoddam habet. B

Et hoc eſt, quod in 3.*Cauſ. ſympt.* docetur, Frigidam quidem & ſiccam eſſe: ſed *vt cinis & acetum.* Quemadmodum acetum eſt & dicitur frigidum, licet ἀποθερμαίνει, vt Gal. alicubi loquitur; ſicut cineres ſunt frigidi, nec tamen calore deſtituuntur, quem in lixivium deponunt: ita Melancholia. Et hoc eſt, quod Avicennæ Interpres ait, *Eſt ad modum aduſtionis & cinereitatis.* Noſtri homines dicunt, Eſt frigida ὑποκειμένῳ, *ſubiecto.* Idipſum in Atræbilis quoque ſpeciebus eſt, ſed magis, minùs, pro natura humoris, ex quo facta eſt. C

Sed hæc quoque de Humoribus.



SECTIO VI.

DE SPIRITIBVS, ET CALIDO-NATIVO.

RATIO ORDINIS.

RESTANT τὰ ἐνορμῶντα, *Spiritus.* De qua vtraque voce ſciendum eſt primò, Complecti etiam *Calidum-nativum*, licèt differant vt cauſa & effectus. *Calidum* enim eſt ſubſtantia in corde ſtabulans, quo agente in ſanguinem cordi affluentem, fiunt *Spiritus*, cum impetu (vt helleniſmus præ ſe fert) per corpus lati. Secundò, Non referre apud veteres, *Calidúmne* dicas, an *Calorem?* Sed preſſiùs iſta conſiderare par eſt.

CAPVT CCCXXIV.

Ratio nominum & diſtinctio.

A PVeriliter errant, qui alterutrum dictorum reprehendunt. Manavit enim vtraque conſuetudo ex ſchola Aſclepiadéa. Ita eſſe confirmo ex Gal. 1. *Elem.* 8. *A.* 1. *Aph.* 14. *D.* 5. *Simpl.* 9. *B.* Atque vt dematur admiratio de poſteriore, In eadem ſchola idem erat Elementum, &, Calidum, frigidum, humidum, ſiccum: illud à ſubſtantia, Ignis, aër, aqua, terra; hoc à qualitate. De priore ſi hæſitas, ſatisfaciet tibi idem Gal. *Aph.* & *Simpl. ll. cc.* Quod dixi de differentia, Conciliator etiam vrget, *Diff.* 59. Cæterùm, quia non minùs perpetuò ſimul ſunt, quàm Cauſa & Effectus, ſinimus ita. Maioris momenti eſt diſtinctio inter θερμὸν σύμφυτον καὶ ἔμφυτον. Licèt enim veteres
B etiam non ſemper diſtinguant; diſtinguenda tamen eſſe perſuadeat periculoſa, quæ inde exſiſtit, confuſio. Ita autem ſe habet res.

Duplex eſt *Calidum* in corpore animato, ſeu, vt alij loquuntur, duplex temperamentum, quorum alterum *Materiale* dicitur, alterum *Formale.* Illud σύμφυτον apud propriè loquentes dicitur, & eſt ab elementis calidis & ſiccis, quatenus participat de illis ſemen fœmineum, ſeu ſanguis maternus, qui eſt materia omnium partium. Hoc ἔμφυτον, & eſt, vt Ariſt. loquitur, à corpore elementis nobiliore, proportionato quippe quinto elemento, ſeu cœlo, vno verbo, à ſemine paterno, ſedémque habet præcipuè in corde, è quo etiam in totum corpus diffunditur. Diſtincta eſſe ita docetur. Exſtincto formali,

formali, mors est, manente materiali. Hoc verò, superveniente putredine, demum etiam perit. Vide *lib. de Calido & Spirit. c. 1.*

CAPVT CCCXXV.

Origo CALIDI nativi, seu τȣ̃ ἐμφύτȣ.

QVòd Galeno Aristoteles non esset in ea æstimatione, in qua DEVS collocavit illum, factum est, vt multa quidem ille passim de hoc Calido dicat: nullibi tamen veram originem disertè prodat. Hoc qui probatum vult particulatim, adeat *dicti operis cap. 9.* vbi hoc ago, vt bona quidem conquiram, quæ boni, tanquam à virgula divina oblata, amplectantur: mala autem seorsim ponam, ne contaminent lucidissimam VERITATIS faciem. Aliud consilium Argenterio fuit. Vtut enim aliàs penè iuratus Gal. hostis sit: in hoc tamen negotio vult videri amicissimus. Scilicet, allatis quatuor τȣ̃ *Calidi* significatis, eruit inde responsiones ad singula, quæ Galeno obiiciuntur. A

Id quo modo successerit, qui aliunde cognôsse non possunt, cognoscant ex *dicti operis cap. 17.* Idem cum Argenterio consilium habuisse videtur Caimus in *tribus libris de Calido-innato*, qui post absolutum illum laborem meum prodierunt. Huius laudi vt nihil invideo: ita miror magis. Videant autem alij: ego enim breviter explico mentem Philosophi, vt *alibi* fusiùs. In sexu distinctis (docet) materia est à fœmina: forma à mare. Forma illa sedem habet in semine masculo, & dicitur semen, quamdiu generat: absolutâ generatione, mutatâ χέσει, vt Bonamicus loquitur, dicitur Calidum-nativum. Et hoc, de consensu etiam Gal. vt *suprà* probavi, sedem habet in Corde, & est aërium potiùs, quàm igneum. B C

CAPVT CCCXXVI.

Contra maximum quendam Philosophum.

Cremoninus est.

REprehendit is Galenum, quòd non quæsiverit Calidum-nativum in Vniverso: sed in animatis tantùm. Profectò reprehensione dignus ipsus est, & novitatis accusandus. Sed & ideò non placet, quòd Galeni nomen præscripserit, cùm Arist. deberet, vel ideò, quia hic demùm quærit τὸ καθόλȣ: ille contentus est homine suo. Et quei possit, vel Arist. vel quisquam alius Philosophorum Calidum-nativum quærere in imperfectè mistis, in metallis, inquam, lapidibus, aliis huius generis? In talibus enim quia simplex est elementorum mistio, sine vllo instrumentorum apparatu; quid opus est quærere aliquid, quod conservet illa in Esse? Reverà sapit hoc causam A

Continentem

B Continentem Stoïcorum, quamvis seriò Ille dissimulet. Sed non sapiat: quâ fronte partes elementorum calidæ in imperfectè mistis dicuntur Calidum-nativum? sive, vt Ille loqui amat, Calidum temperamenti? Calor enim, qui ibi est, est Calor σύμφυτος nobis dictus, de quo heic soliciti non sumus, quíque in perfectè mistis est, quatenus mista sunt, cùm ἔμφυτος sit in illis, quatenus animata sunt. Sed vt ad Galenum faciam reditum: Cur, vt cœpi dicere, vult illum considerare Calidum vniversale, cùm (quatenus Medicus est) ne ad id quidem adstringi possit, vt in considerationem vocet Calidum omnium animalium? Nec est, quòd patronus aliquis ipsius oggerat mihi illá, Illud calidum se considerare, à quo provenit omnibus *Esse* & *Vivere*, *&c.* Disiunctim enim accipienda esse hæc, docet Ipsemet, cùm
C separat Calidum temperamenti in mistis, quod respicit τὸ *Esse*: à Calido temperamenti in animatis, quod respicit τὸ *Vivere*. Ergo cùm agnoscat nobiscum duo Calida, cur vno nomine vocare vult?

Est quidem vtrumque elementare, & valde credo illi, cùm Calidum, quod heic consideramus, contendit elementare, & non cœleste esse: sed quei sine confusione idem nomen habere potest id, quod (de propria confessione) elementorum pars est, cum eo, quod divinum vocat ipsus ideò, quòd proportione respondeat elemento stellarum? Sed habeat facti rationes: admiratione perquàm dignum est, quòd Calidum-animatum, vt sic appellem, agnoscit quidem in corde sedem habere: sed ait, Generari ex ciborum transmutatione, idque à Calido ipsius cordis! Potéstne aliquid generare
D se ipsum? Potéstne aliquid dici fieri, quod iam est? Sed nihil sit hoc quoque: Scite cupio, vnde Cor habeat hoc peculiare, quòd pulset, quòd coquat alimentum, quòd spiritum distribuat per totum corpus! Reverà, Calidum in corde est causa: Calidum in sanguine est effectus, vt apud accuratos distinguitur.

Ideò pergo: Vnde est illa causa? A semine paterno, vt dixi iam non semel, in corpus cordis disperso, non secus ac coagulum per caseos dispersum est. Omnem admirationem superat, quod vir tantus distinguit Calidum hoc ab *Humido radicali*! Reverà est vnum subiectum, non associatione, vti loquitur: sed naturâ. Calor enim, vt forma, sedem habet in Humore, qui habet rationem materiæ, adeóque, il-
E le quidem est λόγος σπερματικὸς: hic autem ὄγκος σπερματικὸς, vt distinxi in superioribus. Tandem, quæ pro Lyco adversus Galenum satis superciliosè iactantur; sunt ἑλικτὰ, καὶ οὐδὲν. Si quis responsiones per se invenire non possit, adeat Caimum iam dictum *l.3.c.*10. *&* 11. & dispiciat secum, An hoc totum sit ἀπολογεῖν pro Aristotele adversus Galenum?

CAPVT

CAPVT CCCXXVII.

Contra Philosophastrum quendam.

Bronzerius est.

HIc cùm præstruere se posse putaret oculis illius, de quo modò, mirabile struxit chaos, quod superficietenus inspicere mihi libet, & saltuatim, veluti dum Atalanta apud Ovidium, A

——— *Summam celeri pede libat arenam.*

I. Omnium, vehementer scire velim, quid boni rebus Gal. accrescere posse crediderit, si naturalis spiritus non detur? Neque enim propterea vnus vitalis (ita loquitur) spiritus apud Gal. est, cùm animalem tot locis vrgeat, vt infantis sit nescire velle.

II. An putet se cum Gal. vel loqui, vel sentire, cùm dicit, Eosdem vitales spiritus, qui in semine calidum-innatum constituunt, constituere in fœtu formato calidum-innatum? In semine nunquam posuit Gal. vitalem spiritum, sed in calido innato fœtûs. In semine quo modo dici potest esse calidum-innatum, si in fœtu demum est? Differunt enim hæc χέσει, vt ex Bonamico dixi. Quod erat semen tempore formationis, formato fœtu est calidum-innatum. B

III. An se ipsum intelligat, cùm quærit, An spiritus animentur seorsim à seminis crassamento & solidis partibus? Spiritus animari quid est? itáne locutus est Gal. vnquam? somniavítne vnquam τὸ λόγον σπερματικὸν posse esse sine ὄγκῳ σπερματικῷ, vt apertiùs loquar? licèt partes solidas fecerit ex ὄγκῳ: non tamen vllibi professus est spiritus insitos, seu complantatos.

IV. Dico, frustrà illum niti tribus corporibus insitis, quæ toties vrget ex 1. *Aph.* 15. Locum enim in vitio esse, & in locis genuinis duo tantùm agnôsse Galenum, semen & sanguinem maternum, docui tam 1. *de Cal. & spir.* 7. quàm *Notis in Gal.* C

V. Dico pariter, In calidi innati generatione & definitione tanto abesse spatio à Gal. quanto ego ab ipso. Imò, tam incommodè loquitur, vt mirer, si quisquam intelligat, etiamsi dicat se intelligere.

VI. Hoc dictum volo de illa quoque quæstione, Quo modo in vivente corpore vnus sit calor? quo modo idem multiplex?

VII. Dictum pariter volo esse de Humido radicali, quatenus vt distinctum quid à Calido proponit. Et quid pluribus molestus sim, & mihi & aliis? Tam non ἀπολογεῖ hic homo pro Galeno, vt plurimis illum oneret difficultatibus! tam non reum facit Arist. vt nuspiam seriò attingat! Summa, est scriptum κίϐδηλον, cui (si ita vis) iure præscribas τὸ X, vt veteres solebant. D

CAPVT CCCXXVIII.

Quando Calidum hoc sit in ἀκμῇ?

A Licèt *l.2. de Nat. hum.* non sit Hippocratis, vel Gal. iudice: sunt tamen ibi non pauca, quæ sapiunt veterem sapientiam. Tale est illud *t.12. Homo primis diebus calidissimus est, postremis frigidissimus.* Si enim origo ipsius est, quam dixi; non potest non Galenus rectè explicuisse de Calore-nativo. Hoc confirmo ampliùs ex tribus Gal. locis. *2. Temp. 2. A.* inquit, Recens in vtero formatum animal esse calidissimum & humidissimum. *3. Caus. sympt. 4. A.* Pueros optimè concoquere, apponere, &c. *1. San. tu. 12.* de puero septenni loquens ait, Calidum quidem esse in eodem gradu (intellige, quo erat, cùm nasceretur) sed non perinde humidum. Omne enim animal (addit) ab ipso statim ortu fit siccius.

B Hæc loca viam nobis sternere debent ad correctionem loci aliûs, qui est *3. Aph. 27.* de qua necessariò cogitandum est, propter *Contrad. 7.* Lacunæ, quæ hinc illi nata fuit. Legit enim εὐρωστίαν pro ἀῤῥωστίαν. Hæc correctio fulcitur quatuor aliis locis, quibus Galenus expresse tribuit pueris robur facultatum naturalium, & sunt, *2. Progn. 33. 3. Progn. 34. B. 3. Caus. sympt. 4. D. 3. in 6. Epid. 15. E.* Et quei possit *in Aphorismis* locum habere ἡ ἀῤῥωστία, cùm expresse loquatur de ἀλλοιώσει, & quidem eâ, quæ morbos solvit? quæque vna & eadem est cum πέψει? Quò magis Vallesium miror, qui in *examine Con-*

C *trad.* dictæ concedit quidem concoctricis in pueris robur: sed locum *in Aph.* adstringit ad debilitatem retentricis, ob quam crises per vacuationem sint faciles! Sed & non loquitur Gal. de ea crisi, quæ subitò fit per expulsionem sensibilem humorum peccantium: sed de ea, quæ per coctionem fit, sensim & ἀδήλως. Hoc enim persuadet τὸ ἀλλοιοῦν, vt dixi. Hinc apparet, quid sit sentiendum de *glossa* Plantij, *Naturalem facultatem in pueris per se imbecillem esse: comparatione cum aliis fortissimam.* Imò fortissima est per se, quia ortui propinquior. Dici verò potest imbecilla respectu instrumentorum, quæ nondum perfecta sunt.

CAPVT CCCXXIX.

Pueri, an adolescentes sint calidiores?

A Si constans fuisset in vestigio Galenus, non opus fuisset his. Nam si verum est, vt verissimum est, Calorem-nativum eò maiorem esse, quò vicinior est ortui: iam statim hinc sequitur, pueros adolescentibus esse calidiores. Nec turbare debet quemquam acrimonia caloris, quam in adolescenti-

bus observabat Galenus. Est enim à siccitate, iam tum intr oductâ à sexrebus non naturalibus dictis, quâ re fit, vt subiectum caloris, ὁ ὄγκος σπερματικὸς in generatione appellatus, fiat se ipso minus & debilius, licèt tactum feriat acriùs.

Et hoc exaudire volo illos, qui nescire volunt, quæ Galenus contra Hippocratem scribit *de Marasm.3.extr.* non fieri hoc ab ipso Calore-nativo. Quei enim fiat, stante illo, *Vnum, quà vnum?* Sed vt redeam ad id, à quo diverti: Idipsum quia in consistente ætate amplius fit, debebat Galenus hanc quoque in quæstionem vocare. Sed quæ est illa? Video enim paucis notum esse. Est ab anno 35. (in quem FERE incidit ἡ ἀκμὴ) vsque ad annum 60. qui limes senectutis est & dicitur, quo etiam tempore manifestè decrescit animal. B

Hoc spectârunt illi, qui ætates hominum in denarios redegerunt, & de τοῖς καθεστηκόσι dicunt, 40. *Iahr vvolgethan*, 50. *Iahr stille stahn.* A tempore enim τῆς ἀκμῆς corpus humanum quasi in æquilibrio est, vsque ad sensibile decrementum, quod supervenit anno, quo dixi. Sed neque turbare debuit Galenum calor acquisititius, quàtenus opponitur naturali. Non enim est, vt quidam sibi imaginantur, numero alius: sed hic ipse auctus gradu, & quidem C alias in latitudine etiamnum sanitatis, aliàs in morbis. Iam ergo Galenus in quæstione proposita non debuit lapsare à statu secundùm naturam ad statum præter naturam: sed absolutè magnum dicere illum, qui naturaliter se habet, in pueris inquam. Hæc qui consideraverit, inspiciat duo loca, quæ Lacuna in theatrum producit *Contrad.*11. ex 2.*Temp.*2.*R.* 1.*in 6. Epid.*5. His addere licet & tertium, 3.*in 6. Epid.*15. Cæterùm, tractat hanc rem fusè Vallesius 1.*Controv.*8. sed, meo iudicio, non satis feliciter.

CAPVT CCCXXX.

SPIRITVS vnus, an plures sint?

HEic inprimis ablego Spiritus (partibus) insitos. Præterquàm enim quòd A oppositum est in adiecto, sapiunt causam Continentem Stoicam, quam Ferneliani fovent inscij, & imprudentes, Quin nec Hippocrati, nec Aristoteli, nec Galeno accepti sunt. De spiritibus igitur (è corde) influentibus rogatus, dico cum Zabarella, Cæsalpino, Mercenario, Avicenna, Turrisano, Montano Veronensi, Argenterio, aliis, *VNVS est spiritus* tantùm: quia *vnum est Calidum nativum.* Et hæc Veritas Philosophica est: at si vsum Medicum respiciam, concedere possum Galeno, totique Medicorum scholæ, pro numero partium principum spiritus vel tres esse, vel quatuor. Et ita de industria loquor, vt absolvam me à triplicitate animæ Galenicâ, & coniungam me cum Medicis nostratibus, qui diversitatem facultatum, actionúmque B vrgent, propter praxin.

Explico autem mentem meam, ne sub nube latére velle videar. Hepar, quod calorem σύμφυτον habet magnum,& quidem in substantia densa, cùm sine ἐμφύτῳ non sanguificet: fit, vt spiritus cordis, *Vitalis* Galeno dictus, eò translatus quasi ignescat, & accipiat maiorem sanguificandi facultatem. Et hic est spiritus *Naturalis*, Stoicorum imitatione à Galeno 1. *Fac.nat.*1. ita dictus. Cerebrum contrà, quod calorem σύμφυτον valde remissum habet, cùm sine ἐμφύτῳ munia sua obire non possit: fit heic contrarium, remittitur, inquam, calor τοῦ ἐμφύτου, & fit aptus edendis sensibus & motibus, veluti in Diatriba de Vsu cerebri docui. Et hic est spiritus *Animalis* dictus. His accen-
C sere licet spiritum *Gignitivum*, qui è testibus quidem prodit: sed ex omnibus corporis partibus, præcipuè principibus, in συνουσίᾳ eò derivatur. De hoc vtinam videre liceat mihi Philippi de Soldevilla laborem!

CAPVT CCCXXXI.

An spiritus opus habeant externi aëris substantiâ?

A Δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ inquit parœmia. Et Galenus concedit multis locis, ea, quæ maioris momenti sunt, sine vitio repeti posse. Quò faciliùs veniam me posse mereri credam, si in oppugnando verè ἀρχαίῳ hoc dogmate solicitior sim, quàm volent illi, quibus perinde est, sive vera, sive falsa dicant, modò magnos prætendant autores. Est quidem ita, legitur apud Hippocratem *l. de Alimento*: ego verò in *Var. lect.* fusè probavi, Hippocratis non esse hunc fœtum. Hoc etiam verum est, Galenus quidem defendendum hoc sibi sumsit, solo Hippocratis studio, vt puto: sed fulcris vtitur tam debilibus, quin in spiritu naturali prorsus succumbit, vt mirer nostros homines loqui malle, quàm tacere. Sed tempus est, vt in arcem causæ invadam.

Fluctuationes eorum, qui aërẽ ad cor deductũ volunt, vide apud Bauhin. 2. *Theat.* 22. *in marg.*

B Consensus est aërem attrahi primo & principali scopo ad refrigerium Cordis. Consensus pariter est, ad explendum hunc vsum satis esse Naturæ solam qualitatẽ aëris frigidam, bronchiis pulmonum impressam, quæ bronchia refrigerata refrigerant sanguinem in adiacentibus vasis contentum. Consensus non minùs in hoc est, nutritionem spirituum, quæ fiat aëris externi substantiâ, non nisi secundarium scopum esse, adeóque consectarium. Quâ in re quis non primo statim intuitu videt τὸ ἄτοπον καὶ τὸ αἰσχρὸν? Primarium scopum fieri à qualitate: secundarium à substantia. Accessorium enim sequitur naturam principalis immediatè, nec opus est alio apparatu, nedum maiore.

C Operosius autem omnino est substantiam adducere, quàm qualitatem. Et qualitas quidem substantiam sequitur; substantia autem qualitatem non sequitur. Sed & qualitas sine periculo ad cor admitti potest: substantia non potest. Sinamus verò hoc. Qui dicit, aërem in porticu illa (sic Aristoteles

de

de Respir.7. vocat asperam arteriam) reciprocantem, hoc est, modò ingredientem, modò egredientem, non relinquere ibi vllam substantiæ suæ partem: quei dicere potest idem, retineri in porticu illa aliquid aëris pro spirituum nutritione? Atqui prius illud dicit Galenus non vno loco. Agens *l. An sanguis, c.6.D.* cum Erasistratéis, qui hoc vrgebant, Siquidem spiritus fertur in arteriis per totum corpus, oportet ex corde in arterias ingressus sit; in arterias autem quei ingredi potest, nisi priùs ingrediatur cor? Galenus respondet: Atqui, ô generosissimi, plurimis, iisque diligentissimis, quà Philosophis, quà Medicis visum fuit, cor velle solam aëris qualitatem. D

Hoc ipsum est, quod non ex aliorum sententia, sed propria ait, *6.Vs.p.17.C.* fieri posse, vt spiritus sit evaporatio sanguinis benigni. Quasi diceret, Non est opus vllo aëre externo: sed fit spiritus agente calore in sanguinem, & evaporationem causante. Si putas vim fieri verbis, accipe hoc quoque ex *l.de Vs.resp.5.A.* Ex evaporatione sanguinis nutriri spiritus animales, sermo est à veritate non alienus. Hoc modo qui loquitur, quomodo agnôsse potest vllam substantiæ aëris necessitatem? Imò *ibid. D.* quò se refert *l. An sanguis, 6.D.* ait, demonstrasse se, aut parùm, aut omnino nihil substantiæ (nota. Interpretes enim ferè dissimulant) aëris in cor descendere! Hò! inquis, loquitur heic quoque ex aliena sententia. Loquatur: interim ex ipso sermone satis intelligis, si vis, victum fuisse τ̀ ἔσω λόγον ipsius.

Hac in re vt magis confirmentur animi legentium, veniant age mecum ad singulos spiritus, & videant, quantis, iisque non stramineis machinis opus sit, vt aëri aditus paretur ad viscera tria principalia! De hepate vt initium faciam, videor mihi bona cum ratione dicere posse, prorsùs heic deficere studium Galeni. Nam *12.Meth.5.C.* planè dubius est, an detur spiritus naturalis? Quid ita verò, mi Galene? Si hepar est sedes animæ nutricis (ita enim ex hypothesi ipsius loqui par est;) Animæ autem primum & commune instrumentum est calor seu spiritus, *14. Vs.p.6. D.* & alibi: quo modo hepar sine spiritu præesse potest rebus suis? Ne hæsites, Si in hepate est focus caloris quidam, *Vs. puls.3. A. 2.Progn.37. 4. in 6.Epid.25. D.* quomodo spiritus hepatis potest esse dubius? Quamobrem semper ita iudicavi, Dubitat, quia aërem externum derivare eò non potest. E C

Ego verò hoc dubio ita vtor, Si vnus spirituum constat sine aëre, vtique constabunt etiam reliqui. Et esse in venis spiritum, etiamsi aër non accesserit, quis neget, qui viderit sanguinem ex incisa vena rivulosè fluere? Cæterùm, non possum ignorare, quæ de motu diaphragmatis mussant quidam ex *4. Vs.p.13.H:* sed id totum nihil est. Aër enim externus diaphragma non attingit. Sed & si attingeret, qualitatem solam communicaret. Qui verò substantiam etiam penetrare volet, multa confingere cogetur, quibus enumerandis ego occupatus non ero. Vide *suprà cap. 105.* Venio ad spiritum animalem.

Hunc vt probaret Galenus, vsus est veteri controversiâ (Sítne motus, qui in vulneribus capitis ad duram vsque matrem adactis apparet, ipsius Cere- *4.Diff. puls. 2.B.*

 bri

D bri ſubſtantiæ? an potiùs implexarum duræ matri arteriarum?) pro ſe, di-
cendo, Motum illum eſſe Cerebri reſpirationem quandam. Qua de re ſi quis
ſine præiudicio cogitet, diſparitatem ſtatim videbit: paritatem ne longâ
quidem indagine inveniet. Ad cor aperta eſt via, laxáque, porticus (inquam)
illa, de qua ex Ariſtotele dixi: ad cerebrum, non tantùm non eſt via vlla,
ſed & præſtructa ſunt oſſa, tam ſpongiformia, quàm cribriformia, vt *ſuprà*
diſtinxi, ne de durâ matre dicam. Idem in reſpiratione thoracis tres cauſas
continentes, de quibus *ſuprà* quoque, *cap.196.* ſine negotio invenerit: in ce-
rebri, vt ex hypotheſi loquar, nec ſi ilia ruperit.

Nec me movet, audaciáne dicam, an impudentia? illorum, qui perten-
E dunt, Cerebrum non minùs ventilari debere, quàm Cor. Vnde enim eſt
tuum illud *Non minùs?* quæ vel minima veriſimilitudo perſuadet illud? Tot
enim paraſangis (non ratione loci, ſed temperamenti, aliorúmque) à corde
diſtat cerebrum, quot extremum ab extremo. Multò minùs tenent me illi,
qui odores crepant. Odores aſcendunt, non cum aëre attracto per inſpira-
tionem, ſed peculiari, & in noſtro arbitrio poſito narium motu. Præterea,
odores percipiunt proceſſus cerebri mammillares, non autem ventriculi, vt
contra Galenum oſtendi *ſuprà*. At in ventriculos ipſos ingredi debet aër,
ſiquidem ſpiritibus ſociari debet. Ventriculos autem quis perforatos vidit
hàc? Imò, quei per Galenum poſſunt eſſe, ſi in nervos opticos dege-
nerant?

Nec cicum valet effugium Gal. 8.*Vſ.p.6.K.* In thoracem quidem expedi-
tum eſſe aëri iter: in cerebrum autem vti illum ἄλῃ μακρᾷ, καὶ περιόδῳ συχνῇ,
F *errore longo, ambitúque frequenti* (tu puta, per oſſa ſpongiformia) ne aër fri-
gidus confeſtim & confertim feriat cerebrum. Si enim cerebrum attingere
non poteſt, inanis etiam metus eſt. Sed tu vide mihi etiam, quid obſtet alte-
rationi illi. Si aër non rectà pergit in cerebrum, alius, & is quidem planè in-
alteratus, erit in principio oſſium ſpongioſorum, alius in medio, alius in ſum-
mo. Atqui tu dicis, perpetuum eſſe Euripum, vt in thorace eſt. Obſtat quin
etiam hoc. Inſpirationis cauſam reddere poteſt Galenus, tractum cerebri: at
exſpirationis quam dabit? Ideò vbi cautior videri vult eſſe, inſpirationis
ſolius meminit: vbi audentior, etiam exſpirationis.

Vt concludere mihi liceat, Galenum quidem fruſtrà laboraſſe: motum
G autem talem non eſſe in rerum natura. Non minùs fruſtrà eſſe Galenum in
Vitali, adeóque motum illum ob longè alium finem eſſe inſtitutum, iam pro-
bare aggredior. Cùm ingredi debeat aër cor, vel per venam-arterioſam,
vas dextri ventriculi, vel per arteriam-venoſam, vas ſiniſtri, vel per vtram-
que: quid eligit ſibi Noſter? Arteriam-venoſam ſolam: quia ſolum ventri-
culum ſiniſtrum putat elaborare hunc ſpiritum. Cui ego.

I. Cùm vena arterioſa, ſubſtantiâ quippe arteria, ſit multò aptior vehen-
do aëri, quàm arteria-venoſa, quæ ſubſtantiâ vena eſt: cur hanc accipit, il-
lam negligit? Quia, inquit, in ſolo ſiniſtro ventriculo eſt fons Caloris-nati-
vi. Scio cuius autoritate id dicat: me verò nulla magna nomina terrent, &
cupio

cupio responderi mihi, quod Naturæ consentaneum est. Illa verò cùm dicat, H
dextrum ventriculum eiusdem prorsus esse substantiæ, cuius sinistrum; non minus artificium ibi videri in structura vasorum, valvularúmque ipsis præstructarum, quàm in sinistro; eodem modo calere; eodem pulsare: quidni credam heic quoque esse Calidum?

II. Cùm venæ-arteriosæ propagines eodem modo insigantur bronchiis asperæ arteriæ, quo arteriæ-venosæ: quis, aut potiùs quæ facultas dirigit opus, vt per has quidem ingrediatur, illas autem prætereat?

III. Cùm aër, antequam arteriam-venosam ingreditur, coqui debeat in pulmonibus, vt Galenus censet, & iam non sit amplius sub imperio attrahentis, & vicissim expellentis Naturæ: quis aut quæ facultas regit illum, vt huc tantùm eat, non etiam illuc?

IV. Cùm idem aër (præsertim postquàm coctione ex hypothesi factus I
est tenuior se ipso) sit tenuis: quei possunt illum apprehendere oscula tam tenuia? tam debilia? Imò, quæ cautela, quò minùs per laxam, fungosámque pulmonum substantiam elabatur, & negotium totum fiat lusorium?

V. Cùm planè necessarium sit recipi aërem, vel in systole, vel in diastole cordis: in vtra fieri dicemus? Non in hac, ne risus mihi moveatur: ergo in illa. Tum verò ego volam scire, quo modo materiæ diversæ trahi possint ab vno eodémque motu? præsertim, si locis sint distinctæ? sanguis è vena-arteriosa, aër è pulmonibus? Possunt, dicunt quidam: quia dilatatio semper est maior contractione. Scio ego ex cuius pharetra hoc sit: sed nego ita esse. Semper enim respondent sibi mutuò hi duo motus, tantúmque perpetuò attrahitur aëris, quantùm expellitur, & vicissim.

VI. Cùm cordis & pulmonum motûs non sit idem rythmus, pulmo- K
num rarior, cordis frequentior: in vtrius motu fit tua illa transportatio?

VII. Cùm corpus corpori succedere non possit, nisi alterum cedat alteri: depletúrne sanguis, & succedit aër?

VIII. Cùm sanguini mistus sit spiritus nutriendus, quis ἐργοδιώκτης iungit aërem spiritui, sanguine præterito?

IX. Si vnio aëris & spiritûs fit in pulmonibus, cur non spiritus vitalis in pulmonibus potiùs fit, quàm in corde? Certè huc devenit Columbus, Anatomicus non ignobilis *l.11. c.2.* Nec defuerunt, qui defenderent. Huic cumulo absurditatum accedit hoc incommodum. Si pulsat arteria venosa, vt pulsat apud Gal. 7. *Ex. Anat.* 4. *A.* duplicem habebit motum, alterum à corde, alterum à pulmonibus.

Dilatato igitur in inspiratione pulmone, dilatabitur illa simul: contracto L
in exspiratione, eadem contrahetur simul. Cum his motibus cùm non coincidat motus cordis, sed quinquies ferè fiat, antequàm respiratio semel: quo modo non incidet in motus contrarios? Vide hac de re Cæsalp. 5. *Perip. q.* 4. & Scherbium *Disp. Med.* 7. Quæ omnia cùm ita se habeant, quantò honestius erat Galeno relinquere damnatam ab Aristotele sententiam, sive Hippocratis illa sit, sive aliûs, & veritati se applicare! Calidum fieri ex frigido, inquit

inquit *de Resp.* 6. est aliquo modo πλασματῶδες, *assutitium veræ sententiæ*.

M Accedit, quod eodem loco scribitur: Non est καθόλε. Plerique enim omnes pisces trahunt aquam per branchias, quæ aqua solo contactu refrigerat cor. At quod interim alimentum est spirituum? Nullum. Eorum enim est ali, quæ sunt in esse. At spiritus semper sunt in fieri. Sed alantur: non potest id fieri simplici corpore, quale aër est. Multò minùs contrario alentur, vt personatus ait Hipp. sed simili, vt omnia alia. Heic Salapusius quidam: Nova sunt hæc, quæ iure sordent prudentibus! Tibi scilicet, qui præ otio & voluptatibus nunquam cogitare potuisti de vera antiquitate. Ego, vt præscripsi, cum Pindaro

Μῆτιν γαρύω τῶν παλαιγόνων,
Sapientiam profiteor priscorum,

inter quos Arist. regnat.

CAPVT CCCXXXII.

De spiritu vitali dicto.

A ACturus de singulis spiritibus (eâ consideratione, quâ dixi) seorsim, initium capiam ab eo, qui reliquorum quasi materia est. Ita loquor, cùm in rei veritate potiùs forma sit. De hoc, vt & facultate vitali, litigant cum Gal. quotquot fuére omnibus sæculis, Philosophi. Et reverà, tam res, quàm nomen exsulat ab omni Philosophia, vt dixi *suprà*, deduxi autem *Com.* 2. *de Thor.* 9. *& seq.* Verumtamen, quia Medicina est ars, in qua aliquando falsa tolerantur, si finibus non obsint: potest Galeno dari, vt ita sentiat, loquatúrque, sed cum hac conditione, Ne putet se Veritatem Philosophicam simul amplecti. Quare Galenum iam ita absolvo: Est quæstio Logica, vt ipse vocare solet inutiles.

B Idem dicendum est de vnitate & pluralitate spirituum. Cor, vt Aristotelem explicat Averroës, est omnia: sed potentiâ, non actu. Est enim principium & fundamentum omnium facultatum, quatenus continet in se essentiam animæ. At verò quia actiones, quæ à facultatibus dependent, tam variæ sunt, adeóque desiderant instrumenta varia: commune quidem est vnum, Calor seu Spiritus; propria autem, à quibus actiones immediatè eduntur, plura. Ratione illius, vnus duntaxat est Spiritus, is, de quo agimus: ratione horum, plures sunt. Ille enim è corde in proprium cuiusque actionis instrumentum profectus, calorem ipsius σύμφυτον animat, hoc est, in actum deducit, præstátque, vt ita dicam, formalitatem.

C Et hoc est, quod Avicenna ait *l. de Anima, c. vlt.* Spiritus cordis, inquit, temperamentum habet, quod mutatur in propriis instrumentis. Quod est, Spiritus cordis per se, & in se habet proprium & peculiare temperamentum, quod

quod tamen non est actu efficax, nisi cum proprio temperamento partium instrumentalium misceatur, & quod proprium est respectu cordis, fiat commune respectu partium agentium.

Hoc explicat inter cæteros pulcerrimâ similitudine Turrisanus *Com. in Artem.* Quemadmodum calor cœlestis, præcipuè Solis, communis est omnibus sublunaribus, sed agit pro ratione subiecti, in quod recipitur: ita calor noster. Eiusdem, ab Arist. ipso capta, similitudo est. Quemadmodum in regno omnia fiunt à Rege, nec sine autoritate ipsius quidquam ratum est, quamvis is non semper adstet: ita cor agit omnia, &c. Hac vtitur etiam Buccaferrea apud Puteum *in Apol.* vt *suprà* dixi. Hanc expositionem qui admittere nolent, admittant triplicem Galeni animam, aut si quid illâ absurdius. D

CAPVT CCCXXXIII.

De spiritu naturali dicto.

DE hoc dubitâsse Galenum *in Meth.* dixi non ita pridem. Dubium hoc latiusculè extendunt quidam, dum quærunt, An influat aliquid ex hepate in partes nutriendas? quod idem est, ac si quæras, An omnino hepar sit sedes animæ vegetativæ? De vtroque seorsim agit Valles. 2. *Controv.* 16. & 17. sed ita, vt, postquàm legeris, incertior sis, quàm anteà. Idem saxum volvit Thom. à Veiga *Com. in Art. c.* 3. & in 1. *Loc. aff. vlt.* tam intricatè, vt aliud scripsisse videatur, aliud sensisse. Idem agit Peramatus *l. de Facult.* 3. tam supinè, vt videatur se ipsum evertere. Ego quàm possum paucissimis me absolvam, quia inaniæ sunt. A

Quantum intelligo, tota moles incũbit primis verbis 1. *Loc. aff.* 7. *Hac in re*, inquit Gal. *plurimùm differunt instrumenta naturalia ab animalibus. Illis enim connata est facultas: his autem influit ab alio principio, veluti lumen à Sole.* Ex his illi hoc corollarium petunt, Instrumenta naturalia (vti loquuntur) non posse laborare morbis per consensum. Primùm quæro, quei dici possit, sensum & motum (huc enim trahit illos sequela orationis) influere sine corpore, nisi in vniversum negentur spiritus? Quod quia nemo τῶν φιλογαλιώων sibi ipsis dictorum admittet, cupio etiam ab iis audire apologiam pro capite suo. Ego, qui multò amicior sum Galeno quàm illi (quippe qui iam per tot annos laboro in exasciando opere tam vasto, qui iam demum desudo in eo, vt, quantùm humanitùs fieri potest, sit ἀνέγκλητος) non video, quid solidi dici possit: quid dico autem? quod vllo modo ad vllam verisimilitudinem accedat, nisi hoc, Loqui ex aliena sententia. B C

Deinde audire cupio, quem sensum habeant verba hæc ipsorum: *Si seorsim quis intueatur verba Galeni, videbuntur clara esse: at si quis copulet cum tota nutriendi ratione, quam Gal. vbique profitetur, videbuntur Cimmeriæ tenebræ esse.* Quid enim? Annon inde sequitur, hepar esse frustrà factum?

Venas & arterias frustrà esse factas? sanguinem frustrà esse? spiritum naturalem frustrà esse? Si enim instrumenta naturalia omnia habent ex se, non opus habent vllo eorum, quæ dicta sunt, non hepate, quod sanguinem præparet: non venis &c. Quidquid igitur peculiare habent præ instrumentis sensoriis & motoriis, illud est, quòd alimentum ipsa suum attrahunt, ipsa retinent, ipsa coquunt, ipsa excrementa sua pellunt.

D Quamobrem non valde adversor illis, quos Vallesf. refutat, Loqui Galenum non in vniversum de facultate nutritoria: sed de quatuor facultatibus ministrantibus tantùm. Et hanc excusationem qui non agnoscunt, cum illis mihi ampliùs non est negotium. Alioqui paritas inter vtraque instrumenta est, quòd, Quemadmodum sensus & motus non fit, nisi delato spiritu animali ex cerebro: ita nutritio non fiat, nisi sanguine ab hepate (apud Gal.) subministrato. Et hoc docet illo *6. Sent. Hipp. 3. B. Hepate debilitato, sensim læditur animal in percipiendo alimento & calore.*

Quæ verba cùm è diametro pugnent cum iis, de quibus contendimus: E quid faciendum nobis est? Quid aliud, inquam ego, quàm vt ea, quæ cum principiis Galeni consentiunt, recipiamus: quæ dissentiunt, reiiciamus? Hoc tantò confidentiùs faciemus, quò certius est apud Galenum, hepar esse partem principem in negotio nutritorio. Iam ergo, qui de morbis per consensum in eodem negotio loqui volunt, non debent considerare illa tantùm in *de Loc. aff.* sed coniungere coniungenda. Videtur quidem id facere velle Peramatus: sed reverà duas habet instantias. Alteram, cùm venis tribuit duplicem sanguificandi vim, hanc quidem insitam, de qua Galenus loquatur in *de Loc. aff.* illam autem ab hepate profectam, de qua aliis in locis. Profectò enim nimis heic liberalis est, & credam ego neutram habere. Alteram, cùm bis fatetur, habere quidem venas, partibus nutriendis infixas, vim nutriendi: sed tamen indigere hepate & corde. Quo enim modo non evertit se F ipsum, prodítque rem?

Idem Vallesio accidit, si quis diligentiùs inspiciat. Cùm enim hepatis agnoscit aliquam necessitatem, falsi arguit locum, quem defendendum susceperat. Quæ causa fortassis illi fuit, cur *Com. in eum locum* ad materiam se convertat, & dicat, Defectum sanguinis causari posse morbum per consensum. Hanc fugam ab ipso Gal. derisam fuisse Peramatus ait disertè, *6. Sent. Hipp. 4. A.* vbi vide. De Th. à Veiga moneo. Primò, Decisionem ipsius habere oppositum in adiecto. Si enim hepar est sedes propria facultatis nutricis: quo modo simul communis toti corpori? Secundò, Cùm ait, hepar superfluere ad vsum præstandi naturalis facultatis: videtur nobis illudere. Quod G enim aliàs monui de hoc Hispano, Cauto opus habet lectore, qui discernere possit, quam contradictionis partem verè amplectatur.

Stet igitur hoc, Datur spiritus naturalis, & officium ipsius est deducere sanguinem ad partes alendas. Atque his ego acquiesco: qui non possit aut velit, Manardum adeat 15. *Epist. 1.* &, qui hunc refutat *peculiari opellâ, De spir. nat. secundum Gal.* Altimarum. Si nondum etiam, addat Bertachium 2. *de Spirit.*

Idem mecũ agit magno molimine Rotarius *Contrad. Gal. 141.*

*Spirit.*8. & iterum *l.*3. *c.*3. *& seq.* Costæum *l.*6. *Disq. Phys.* Piccoll. 2.*Præl. Anat.*18.Laurent. 1.*Anat.q.*33. Montaltum *l.*1. *de Hom.sano*,Epiphan.1.*Theorem.*68. Bronzerium *de Cal.innato & spir.* Vis dicam, quod sentio? Omnes isti operosè nihil agunt.

CAPVT CCCXXXIV.

De spiritu animali dicto.

HVic inprimis opponit se Schegkius *lib.*peculiari, contendens *Vitalem* esse,non *animalem.* Nititur autem præcipuè vnitate Calidi, quod non nisi vnicum producit spiritum. Qua in re quia habet consensum meum, fortassis non est opus pluribus? Sed non est ita.Ille enim quærit spiritum ἄλλον: ego,non nisi ἀλλοῖον, hac ratiocinatione vsus.Quia actiones diversæ,à diversis formis & naturis provenientes (sic loquitur amicorum quidam) diversa, & specie differentia opera pariunt; quia instrumenta diversis vsibus & actionibus destinata sunt: absurdum dictu non est, Spiritum,qui instrumentum est huius actionis, quæ specie differt ab hac altera actione,specie etiam differre ab hoc spiritu. Non quidem quòd reverà sit ἄλλος,*alius origine*: sed quòd ἀλλοῖος,*alteratus in ea parte,in quam translatus est*,vt explicui me modò *cap.*329. Quod cùm concedat ipse Schegkius,exponendo mentem Arist. *de vsu Cerebri*,veluti ego: licebit mihi per ipsummet silere. Idem cùm faciat Argenterius *l. de Som. & vig.*11. tandem: non est cur pluribus cum illo agam. A B

Hucusque de Calido & Spiritibus.



SECTIO VII.

DE FACVLTATIBVS, ET ACTIONIBVS.

CAPVT CCCXXXV.

RATIO ORDINIS.

HEic inprimis illud observandum est, quod Gal. docet 1. *Fac. nat.*1. *extr.* Tria sunt,quæ inter se adamantino vinculo apta sunt,ἔργον,ἐνέργεια, καὶ δύναμις, *opus*, v.g. sanguis: *actio*, quâ mediante sanguis fit: *facultas*, seu *potentia*, à qua, tanquam causa efficiente, fit. Hoc si verum est,separari non possunt *Actiones* à *Facultatibus*,quæ restant post *Instrumenta* corporea. A

In iisdem, nisi fallor, non potest aut debet alius servari ordo, quàm is qui in *Instrumentis* servatus fuit. Quod enim Naturâ prius est, debet in disciplinis quoque prius esse, si nihil impediat, vt heic, *6.Sent.Hipp.5.N.* Ergo quod ad *Thoracem*, seu *Cor*, de facultatibus illius Aristot. *l. de Resp.* 11. indistinctè lo-
B quitur: sed *cap.20.seq.* distinguit essentialia ab accidentalibus. Ego, qui *præf. Com.in 6.Vs.p.* ausus sum cum illo indistinctè loqui, *Actiones* vocando, & suprà *cap.41.& seq.Vsus*: iam eò vsque progredior, vt *Facultates* appellem. Quot enim *Actiones* (& consequenter *Vsus*) tot etiam sunt *Facultates*, inquit Gal. 1.*Fac.nat.*4.& 5. Princeps ergo Thoracis, (ni tu *Cordis* mavis) facultas sit ἡ θρεπτικὴ, *nutritoria*, quam si αἱματοποιητικὴν *sanguificatoriam*, vocare velis, quemadmodum actionem ipsius θρέψιν ἢ αἱματοποίησιν, non peccabis. Hæc enim est illa, quæ data est animalibus πρὸς τὸ εἶναι, *ad essendi continuitatem*, vt cum Ill. Scaligero iterum loquar. Ministræ sunt duæ, ἡ ἀναπνοικὴ, quamvis nec-dum à quoquam ita dicta, καὶ σφυγμικὴ, quarũ actiones, ἀναπνοὴ καὶ σφυγμὸς,
C *Respiratio & Pulsus*. His enim perficitur ἡ κατάψυξις, ἡ σωτηρία τῆς καταψύξεως, *refrigeratio, sive conservatio refrigerationis ignis nostri. Pulsus*, vt per consequentiam quandam trahit τὴν ἀνάδοσιν τοῦ αἵματος, *distributionem sanguinis, partim in pulmones, atque inde in cordis sinistrum ventriculum, partim in arterias, & vniversum corpus*: ita *Respiratio* comitem habet τὴν φωνὴν, καὶ διάλεκτον, *vocem tam articulatam, quàm inarticulatam*, quamvis ad hanc aliæ quoque partes necessariæ sint. His addere fas est τὴν πνευστικὴν, de qua *cap.seq.* Abdominis vt duûm generum sunt partes, ceu superiùs comprehensum fuit, ita duplices sunt facultates, duplices actiones.

Quod ad illas, quæ serviunt individuo, sciendum est, Quamvis heic quoque sit principatus quidam: tamen subesse hunc illi. Quare, vt *sanguificato-*
C *ria* ibi, vel simpliciter est talis, vel cum additione ἡγεμονικὴ, vt ex Hipp. *l.de Corde* appellari potest: ita heic nunquam simpliciter dici debet, sed semper cum additione, Facultas quidem, inferior, subordinata, minùs principalis, &c. actio autem, rudior, inelaboratior, imperfectior, &c. Facultas ergo princeps heic quoque est ἡ αἱματοποιητικὴ, quæ sedem habet in hepate & liene: actio ἡ αἱματοποίησις. Huius ministræ aliæ sunt publicæ, aliæ privatæ. Publicæ sunt, vel præviæ, Masticatio, Deglutitio, Chylificatio, Distributio chyli ad officinas sanguificatorias: vel æmulæ, Distributio sanguinis per venas, & excrementorum abductio.

Facultas partium genitalium princeps est ἡ γεννητικὴ, actio γένεσις, omnium
D Naturæ operum maximum, 1.*Sem.5.B.* Ministræ sunt, ἡ ἀλλοιωτικὴ καὶ πλαστικὴ, 1.*Fac.nat.*5. Capitis facultates principes sunt tres, ἡ λογιστικὴ, ἡ μνημονευτικὴ, ἡ φανταστικὴ: actiones, λόγος, ὁ νοῦς, ἡ γνώμη, ἡ διάνοια, καὶ μνήμη, καὶ φαντασία. Ministræ sunt, ἡ αἰσθητικὴ, καὶ ἡ κινητικὴ: actiones, ἡ αἴσθησις καὶ ἡ κίνησις. Sensus (externi) quinque sunt, Visus, auditus, olfactus, gustus & tactus. Motus vel naturalis est, vel voluntarius, vel mistus ex vtroque.

Iam quatenus actiones omnes vel publicæ sunt, vel privatæ: eatenus vtrisque famulantur quatuor aliæ facultates, Ministræ vulgò ab omnibus dictæ,

dictæ, Attractrix, Retentrix, Alteratrix & Expultrix. Hæ quatenus privatæ (quatenus inquam serviunt partibus nutriendis) omnes omni tempore sunt in opere: quatenus publicæ, modò vna tantùm, modò duæ, modò plures, pro indigentia operis.

CAPVT CCCXXXVI.

De Irascibili Platonis.

Miteris fortassis cur huius non sit facta mentio, cùm Gal, videri velit eandem esse cum *Vitali* sua? Reverà vult videri. Interim ita se explicat, vt nihil certius sit, ab Arist. verbo potiùs dissentire, quàm reapse. Ego primùm hoc de Platone dico, autore ipso Gal. Per τὸ θυμικὸν, ἢ θυμοειδὲς non intellexisse solum hunc affectum, vt vulgò loquimur, θυμὸν, *Iram*: sed in vniversum omnia πάθη, *perturbationes animi*, vt Cic. vocare solet. Quamobrem hoc voluit, Cor, quia stabulum est Caloris-nativi: esse quoque sedem *Affectuum* dictorum. Hæc res quia apud Medicos in obscuro est, adeò, vt pro *Affectibus* dictis faciant cap. peculiare in Ὑγιεινοῖς, producam secundo loco Aristotelem, qui lucem afferat præceptori. Τρία δεῖ, inquit, *de Resp.* 20. τὰ συμβαίνοντα περὶ τὴν καρδίαν, πήδησις, καὶ σφυγμὸς, καὶ τὸ τῆς ἀναπνοῆς, *Tria sunt, quæ cordi accidunt, Saltus, Pulsus & Respiratio.*

A 6. Sent. Hippoc. 8. L. 7. eiusd. 3. A. 4. Vs. p. 13. K.

B

Heic quàm nota sunt duo posteriora omnibus: tam ignotum est prius illud, adeóque videbuntur heic quidam translati in alium orbem. Ego verò confidenter dico, τὸ θυμικὸν Platonis est τὸ πηδητικὸν Aristotelis. Quidni enim liceat mihi hoc vocabuli fingere? Sed quid est πήδησις illa? Συνώθησις, inquit Philosophus, τοῦ θερμοῦ τοῦ ἐν καρδίᾳ, *Concentratio* (dicam ego) *Calidi-nativi in corde*. Talis συνώθησις (vult dicere *in seq.*) fit, nòn tantùm, cùm bene valemus, in timoribus: sed & in morbis, qualis palpitatio est. Quo loco id moneo, Quemadmodum Plato exemplariter de *Ira* loquitur: ita Arist. de *Timore*. cùm interim de omnibus affectibus intelligat vterque. C

Hoc nemo meliùs explicârit Galeno, quamvis id nondum à quoquam sit animadversum, ὡς ἐγὼ μὲν οἶδα. Agens is 2. *Caus. sympt.* 5. *R.* de motu Calidi-nativi his verbis vtitur. Ἔστι δή τις ἐκ τῶν πρώτων, καὶ (ὡς ἂν εἴπῃ τὶς) ἡγεμονικωτάτων κινήσεων, ἡ ἔσω τε καὶ ἔξω φορὰ τῆς ἐμφύτου θερμασίας, ἐπὶ πολλοῖς πάθεσι γιγνομένη ψυχικοῖς. Heic si adeas Copum & Fuchsium Interp. in tenebris palpare eos parietes invenies. Explicant enim de *vno motu* tantùm, contra Hellenismi evidentiam. Si ab eodem Fuchsio *in Com.* vt & Valleriola *in iisdem*, petieris aliquid, è pumice aquam citiùs, quàm ab istis verbum vnum extorseris. Linacer quidem fecit officium, neque vlteriùs progredi illi licuit: ego verò ab istis Commentatoribus omni iure postulo, vt dicant, quæ sint πρῶται) illæ καὶ ἡγεμονικώταται) κινήσεις, *primæ & principalissimæ* (ita enim simpliciter vertam.) *quæ in multis affectibus animi cernuntur motiones*, è quarum D

numero sit φορὰ illa, *latio, de loco in locum pulsio, trusióve?* Est τὸ θυμικὸν Platonis: est τὸ πηδητικὸν Aristotelis.

Hoc qui ridebunt, stultitiam ridebunt suam. Iam tandem enim sciri potest, quid responderi debeat, cùm quæritur, A qua facultate moveantur affectus? A nulla, inquiunt, sed ab externo obiecto. Hoc æquè ridiculum est, E ac si dicam, Visio non fit ab vlla facultate: sed ab obiecto visili. Non fit, nisi obiectum visile adsit, quod moveat facultatem. Ita, cùm aliquis ob contemtum sui irascitur; cùm ob præsens periculum timet; cùm vindictam meditatur; cùm amore vel odio pulsatur: phantasia ab obiecto isto mota, movet spiritus & humores, qui cum impetu ruunt ad fontem suum, qui cor est, & πήδησιν causantur.

Pariter hinc scitur, quàm à ianua aberrent illi, qui iactant, Affectus esse vltra considerationem Medicam. Hos ego iubebo legere totum illum Gal. locum *de Caus. sympt.* & addere, quæ scribuntur *5. in 6. Epid. 9. B.* quæ in *libb. de Diff. & caus. puls.* de mutatione eorundem in ira, in metu, &c. Quin velim F à Platone *in Charmide* discant hi tales, multos morbos non curari, quòd negligatur animus. Sed hoc alîus est loci: quod huc facit, & propter minùs attentos repeti debet, est, τὸ θυμικὸν adimere nobis simul suspicionem novitatis: simul indicium nobis facere, quò Aristoteles reduxerit, ad τὸ ἐπιθυμητικὸν eiusdem Platonis, & quomodo vtrumque in corde sociârit.

CAPVT CCCXXXVII.

De Vitali Galeni.

A QVâ occasione nata sit hæc facultas Galeno, cùm nullum constituat viventium ordinem, dictum est mihi *suprà, cap. 42.* Probatum pariter mihi est *cap. seq.* Galeni argumenta non adimere cordi τὴν θρεπτικὴν δύναμιν: quin fassum esse, & sanguinem in corde generari, & sanguinem illum nutrire, quod posterius *cap. 291.* deduxi. Iam video standum mihi esse promissis, quæ *cap. 44.* feci, Quid sit facultas hæc apud genuinos Philosophos? Hoc paucis facio, quia pluribus feci 2. *Thor.* 10. Quæcunque vivunt, vivunt calore: sed est ille in inferiori ordine, qui plantarum est, adeò exiguus, vt sensum sui non faciat. At in superioribus duobus, Animalium & Hominis, tam manifestus B est, vt refrigerationis (quâ omnis ignis indiget) manifesta præbeat indicia. Hinc ex Avicenna vocant *Vegetativam exaltatam.* Hic verò gradus, quod contra Fernelium Ioubertus vrget, non variat speciem. Quemadmodum igitur calor in plantis alimentum attrahit, retinet, coquit, excrementa pellit, sed ita vt sensu deprehendi actiones non possint, solo effectu tandem se ostendente: ita in animalibus eadem agit, sed cum manifesto sui sensu.

Iam si quæras, Quo modo vita plantæ differat à vita animalium? respondebo, Non differre. Vtrobique enim secundùm Arist. *de Resp.* 18. ἡ ζωὴ est

μονὴ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς, est perseverantia animæ nutritivæ. Quamdiu enim durat nutritio, tamdiu durat vita: cessante nutritione desinit vita. Et hoc est, quod nuper innui, Controversiam, quâ movit Aristoteli Galenus, desinere in quæstioné *Quid nominis?* Hoc si scirent, aut scire vellent Medici, non obstreperent frustra Peripateticis. Ego, qui, *Commentario iam laudato* seorsim refutavi argumenta Fernelij, Bertachij, Costæi, Th. à Veiga & Peramati, non debeo heic iterum instituere collegium Ambubajarum. Sennerti rationes 3. *Instit.* 3. *s.* 4. *c.* 1. refutabuntur alibi. Vnum non possum non resumere, quod coryphæi ipsorum est, postquam intellexi magnum quendam virum (cuius nomini parco) tantùm non triumphare super eo. *In atrophia*, inquit Fernelius, 5. *Physiol.* 13. *palam est, ex nutritionis errore vim altricem incommodo, detrimentóque affici, nec dum tamen aliàs concuti.* C

An huc tédunt verba 6. Sent. Hippoc. 6. G. Si sanguinis generatio tollatur, vitã quoq; tolli necesse esse

Ego verò in istis deliciis crebra invenio offendicula, inprimis obscuritates maximas. Ne longiùs abeam, Quid est heic *Concuti?* fortassis id, quod paulò antè *Contabescere?* Est quidem hoc dignius Medico: tamen generale nimis est. Sed bene habeat, Quid sunt *Aliæ* illæ? Profectò, nisi intelligerem de *Vita* interpretari, dicerem aliquid gravius. Sed sinamus verba. Nisi novator esset *Fernelius*, neque posset heic τερατολογεῖν, neque alibi χρυσιογραφεῖν. Audiamus Galenum *Diff. sympt.* 4. *A. Atrophia & tabes sunt frustrationes nutriendi.* Loquar enim cum Interpretibus 3. *Caus. sympt.* 1. *G. atrophia est privatio nutritionis.* 1. *Fac. nat.* 11. *A. atrophiæ fiunt humoris affluentis inopiâ.* 1. *Sanitu.* 8. *D.* de animi morbis loquens, inter illos atrophiam habet, quæ fiat *ob naturalis caloris imbecillitatem.* 3. *eiusd. Op.* vltimis verbis dicitur atrophia fieri, *cùm corpus ex alimento non sentit fructum.* 3. *Præs. puls. vlt. A.* pulsum in atrophiis ait fieri durum *ob defectum nutritionis.* Vbi his omnibus locis est *Vita?* Imò verò si nutritio fit tam arterioso, quàm venoso sanguine, vt puto sufficienter me probâsse ex ipso Gal. quò tum ibit? In Vtopiam *Mori* fortè. Vide Mercenarium *in Dilucidationibus f.* 363. *ed. Lipsiæ.* D

CAPVT CCCXXXVIII.

De Nutrice Aristotelis.

HEic ante omnia sciendum est, Galenum in nominibus etiam secessionem fecisse ab Arist. & Platone. Hi enim cùm infimam animæ partem, quæ cum plantis nobis communis est, *Animæ* nomine dignarentur; Stoici autem *Naturam* peculiariter appellarent: hos maluit sequi, quàm illos, vti testatur ipsus 6. *Sent. Hipp.* 3. *C. de Form. fœt. extr.* 5. *in* 6. *Epid.* 5. *E.* Ideò de facultatibus τῆς θρεπτικῆς scripturus, περὶ φυσικῶν δυνάμεων inscribit, asserens in ipso vestibulo se φύσιν καὶ ψυχὴν distinguere clarioris doctrinæ gratiâ. Qua in re si quis aliter sentiat, malítque *Animam nutritoriam* vocare, cum eo se pugnare nolle ait 4. *Vs. p.* 13. *I.* A

Nolo

B Nolo equidem litigare : tamen nollem illum τὸ θρεπτικὸν Arist. diſcerpſiſſe in duas partes, in θρεπτικὸν peculiariter dictum, de quo etiam ſunt libri *de Fac.nat.* & ζωτικὸν, maximè quia vnius rei duo nomina ſunt, vt dixi. Sed ſint etiam diverſæ res : nollem diſcerpſiſſe denuò τὸ ζωτικὸν, cùm *Pulſum* quidem relinquit τῷ ζωτικῷ: *Reſpirationem* autem extra etiam hos limites eiicit, & annumerat ταῖς ψυχικαῖς ἐνεργείαις, *animalibus actionibus*. Si enim omninò tot ſunt facultates, quot ſunt ἐνέργειαι, *opera*: cur non ſubdividit τὸ ζωτικὸν in τὸ σφυγμικὸν καὶ τὸ ἀναπνοϊκὸν, aut, ſi ita vis, in facultatem σφυγμικὴν, quam libenter admittit, & ἀναπνοϊκὴν, cuius nullibi meminit, actione ſeu opere ſolo, τῇ ἀναπνοῇ, contentus? Quantò concinniùs & breviùs Arist. loco nuper
C dicto, *Cordi tria accidunt* &c. Cordi : ſubintellige, quod eſt principium vitæ, quæ vita in ſanguine fundatur. Sed cur accidunt? Fiunt quidem, vult dicere, neceſſariò ſeu ſymptomaticè : ſed Natura abutitur illis ad res magnas.

His nihil obiici poteſt : at quot Galeno? Dixi quidem iam : ſuperaddo verò inſigne πρέπισμα. Cùm obtinere non poſſet, reſpirationi competere definitionem motûs animalis ſeu voluntarij, diſtinguit, & dicit 2. *Mot.muſc.6.E.* alios horum motuum eſſe penitus tales, hoc eſt, omnino liberos: alios non eſſe, ſed ſervire τοῖς τοῦ σώματος παθήμασι, *corporis affectibus*. Et huius generis reſpirationem eſſe. Ego verò ſcire aveam, quis ſit ille *corporis affectus*? Procul dubio ἀνάγκη τῆς ἀναπνοῆς, *neceſſitas reſpirationis*, 2. *Aph.42.B.* Vbi rur-
D ſus quæro, quæ ſit illa *neceſſitas*? Quod quia nec Gal. explicat, nec aſſentatorũ quiſquam, iure dico, Obſcurum per obſcurum exponi : quin eſſe Galenum in numero eorum, qui nihil docent. Vide *Com. in 6.V ſ.p.356.2.de Thor.19.*

CAPVT CCCXXXIX.

Galenum noviſſe veram cauſam pulsûs.

A BRevis & ſimplex eſt ſermo Philoſophi *l.de Reſp.* σφύξις ἐστὶν ἡ τοῦ ὑγροῦ θερμαινομένου πνευμάτωσις, *Pulſus eſt humoris (in corde contenti) calefacti ſpiriteſcentia*, vt ſic dicam. Hæc quia obſcuriuſcula videri alicui poterat, explicat in oratione anteriori per tria ſignificantiſſima verba, ζέσιν, *ebullitionem*, ὄγκωσιν, *intumeſcentiam*, & ἀναθυμίασιν, *evaporationem*, ne quis hæſitare poſſet de mente ipſius, Sanguinine contento debeatur motus hic, an arteriæ continenti? Vno verbo, αἷμα σφύζει, vt *ſuprà* dixi cum Ill. Scaligero. A ſanguine cùm tranſlatum cuperet motum Galenus ad arterias, quæ non commentus eſt?

B I. Cùm haberet τὸ θρεπτικὸν Arist. ſuperimpoſuit τὸ ζωτικὸν, & quidem in nova ſignificatione.

Vide Scal. contra Cardanum. Ex. 196

II. Cùm pulſum non auderet dicere motum compoſitum, quòd videret duos eſſe motus diſtinctos; vterque autem requirat peculiarem facultatem:

cogitur

cogitur dirimere τὴν σφυγμικὴν, *pulsificam*, in διασταλτικὴν καὶ συσταλτικὴν, *dilatatoriam,& contractoriam*, quibus frustra augentur difficultates.

III. Cùm omnium aliarum actionum instrumenta concedat esse spiritus: quei fieri potest, vt duæ hæ fiant à sola facultate, sine spiritu? quei reddi potest ratio vicissitudinis illius constantissimæ, nisi corpus aliquod sit, quod moderatur? quod confusionem prohibet?

IV. Cùm per facultatem vitalem avertere vellet spiritus, ne in ebullitionem Arist. incurreret: incurrit in absurdum longè gravius. Cùm enim 7. *Sent. Hipp.3. B.* inter alia eius officia tribuit illi distributionem caloris in corpus; idem autem est Calor & Spiritus, vt *suprà* vidimus: quo modo hæc C facultas est sine spiritu simul, & cum spiritu? Coëgit hæc res Peramatum *l. de Facult.3.* distinguere inter *Vitalem* & *Pulsificam*, quarum illa fiat sine spiritu, hæc cum illo. Verùm, cùm fateatur tam vicinas esse, vt altera sine altera lædi non possit: quàm egregio auctario locupletavit artem!

V. Cùm influxum facultatis sine spiritu probat experimento inserti in arteriam canalis, *l. An sanguis,8.B.* de quo ego *suprà cap.46.* quid lucratur? Fallitur & fallit. Meminit quidem Vesalius, ceu dixi: sed nec probat, nec improbat. Crediderim Peramatum *l. c.* vocâsse in obtutum, & falsum fuisse: ideò canalem iubet inseri inter vtramque tunicam.

Hoc efficere possit nec *ipse doli fabricator Epéus!* Sed nec opus est, cùm ipse se subvertat Gal. ceu dixi *l. c. in marg.* Sed fieri possit hoc vel illud: Æquúmne est vnum hoc experimentum à tactu, (qui multipliciter fallere D solet) desumtum, obstare tot aliis argumentis? Summa, Mendacium est πολύμορφον, καὶ ἀκατάληπτον: Veritas simplex & perspicua. Hanc quia plurimis in locis, dum extra fermentum est, profitetur, quid opus est alio excusationis genere, quàm eo, quo sæpe iam vsus sum, Adrasteá (sic ille Veritatem) vicit? Loca qui vult, videat 2.*Thor.*17.

CAPVT CCCXL.

Qualis sit actio, Pulsus?

VT breviter defungar. Quibus locis Galenus *Vitalem* vocat, recto stat talo: quibus *Naturalem*, pellitur è vestigio ab eadem Adrasteá. Loca sunt principio *cap. dicti*. Ego considerandum propono, quod *suprà* quoque, Annon ipse potiùs actus Animæ, quàm vlla facultas sit?

CAPVT CCCXLI.

Galenum novisse etiam veram causam respirationis.

A BRevis & rotundus heic quoque est Arist. *libri cit. cap.*21. ἡ ἀναπνοὴ γίνεται αὐξανομένου τοῦ θερμοῦ, ἐν ᾧ ἡ ἀρχὴ ἡ θρεπτική, *Respiratio fit aucto Calido, in quo principium nutritivum.* Quo loco certus sum, τὴν αὔξησιν idem inferre, quod quatuor superiores voces, πνευμάτωσις, &c. Quamobrem vberior lux inde affulget. A sanguine quemadmodum transferre nitebatur Gal. pulsum ad arterias: ita heic à Calido-nativo abrumpit respirationem, & ad Cerebrum transfert, audaciâ profectò intolerabili! Consistit quidem pulsus in duabus partibus tantùm, Corde & Arteriis; respiratio autem in tribus, Corde, Pulmone & Thorace: at non propterea principatus actionis huius adimi debet cordi, & aliò traduci.

B Ita enim se habet res, & hic est ordo inter tres illas partes respiratorias, quem *suprà* exposui *cap.*73. Calidum in corde ebulliens implet pulmones: pulmones impleti necessitatem imponunt thoraci se dilatandi: dilatatione factâ evolat calidum illud flumen, & liberat thoracem molestiâ: molestiâ vacuus thorax concidit, & aërem intrò trahit, non secus ac follis dilatatus. Hæc Gal. invertit, factóque à thorace motûs initio, hunc ait attollere pulmones, qui ipsi per se nullum motum habent, *6. Vs.part.*10. *D.& in frag.de Motu thor.* vt collectus in illis calor cum fuliginibus exitum habeat. Heic quis non videt defectum? tu putà, Cordi non tribui id, quod debebatur illi? Interim, quia disertè ait *6.Vs.p.*2.*E.de Form.fœt.*5.*G.* Cor esse instrumentum respirationis, quis non agnoscit iterum ADRASTEAS vim? Imò, quia cordis motus naturalis est apud illum, *eod. 6.Vs.p.*18.*B.* & alibi; quia respiratio cum pulsu tot habet communia, quot dixi 2.*Thor.*18. quia non pauca alia huc trahi possunt, vt legeris *loco iam citato*: cur non dicam, victoriam penes Aristotelem esse?

CAPVT CCCXLII.

Qualis sit actio?

A VT sciamus, quid Arist. senserit, coniungere oportet illa ex *l. de Resp.* cum iis, quæ *fine l.de Com. anim. motu.* Ibi mentio tantùm est causæ principalis, ὅθεν ἡ κίνησις, vt loqui solet: heic describitur tota actio, & negatur esse actio vel ἑκούσιος, *voluntaria*, vel ἀκούσιος, *involuntaria*: dicitur autem οὐχ ἑκούσιος, *non-voluntaria.* Hoc Gal. diceret, Est actio mista ex animali & naturali. Ab eodem si quæras, naturalis, an animalis sit? ad animalem

Coniungit se mihi Rotarius *Contrad. Gal.* 123. *ex Introd. seu Me*

lem quidem totus inclinabit : à naturali autem tantoperè abhorrebit , vt sophistas , imperitósque demonstrationum vocet eos 1. *Diff. resp.* 2. 2. *eiusdem* 5. qui quidquam tale ausint. *dici cap.* 13. *extr.*

Ego verò illos, qui hoc odiosè vrgere volent , deducam ad loca duo, *superiùs allegata cap.* 73. ex 7. *Vs. p. & 5. Loc. aff.* Si calcitrabunt , etiam πάθημα τοῦ σώματος , vnà cum χρεία τῆς διαπνοῆς , & ibi , & nuper allata , ob oculos illis ponam. Si ne tum quidem acquiêsse volent , ducam ad alia duo loca, *Com. in 6. Vs. p.* 357. producta, ex 3. *Off. Med. vlt.* & 3. *Aph.* 23. Tandem digitum intendam in ea, quæ scripsi 2. *Thor.* 19. & silebo. B

Heic si modestior aliquis requirat, Cur respiratio tam latè differat à pulsu ? vt, inquam, trahat aliquid naturalis ? Huic dicam , propter vocem , & præcipuè articulatam id factum fuisse. Cùm enim, vt Gal. loquitur , Natura abutatur aëre attracto ad sermonem ; ille verò deberet in arbitrio hominis esse , quandiu protrahere vellet , intendere an remittere vocem vellet : non poterat ei rei meliùs consuli. Atque vt finem faciam loquendi de facultatibus thoracis, dico , Galeno , assecl ísque eius dari posse omnia , quæ optant , siquidem fateri volent, se Philosophos non esse. In vsu enim hæc nihil mutant.

CAPVT CCCXLIII.

De facultatibus Abdominis.

SAtis quidem intelliguntur hæ ex superioribus : tamen perspicuitatis gratiâ pauca heic repetam. Apud Aristotelem & thorax & abdomen sanguini faciundo pariter insudant. Et Cor quidem facit omnem sanguinem, qui nutrire debet : hepar autem, acceptâ à corde vi, subministrat materiam duntaxat. Propterea dicit, Cor πέπτει , *coquit*, Cor est πρῶτον θρεπτικόν, *primum & principale agens in perficiendo sanguine illo , qui in nutritione præstat formalitatem,* vt sic dicam : Hepar & lien βοηθοῦσι πρὸς τὴν πέψιν, *promovent, iuvant coctionem,* subministrato sanguine rudiori , cordi quidem ad vlteriorem elaborationem ; partibus autem nutriendis tanquam materiam. A

Propterea in thorace quidem est exiguus instrumentorum , actionúmque apparatus, quia maxima pars excrementorum iam derasa est : in abdomine contrà maximus est tam coquentium, quàm excrementa abducentium, recipientium, educentium. Vtrobique venæ & arteriæ sunt instar canalium in aquæductibus , vt veteres comparâsse dixi. Tu verò noli mirari , quòd non tribuatur illis actio. Sunt enim instrumenta, quæ pertinent ad materiam, quæ materia habet se purè passivè. Distribuit autem Calor. Et ita quidem apud Aristotelem, & in rei veritate se habet res : apud Galenum thorax totus secluditur , quanquam non satis constanter, vti vidimus, & demandatur nutritionis negotium abdomini, & in eo contento hepati. Quod quia variis modis exagitatum est, non dico iam ampliùs quidquam, sed iubeo teipsum de facultatibus cogitare. B

CAPVT CCCXLIV.

De Ministris, quarum facta est mentio in ratione ordinis.

MAsticatio procul dubio est actio voluntaria: de deglutitione valde dubitant. Ego ne totum quidem vnguem discedo à sententia dicta. Vide *suprà cap.* 113. De Chylificatione plerique tacent. Ego *Tract. de Humor. cap.*2. ostendi duplicem concurrere actionem, ἀναστοιχειώσιν ϗ ἀλλοιώσιν, cuius finis sit πέψις. Chyli distributionis eadem est ratio, quæ sanguinis, de qua *cap. præced.* De ἀναδόσει in vniversum agetur mox. De excrementi vtriusque, sicci & humidi, vt Arist. vocat, expulsione, manet, quod dixi *cap.* 146. Musculi præpositi vesicæ & recto intestino, non seruiunt expulsioni, sed retentioni ad arbitrium animalis. Hinc rectè Gal. 6. *Loc. aff.* 4. *D. E.* vtramque actionem docet esse mistam ex naturali & animali.

CAPVT CCCXLV.

De facultate Generatrice.

A HEic ante omnia opus est distinctione, loqui me de illa generatrice, quæ semini inest ad formandum animal: non de illa, quæ animalibus in ætate perfecta ad proferendum semen γόνιμον. Tum verò statim ingerit se quæstio, An id, quod facit, vt semen sit γόνιμον, cœleste sit, elementaréve? Aristot. sententia est 2. *Gen.* 2. Elementare quidem esse: sed analogum cœlestibus corporibus, ratione actionis, vt exponunt. Gal. 1. *Temp.* 9. *H.* dubitat, *Fortassis*, inquit, *comitatur formatrix bonam elementorum temperiem: fortassis diviniorem supernè originem habet.* Vbi docti vident priorem periodi partem proponere sententiam Aristotelis: posteriorem ad animam Mundi Platonicam, adeóque Mentem Stoicam inclinare. Idem *eiusdem operis l.* 2. *cap.* 6. *P.* dubitationis suæ socium facit Aristotelem, quem non obscurè temeritatis accusat, negátque solis qualitatibus elementaribus negotium formationis commendari posse. *Rationabile est*, inquit, *qualitates quidem instrumenta esse: formatorem autem alium.* Sed quem, ô Galene? 17. *V. s. p.* 1. *N. Mentem* vocat, *quæ terras omnes pervadat, & in omnes eius partes extendatur.* Hoc ipso Stoicum fieri illum puto, licèt olim ad mentem Anaxagoræ propenderim. Hæc enim est

—— *divinæ particula auræ,*

apud Horatium. Hæc apud Virgil. 6. *Æn.*

—— totam

—— totam infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Hoc ipso persuasus revoco sententiam meam, quam *Com. in locum de Vs. part.* inconsideratè dixi, *Galenum fuisse Peripateticum*: quin amplector posteriorem dubitationem ibi annexam, *Stoicum* fuisse. Cæterùm de Mente hac, quæ est ipsissima Anima-mundi Platonica, vide pulcerrima apud admirabilem Lipsium, 1. *Manuduct. Stoicæ* 4. & *seq.* Hanc superiori seculo reduxit nobis Fernelius, *in l. de Abd. rer. caus.* Hoc monitos volo admiratores ipsius in transcursu tantùm, qui fusè id feci *tract. de Cal. & spir. cap. pecul.*

CAPVT CCCXLVI.

De numero facultatum principum, seu rectricum.

TÀs ψυχικὰς ἐνεργείας rectè distinguit Gal. 2. *Progn.* 6. εἰς ἡγεμονικὰς καὶ ὑπηρετικὰς, quarum hæ sunt quinque sensus exteriores, Visio, &c. quos ait operari per aliud, per certa instrumenta, Oculum, &c. illæ sunt sensus interni, & agunt per se, hoc est, fiunt immediatè in cerebro, 2. *Loc. aff.* 9. *I.* de quorum numero non constat sibi, vt quidem vulgati codices præ se ferunt. A

Meâ opinione rectè habent duo illi loci, *Diff. sympt.* 3. *A.* 8. *Vs. p.* 6. *F.* vbi tres nominantur, τὸ λογιζόμενον, ἢ διανοητικὸν, τὸ μνημονευτικὸν, καὶ τὸ φανταστικόν. Malè habet Progn. ille, quia omittitur τὸ φανταστικόν. Ita ergo lego ibi, αἱ μὲν ἡγεμονικαὶ, κατά τε μνήμας γίνονται, καὶ διαλογισμοὺς, καὶ φαντασίας. At locus 1. *Off. Med.* 4. *B.* huc non facit, cùm agat de principiis artium & scientiarum, quæ duo sunt, multis locis ab illo celebrata, αἴσθησις ἢ πεῖρα, καὶ νοῦς ἢ λόγος. His duobus κριτηρίοις addit heic tertium, μνήμην, non quòd memoria inveniat aliquid, sed quòd inventa conservet. Alter *in de Loc. aff.* desperatus est, nisi concedas mihi ita legendum esse, ἐννοεῖν μέν τοι, ἢ λογίζεσθαι (vt hæc duo vnum sint, more Græcis valde vsitato) καὶ μεμνῆσθαι, καὶ φαντάζεσθαι. B

Interim Gal. in his suam quandam libertatem habet, quædam omittendi, addendi, &c. Quod ad sensum communem, docuit me Peramatus *l. de Fac.* 12. & 13. esse apud Gal. ipsum Cerebrum. Hoc ille penè totidem verbis 7. *Sent. Hipp.* 8. *A.* *Sensus*, inquit, *fit per alterationem & dignotionem. Alteratur quippe sensus ipsius instrumentum: alteratio verò procedens ab vna, eadémque facultate, & omnibus sensoriis communiter impertita, à principio dignoscitur. Hoc principium, sive sensum communem appelles, sive cerebrum, nihil refert.* Et *Diff. sympt.* 3. *D.* ait, *Somnum & vigilias esse circa primum sensorium, quod omnium sensuum commune est.* Vide Valles. 2. *Controv.* 22. C

Ergo Sensũ communem dicere, & *sensorium cõmune* est idem? Durum!

CAPVT CCCXLVII.

An differant locis?

SOmniant magis quàm dicunt, qui id volunt. Ea tamen de re ſatis multa Valleſ. *in Controv. cap.23. ſeq.* Nos pauca *ſuprà cap.204. I.*

CAPVT CCCXLVIII.

De facultatibus Miniſtris vulgò dictis.

A REſtant hæ ſolæ, non vni quippe corporis parti ſervientes, ſed omnibus, ſive publicis illæ deſtinatæ ſint actibus, ſive privatis. Harum numerum quaternatium rectè probavit Gal. *in libb. de Fac.nat.* vtinam diſtinxiſſet etiam publicas à privatis! Verùm quia vnuſquiſque lector facili negotio id præſtiterit, non ego heic ero officioſus: quin hoc agam, vt ad numerum hunc adgregem alias quaſdam huius generis, quas aliis nominibus, ex aliorum (puto) ſententiâ, deſcripſit Gal.

Harum prima eſt ἡ διακριτική, *ſecretrix*, *diſcretrix*, *ſeparatrix.* Si quid expelli debeat, inquiunt, debet priùs malum à bono ſecerni. Huius ſeminia multiplicia ſunt apud Galenum, quæ invenerit, qui in veſti-
B giis meis inſtiterit. 1. *Fac.nat.*10. *C.D.Ibid.*13. *A.*2.*eiuſd.*1. *A.Ibid.*2.*B.*4. *Vſ. p.*13.*D.bis,E.bis,*5.*eiuſd.*5.*A.bis.* vbi (quemadmodum etiam *loco ſup.*) διάκρισις explicatur per κάθαρσιν, *Diff.ſympt.*4 *B.*3.*Cauſ. ſympt.*2.*H.I.&* 6.*vlt.verbis,* 2. *Aph.*13.2.*Prog.*16.*& alibi.* Hinc Averroës 2. *Coll.*7. *&* 9. iterúmque 3. *Coll.*16. Avicenna 14.3.*tr.*1.*c.*29.*& tr.*4.*c.*6. item 15.3.*tr.*1.*c.*3.2.*Can.c.*4. quintam quandam conſtituunt facultatem, quam *Regitivam* Haly vocat, quæ ſit illa, quæ reliquis præeſt, & cavet, ne quis error committatur, vt Peramatus habet *de Facult.*6. *&* 8. Heic multi multa dicunt, referentes modò ad hanc, modò ad illam. Ego ſimpliciter dico, *Eſt attractrix.* Hanc enim cùm dico, ſubintelligo τῶν οἰκείων. Propterea, privata quidem eſt ſanguinis, qui omni-
C bus partibus familiaris eſt: publica verò, v.g. bilis in veſica fellea. Arabum *Regitiva* eſt commentitia.

II. Ἡ ἀναδιδομένη, *diſtributrix* elicitur *de Cauſ.ſympt. l.c.* ſed clariùs *c.*3. *H.* quæ alimentum de officina in officinam tranſportat. Hanc Coſt. *l.*6. *Diſquiſ. Phyſ.* vult ſtabilire Platonis & Ariſt. autoritate. Ego iterum dico, τὴν ἀνάδοσιν opus eſſe Attractricis. Hoc inprimis probo ex illa tractionis continuitate, quam Gal. 1.*Cauſ.ſympt.*7.*B.* in fame habet. Imò verò 3.*eiuſd.*2. *G.* ἀνάδοσις manifeſtè fieri dicitur per ἕλξιν.

III. Ἡ ὀρεκτική, *appetitrix,* quæ in illo 1.*Cauſ. ſympt.*7.*C. D.* omnibus partibus

partibus tribuitur, & dicitur *fames naturalis.* Ne longiùs heic stem, Gal. 6. *Loc.aff.3.extr.* ait, Attractrici coniugatam esse, vt Interpres loquitur. Et *lib. præced. c.vlt.BB.* coniungit τὸ *Appetere* τῷ *Attrahere.* Consentit Pereda 1. *in Paschal.*33.

IV. Ἡ περισταλτικὴ δύναμις καὶ κίνησις, *circumplexoria, circumpressoria fa-* D
cultas & motus, quemadmodum etiam περιστολὴ ventriculi, intestinorum, hepatis, omnium viscerum cavitatem habentium, est his locis, 4.*Vs.p.9.F.* 2. *Fac.nat.9.C.* 3.*eiusd.4.E.* 3.*Caus.sympt.2.E.* 2.κ.τόπ.1.*CCC.*quâ parte examinat Archigenis argumenta ad capitis dolores in secunda dictione, 8.*eiusd.6. G.3.* *Acut.*33.5.*in* 6.*Epid.27.D.E.2.Fac.nat.9.C.3.eiusd.4.E.* His locis videbis, vocem quidem Erasistratéam esse: facultatem autem ipsam non differre ἀπὸ τῆς καθεκτικῆς, *à Retentrice.* Vide *Commentaria nostra in d.l.de Vs.p.* Laurent. 1. *Anat.quæst.*20.

V. Quia Gal. 1.*Fac. nat.5.fine*, de auctrice loquens meminit τῆς διαστάσεως, confingunt inde quidam δύναμιν διαστατικὴν, *facultatem dilatatricem*
seu amplificatricem, quam Nutrici etiam dant. Verùm non est opus illâ, E
cùm Calor, seu commune instrumentum id præstet.

VI. Idem Gal. licèt nullibi dicat Appositionem, & Adglutinationem alimenti fieri facultate quadam: videtur tamen res ipsa velle. Quia enim vt *suprà* dictum fuit, tot sunt facultates, quot opera: quis non videt sequelam? Imò, quia altera absque altera lædi potest, vt probat Gal. 1. *Fac. nat.11.A.* fit firmior inde conclusio. Mihi ita videtur, Gradus esse Attractricis. Dum enim, quod attraxit pars, in intima recipit, fit Appositio: dum prorsus sibi iungit & vnit, Adglutinatio.

VII. Tandem τὴν ὁμοιωτικὴν, *Assimilatricem* etiam asserunt. Verùm, non differt illa ab ipsa Nutrice. His verisimiliora qui attulerit, vicerit: sed scierit, Neutrum fecisse aliquod operæ precium in arte nostra.

CAPVT CCCXLIX.

De facultatibus accuratam doctrinam Medico esse inutilem.

CErtus equidem sum, & ἀμετάπτωτος, Veram esse Aristotelis sententiam, A
tam de vnitate animæ, quàm de triplici facultatum ordine, secundùm triplex viventium genus. Non minùs certus sum, Falsam esse Galeni sententiam de triplicitate animæ, & quam illi superstruit doctrinam de facultatibus. Tamen quia πρόοδος ἐπιστήμης artis nostræ permittit, vt quædam lucidioris doctrinæ ergò, proprio nomine dicantur; vt quædam dirimantur, quæ naturâ diremta non sunt; vt contrà quædam coniungantur, & quasi compingantur, quæ Natura seorsim posuit: concedo Galeno & consecraneis eius, vt servent sibi κειμήλιον suum, sed cum expressa conditione, vt fateantur, in puriori Philosophia hæc longè sequiùs se habere. Et sic ego de industria

B dustria loquor, vt appareat, non probare me illorum iudicium, qui dicunt: Veriorem quidem Aristotelis esse sententiam, vtiliorem Galeni. Vbi enim est vtilitas illa insignis? Quin repeto, quod olim publicè scripsi *Præf. in Diatribam de vsu Cerebri*, quæstionem esse merè merissimè Logicam. Defendo autem Aristotelem, quia verus est: sino Galenum, ne frustrà lites sequar. Volo etiam hinc erudiri quosdam, qui in hoc negotio tam officiosi sunt.

CAPVT CCCL.

De modo, quo facultates agunt, idem esse iudicium.

LIs consistit in eo, An actiones fiant mediante quodam corpore, spiritu, inquam? an solâ communicatâ qualitate, quemadmodum Sol immittit radios suos? Non dubito, veram & Peripateticam esse sententiam priorem, quámque Gal. sit professus multis locis: verùm quod alicubi dubius sit, An in omnibus nervis fiat? alicubi planè asserat nudam irradiationem, hoc verò est, quod admirationem excitat. Si dubitas de fide mea, adi 1. *Loc. aff.* 6. *E.* & mox *c.* 7. *A.* 1. *Caus. sympt.* 5. *B.C.* Quid igitur dicendum est? Scelus quidẽ est pedibus conculcare τὰ ἐνορμῶντα Hippocratis, postquam etiam tot labores in probandis istis exantlaveris: sed quia vagum istud ingenium hoc quoque sibi licere putavit, relinquamus in medio. Nihil enim mutat in praxi.

CAPVT CCCLI.

Animam Medico, quà Medicus, ignotam esse.

A SI ostendero, Galeno substantiam animæ fuisse incognitam, & tamen fuisse perfectum Medicum, ostensum fuisse putabo de omnibus. Hoc conabor facere tribus argumentis.

I. Si vllibi substantiam animæ docuisse putandum est, vtique *in libb. de sententiis* (vt cum Scal. loqui soleo) *Hipp. & Plat.* id fecit. At verò cùm totus esset in eo, vt persuaderet (verba sunt Carpentarij, *Com. in Alcinoum cap.* 17.) Hippocratem & Platonem animam substantiâ triplicem, sedibus & locis distinxisse, & hac in parte meliùs sensisse, quàm Peripatetici & Stoici: hoc ipsum, non tam autoritate illorum confirmat, quàm pro sua gravitate ponit. Hac in re non fieri illi iniuriam, persuaderi sibi patientur *οἱ*
B φιλογάλλωοι nostri, inspecto ipso Gal. qui 5. *citati Op. c.* 7. *A.* fatetur, Platonem (eadem est ratio Hipp.) probâsse tantùm vnius animæ tres sive facultates, sive partes, sive species: Se verò velle probare, has species constituere tres animas, SVBSTANTIA & LOCIS distinctas. Hoc illum velle, pluribus locis allatis docetur *suprà cap.* 41. Quomodo successerit negotium,

negotium, partim ex superioribus liquere potest, partim ex *Com.2. de Thorace.*

II. Ipsemet fatetur multis locis, se substantiam animæ ignorare. Horum accipe aliquot. *de V.s. resp.1.C.* & rursus *c.5.A.H.* Quod animi, *3.D.5. in 6. Epid.5.B.5. Simpl.9. B.2. Caus. sympt.2.S.7. V.s.p.8.G. Form. fœt.vlt.O. de Subst. fac.nat.H.7.Sent.Hipp.3.G. Ibid.7. extr.* Et quei id fieri potest, inquis? Quia est quæstio Logica, vt fatetur in *Epid.l.c.*

III. Idem Temperamentum constituit Animam, *libro* ei rei dicato, Quòd animi mores sequantur corporis temperamentum, *1.Præs.puls.4.A.2.* eiusdem *8.C.* Annon hinc sequetur, animam esse mortalem? inquis. Sequitur omninò. At neque Galeno eius rei cura, nec cuiquam alij, qui Medico habitu instructus est. Temperamentum enim est Anima Medica: quia servato illo servat Animam. Heic mihi consentientes habeo Cæsalpinum *de Dæm. invest.cap.2.* Altimarum, *libello de Alteratione*, Th.à Veiga *Com.in 3. Loc.aff.7.* & iterum *Com.in l.5. cap.7.* Montanum *in Ant-Erast. f.13.b.* Argenterium *l.de Cal.signif.c.13.* Bertach.1.*Spiritib.*6.Laurent.4.*Anat.q.2.* Tracto hanc rem etiam *Com.in d.l.de V.s.p.466.* C

CAPVT CCCLII.

Iudicium Avicennæ de Galeno.

EPilogi loco addere libuit pauca de Arabis illius iudicio, non minùs vero, quàm odioso apud φιλογαληνοὺς quosdam supinos, vel, quia videntur planè respuere omnem apologiam. Mihi quidem libros illius *de Animalibus* videre non contigit: non ob id tamen repudio, quod boni viri tradunt. *GALENVM*, dixisse aiunt, *videri sibi aliquid dicere contra Aristotelem, cùm nihil dicat: subolfecisse dimidium tantùm rei: nescire radices Philosophiæ, sed ramos tantùm*, & si quæ sunt alia. Hoc ipsum tribuit Picus, *l.3. contra Astrol. c.16.* Rabbi etiam Moysi, *extr. Aph.* & acceptat Oddus, *l.1. Apol. cap. 12.* sed fallitur vterque. Quidquid sit: quidam nostrorum, qui ex solo Galeno, docti sibi videntur esse satis, accipiunt pro insignita iniuria. Iniuria verò, inquam ego, quod Sole meridiano clarius est? Huius rei do tibi testem, omni exceptione maiorem, Ill. SCALIGERVM, cuius verba *Com.1. de plantis* sunt: *Galenus ex Aristotelis calumnia famam captat apud Philosophiæ ignaros.* A

Citat Crem. *in Apol.* pro Arist. ex 9. *de Animal.* 1. & 2. *duo loca.* B.

Eòdem tendunt, quæ dicit *Exerc.194. n.4. fuisse avidissimum carpendi se longè meliorem.* Tu puta, Aristotelem, quem *Aquilam* vocat Scaliger *rei literariæ*, & *divinum, incomparabilémque heroa.* Sumamus pro exemplo triplicem animam, de qua multa hactenus. De hac idem Scaliger, *Com.in 1.Hist. apot.191. Galenus, cùm contradicit Aristoteli, pessimus fuit Philosophus: quia tria diversa statuit principia. Vna enim anima, vnum membrum, à quo cæte-*

Yy *ra.*

ra. Nec est, quod dicant mihi magni nominis viri, Amore vel Hippocratis, vel Platonis fecisse, quod fecit. Hoc enim ipsum ad probationem culpæ satis est. Quin fatetur ipsus, vt *suprà* dixi, Platonem (eadem est Hippocratis ratio) huius sententiæ non fuisse: Se autem probaturum.

Verum igitur est, quod Cassanus ait *in Quæst. de sang. Semper fuisse infensum Aristoteli, quòd primæ tribuantur illi in Philosophia.* Hoc ille Invidiam appellat: ego Ambitionem. Erat enim certamen de gloria. Et hanc tam non potest à se amoliri, vt, ceu innui *suprà*, fateatur *extr. lib. 3. magni operis*, se obsecundatum amicis, ὑπὸ φιλοτιμίας κινηθεῖσιν, *ambitione ductis* (ambitio-
C sior scilicet ipse) contra Chrysippum scripsisse. Si enim in parergo hoc factum est, cui non verisimile fiat in ἔργῳ multò magis factum esse? Reverà (dico) in toto illo negotio contra Aristotelem, nihil nisi verba habet, quod fatebitur, qui sine προλήψει legerit. Ex eodem fonte est dogma de nutritione, quam fieri vult non à solo sanguine, quod Aristoteles: sed simul ab excrementis, quæ sanguini contraria sunt. Fortassis & heic non dissimile superiori subest. Quemadmodum enim ibi videri volebat & Hippocraticus & Platonicus: ita heic Hippocraticus.

Verùm ego demonstravi, vt puto, esse illa, quæ circumferuntur, tam Hippocrate indigna, quàm Veritati è diametro opposita sunt. Huc accedit, quòd in vtraque controversia toties ab Adrastea, vt ipse vocat Verita-
D tem, ceu dixi; vincitur, quoties dici vix potest. Quod cùm Ioubertus *in Paradoxis* etiam viderit, miror Com. Montanum *in perorat. lib. de Morbis* tantoperè ringi! Quod enim verè dicitur, dicendum est absque fuco, quantumvis molestum futurum sit amicis. Sed, inquiunt, talia sunt indigna Galeno, tanto viro! Etiamsi maior & terribilior Ætnâ sit: tamen, in honorem Dei, ἀντιτιμωρητέον, *obviandum est illi,* vt alicubi cum Hippocrate, loquitur ipsus. Δεῖ γὰρ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, *præferre oportet veritatem,* Aristoteles diceret.

Et reverà sunt indigna ipso: sed quoniam non indigna iudicavit quæ scriberet, non sint indigna hæc quæ audiat. Quin cùm hæc ipsa viam nobis sternant ad illa loca, in quibus veritatem dixit: cur non indicemus falsaria, ne quis simplicior offendatur? Imò verò, vt ipsum quoque amicum faciamus
E Deo? Admiremur igitur Galenum, (concludam cum Cagnato) sed in inquisitione Veritatis seponamus autoritatem ipsius: seu, vt ego malim, acceptemus autoritatem eorum locorum, in quibus recto talo stetit. Nam fuit alioqui Galenus & Homo, qui errare potuit, labique: & Medicus, cui non semper opus est ἀκρίβεια, 2. *Diff. febr.* 4. *B.* Intereà

Vincat VERITAS!
Ploret MENDACIUM!

ADDITA

ADDITAMENTVM ad CAPVT CVI.

CVm incidissem nuper in *Exerc. Medicas* DD. MELCHIORIS SEBITZII, Iunioris, amici olim nostri in Italia, & reperissem, quæ *Ex.* 29. *probl.* 5. *&* 6. meditatur: surrecto digito miratus sum! Cùm legissem *Ex. seq. probl.* 1. & cognovissem, quid tandem concludat, *Opinionem Neotericorum probabiliorem esse*: ἐσκοτοδίνησα, vt cum Galeno loquar. Cùm recollegissem me, succurrit Ciceronis illud, nescio ad quem, *Nisi fingeres*, ô Sebitzi, *tam timidè non ageres!* Quorsum enim illa? *Possitne sententia Galeni admitti? Ne prorsus damnetur Galeni sententia? Contrariam esse probabilem?* Téne, Sebitzi, stare cum illis, quibus prisca sordent, nova placent? Nova verò, quæ Aristoteles quingentis annis ante Galenum docuit? Quod verò superat omnem admirationem, si argumenta neotericorum tibi persuadere potuerunt, vt Galeni castra desereres: cur paras responsiones ad illa? Propter duas causas, Partim, vt ostenderem, non per omnia falsam esse Galeni sententiam: partim, vt appareret, posse ad argumenta illa responderi. Non intelligo. Si argumenta, vt dixi, te abduxerunt ab antiqua, & in scholis recepta Galeni sententia: signum est, non posse responderi solidi quid. Illa ipsa quâ ratione docent, quátenus & quousque verus sit Galenus? Summa, *Sebitzius est frater fraterrimus Libavij.* Vterque enim pugnare vult: sed antequam verberent, demissis manibus hostem adeunt, amplectuntúrque. Hæc vîs est VERITATIS Polybianæ! hæc pœna ADRASTEAS! PVDOR.

Tertius hic iungi potest & debet Hœchstetterus, 5. *Obs.* 1.

Aliud, *ad* CAPVT CLXXXIII.

QVid præstiterit idem Sebitzius *Ex.* 20. *&* 21. in asserendo cerebri temperamento frigido, humidóque, in motu, sensu, aliis, non dico. Hoc tango tantùm, quod *Ex.* 21. *probl.* 7. proponit, An Aristoteles possit ad mentem Zabarellæ exponi? Negat ille quidem tribus rationibus, ad quas respondebit illi quivis è dupondiis nostris. Iam enim vltra Galenum sapere didicerunt, ringentibus licèt istis!



INDEX RERVM LIBRI SECVNDI.

Numerus Caput Libri indicat, Character verò sequens, literam marginalem.

A

B

C

Color

D

E

Η Græcum.

Θ

F

Index Rerum.

G

NICOMACHI

369

SANCTORII


S

T

FINIS INDICIS.

377

005644796



1.7.261 (vol. I)

- controllo collazione;
- restauro carta (sutura di strappi e lacune, imbrachet_ tatura, rammendo alla piega): carta giapponese Vang 517, veline giapponesi Vang 502, 508 e 561, adese con Tylo_ se MH300p al 6%;
- ricomposizione fascicoli;
- pressatura tra cartoni, sotto pressa a colpo;
- preparazione fogli di guardia struttura "C" in Ingres Vang 20231 e pelle uovo;
- loose guard in giapponese Vang 517;
- cucitura piena su 3 nervi di capra allumata , ripieni di fettuccia di lino intrecciata: fili di lino inglese ritorto;
- incollatura del loose guard;
- posa in squadra del volume, dopo rifilatura guardie in testa e piede, e passaggio in colla, rimossa a spugna: Tylose MH300p 6%; prima della completa asciugatura leg gera stondatura del dorso;
- bloccaggio cartoncino LC a filo delle controguardie;
- indorsatura: caselle ricoperte in carta giapponese, a_ desa con Tylose MH300p 6%; indorsatura in pelle uovo a pezzo unico con finestre, per l' emersione dei nervi;
- capitelli naturali con anima in capra allumata, ripie_ na di fettuccia di lino intrecciato, passanti al cen_ tro fascicoli e sotto catenella: filo di lino ritorto;
- piegature coperta: in sequenza, piegatura del rimbocco al piede, in testa, al piatto posteriore, al dorso e al piatto anteriore; le piegature vengono agevolate dal_ l' uso di un punteruolo arrotondato in punta con cui si esercita pressione sulla linea di piegatura dalla par_ te del carniccio;
- taglio della pergamena: per gli incastri le misure so_ no state individuate con sesta e segnate con punteruolo mentre la foratura è ottenuta con fustella fine; sago_ mature con slim-knife;
- infilatura dei nervi e dei capitelli in fori ottenuti a fustella media;
- piegatura dei labbri; lacci in capra allumata.

luglio 1998



